PETRI LOMBARDI

LIBRI IV SENTENTIARUM

STUDIO ET CURA

PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

IN LUCEM EDITI

LIBER I. ET II.

TOMUS I.

SECUNDA EDITIO

AD FIDEM ANTIQUIORUM CODICUM MSS. ITERUM RECOGNITA

AD CLARAS AQUAS
prope Florentiam
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1916.

25981

Nihil obstat.

Florentiae, die 5 iulii 1917.

Sac. Dr. Pius Berti, *Cens. Eccl.*

Imprimatur.

Florentiae, die 6 iulii 1917.

D. Ioachim Bonardi, *Provic. Gen.*

Nihil obstat.

Romae ad S. Antonium, die 28 iunii 1917.

Fr. Seraphinus Cimino, *Min. Glis O. F. M.*

Proprietas litteraria.

PROLEGOMENA

Qui rebus Medii Aevi pervestigandis vel parum incubuit, noverit quam pauca sint quae de viris, utcumque illustribus, scriptores eius aetatis reliquerint. Opera illorum ita animos attentos fecerunt, ut cetera quaeque oblivioni mandarent. Id etiam de Petro Lombardo evenisse constat. Nam huius viri, quem Scholastici summis laudibus extulerunt ‘ Magistrum ’; cuiusque libros ‘ Sententiarum ’ doctissimi Commentatores in studiosorum commodum illustrarunt, huius, inquam memoria apud veteres scriptores paucis verbis continetur. De loco enim nativitatis Petri, de eius parentibus, de doctoribus quibus est usus, de magisterio in scholis Parisiensibus, de regimine episcopali, de anno tandem quo obiit, usque hodie pauca cognoscuntur; eademque ita umbris velisque obtecta, ut non facile vera a commentitiis secernas. Conabimur tamen, quae de vita scriptisque Lombardi circumferuntur, breviter in unum colligere, vera a falsis fictisque sedulo distinguentes. His absolutis quaedam adiiciemus de editione ‘ Libri Sententiarum ’, quae cura Praedecessorum nostrorum prodiit, et de hac nova editione quam hic exhibemus.

CAPUT I.

De vita Petri Lombardi.

I. — Petrus Lombardus[1] anno circiter 1100[2], intra Lombardiae fines natus est, unde et ‘ Lombardi ’ cognomen accepisse videtur.

[1] Non confundendus cum coaevo Petro Lombardo, medico Ludovici VII, regis Galliae, postmodum Canonico et subdiacono Carnotensi. Cfr. Du Cange, *Glossar. med. et infim. latin.*, t. I, ad vocem *Archiater*; A. Clerval, *Les écoles de Chartres au moyen-âge*, Paris 1895, p. 345.

[2] Cfr. Seeberg, in *Real-Enzyklopädie*, t. XI, p. 631.

Quandoque et ‘ Novariensis ’ dicitur, uti v. g. in codice lat. bibl. regiae Monacensis n. 18109, saeculi XII, ubi (fol. 14r) ad initium Sententiarum Lombardi haec legitur rubrica: « *Incipit primus liber sententiarum Petri Novariensis* [1] ». Anonymus Laudunensis [2] (scribens c. a. 1220) et Iacobus Aquensis [3] (scribens c. a. 1328) Petrum appellant Novariensem; et apud Ptolomaeum Lucensem [4] († c. a. 1327) legitur: « Petrus Lombardus de Novaria trahens originem ». Haec autem non necessario ita intelligenda sunt, ut Lombardum in civitate Novaria [5] natum dicamus, quia vox ‘ Novaria ’ vel ‘ Novariensis ’ non tantum oppidum sed et provinciam huius nominis indicat. Quo notato, intelligitur Ricobaldum Ferrariensem [6] (circa 1312), supracitatis auctoribus non contradicere, ubi Lombardum ortum dicit « in territorio Novariae ». Quod autem his verbis non intendat civitatem Novariam, immo eam expresse excludat, ex eo patet quod eodem loco, parum infra, locum originis Lombardi « pagum » appellet. Tandem P. Iovius [7], in media narratione praeliorum, haec de loco originis Lombardi quasi per transennam interiicit: « Galleacius... oppidum, quod vulgo ‘ *Lumen omnium* ’ dicitur, expugnavit. Eo enim loco oriundus fuit Petrus Lombardus, qui quum rudi illo saeculo, sacros libros gravibus commentariis illustrasset, Sententiarum Magister et *Lumen omnium* appellatus est ». Uti patet, nec rem ex professo tractat Iovius, nec minimum argumentum adducit. Et tamen editores Maurini [8] et alii, Iovio innixi, Lumen omnium, Lombardi patriam dicunt;

---

[1] Cfr. Grabmann, *Geschichte der scholastischen Methode*, Freiburg i/B 1911, t. II, p. 362.

[2] *Chronicon universale*, ed. Cartellieri, Paris 1909, p. 7; quod quia antiquissimum testimonium est, ex integro transcribimus: « In Francia claruit Petrus Lumbardus. Hic Novariensis in divinis et humanis scripturis nulli sui temporis secundus, ecclesiam Parisiensem rexit et provexit. Hic compilavit psalterium continua glosacione, epistolas Pauli et sentencias, quas in 4 distinxit libris; que opuscula a cunctis in theologia studentibus habentur in gloria, ita ut, postpositis omnibus glosaturis, hec sola legantur ».

[3] *Chronicon Imaginis mundi*, in *Hist. Patr. Monum., Script.*, t. III, col. 1620.

[4] *Hist. eccles.*, lib. XX, c. 27, apud *Script. Rer. Ital.*, t. II, p. 1180.

[5] Uti censet Seeberg, loc. cit.

[6] *Historia Imperatorum*, apud *Script. Rer. Ital.*, t. IX, p. 124.

[7] *Historiar. sui temporis libri XVIII*, Florentiae 1550, lib. III, p. 74.

[8] *Hist. littér. de France*, t. XII, p. 585.

immo illud idem esse opinantur ac Lomello, antiquitus Laumellum, pagum inter Papiam et Novariam ad ripas Agognae situm. Haec autem opinio a Tiraboschi [1] parum fundata dicitur, eo quod Lomello non sit de dioecesi Novariensi, sed Papiensi. Alii rectius Lumen omnium idem faciunt cum Lumellogno (vel Lomellogno) [2], parvo vico prope Novariam sito, ubi adhuc hodiedum ostendi solet quaedam pauperrima domuncula, in qua Petrus natus dicitur [3]. Verum ad haec omnia Tiraboschi [4] notat auctores, in favorem huius opinionis allatos, recentiores esse, et traditionis localis vetustatem examini esse subiiciendam.

II. — Petri parentes [5] pauperes fuisse, communis opinio est. De eis in *Chronica* Iacobi Aquensis [6] Ord. Praed. haec leguntur: « Dicitur in ystoriis quod magister Petrus Novariensis fuit filius pauperrimi viri et mulieris, qui vadens ad scolam serviebat scolaribus, et mater eius lavabat scolaribus camisias, et ipsi pascebant et docebant filium suum [7] ». Huius paupertatis aliquod argumentum habemus, ex eo quod s. Bernardus ab episcopo Lucensi rogatus, Petro studiorum causa in Gallia degenti, victui necessaria

---

[1] *Storia della letteratura Italiana*, Venezia 1822, libr. IV, p. 396; qui ibid., pag. 395, nota *, commemorat controversiam cuiusdam *Academici obscuri*, qui Lucam, patriam fuisse Lombardi probare conabatur. Alii *Cerreto* eius patriam dixerunt; cfr. Cotta, *Museo Novarese*, Milano 1701, p. 255.

[2] Protois, *Pierre Lombard, évêque de Paris, dit le Maître des Sentences, son époque, sa vie, ses écrits, son influence*, Paris 1881, p. 26, confundit Lomello cum Lumellogno: « un bourg appelé *Lumelogno* par certains géographes et *Lumello* dans la langue plus douce des habitants du pays ». In antiquioribus documentis *Lumellogno* occurrit sub nomine *Nemenonium* vel *Nomenonium*. Cfr. Gabotto, Basso, etc., *Le carte dello Archivio capitolare di Santa Maria di Novara* t. II, num. 347 (anni 1145) et num. 355 (anni 1148), in *Bibl. della Soc. Storica Subalpina*, Novara, 1915, t. LXXIX. Cfr. G. Ferrarius, *Opera*, Mediolani, 1791, t. IV, p. 370 et sqq.

[3] Cotta, loc. cit.: « Nacque... in Nomenogno (non in *Cerreto*, come pensa il Rosino) nella roca di quella terra, in una picciola stanza posta a piano di terra, e a piè della torre, ancor adesso venerata dal paese ».

[4] Loc. cit.

[5] In Necrologio Sancti Victoris, cod. lat. 14673 Bibl. Nation. Paris., fol. 202v, ad diem 3 iunii parentes Lombardi inscribuntur: « G. III. nonas Iunii. O. Adelaidis. Item commemoratio patris et matris magistri petri lumbardi ».

[6] Loc. cit.

[7] Iacobus ita continuat: « Et in tantum profecit, quod ivit Bononiam, et de Bononia Parisius. Et ibi audiens artes fit clericus ».

providit, ut infra [1] dicemus. Inter fabulas vero amandandum sane est, quod adhuc quidam praedicatores saeculi XV effutiebantur, Lombardum scilicet, et Gratianum et Petrum Comestorem fratres esse germanos. Et multo magis illud reiiciendum est quod Cave [2], ne minimo quidem adducto argumento, de tribus praedictis Magistris asserere non dubitavit: « matrem tergeminos hos fratres ex furtivo concubitu conceptos uno partu edidisse [3] ».

III. — Ad prima studia quod attinet, probabile videtur Petrum scholas minores in ipsa civitate Novariensi celebrasse. Utrum autem verum sit Petrum ingenio torpentem fuisse et lentum, ut quidam [4] asserunt, postea vero per assiduum studium et divinum favorem

---

[1] Pag. IX.

[2] *Scriptor. eccles. hist. litter.*, Oxoniae 1643, t. II, p. 216.

[3] Cfr. de Ghellinck, *Le mouvement théologique du XIIe siècle*, Paris 1914, p. 172, et fontes ab eo citati. S. Antoninus hanc fabulam refert, quin tamen eam admittat, dicit enim: « Et a quibusdam praedicatur in populis, quod fuerunt germani ex adulterio nati. Quorum mater cum in extremis peccatum suum confiteretur, et confessor redargueret crimen perpetratum adulterii, quia valde grave esset et ideo multum deberet dolere, et poenitentiam agere, respondit illa: « Pater scio, quod adulterium peccatum magnum est, sed considerans quantum bonum secutum est, cum isti filii sint lumina magna in ecclesia, ego non valeo poenitere ». Et confessor ad eam: « Quod tui filii sint notabiles viri, et opera utilia fecerunt Ecclesiae Dei non ex te, sed ex dono Dei est; ex te autem adulterium crimen magnum, et de hoc doleas, et si non habes illum dolorem, quantum exigit tantum peccatum, de hoc tamen doleas, quod non potes dolere ». Sed de hoc potest dici id: Exempla ponimus, non quod ita sint sed ut sentiant addiscentes. Non enim reperitur authenticum ». (*Chronica*, parte 3, lib. XVIII, c. 6, ed. Basil. 1491, fol. XXIII; ed. Lugdun., p. 65). Pioto, auctor saec. XVI, (Repet. l. *Si quando* in Indice) de Gratiano et Comestore nihil habet, sed fabulam hoc modo refert: « Petrus Lombardus ex parentibus nobilibus, sed pauperibus, religiosis, et civibus Novariae, ex coitu damnato. Huius mater, dum esset prope tempus pariendi, recessit ad quaedam magalia, vulgo Cassinas ecclesiae s. Mariae maioris Novariae tunc appellatas, per tria milliaria prope urbem Novariae, in agro Novariensi sitas, ut in eis pareret secreto; et in eis peperit ipsum Petrum, ob cuius ortum Cassinae ipsae sumpserunt nomen Lumennonii, eo quod in eis *lumen omnium*, et sic ipse Petrus fuerit natus... Mater eius post nativitatem Petri vixit caste, ac religiose cum maximis ieiuniis et orationibus, et Novariae diem suum clausit ». (Cfr. G. Ferrarius, op. cit., p 380).

[4] Pioto, loc. cit.: « Fuit autem educatus et nutritus et bonis litteris ac disciplinis imbutus Novariae; quem ferunt fuisse iam natu maiorem, antequam litteris operam daret, et fuisse valde rudem, ac ad addiscendum litteras inhabilem; sed studium continuum et Dei gratia fecit illum doctissimum ».

in his maxime profecisse, in medium relinquimus, quia nullibi hac de re apud antiquos argumentum invenitur.

IV. — Absolutis primis studiis in scholis Novariae, Petrus, magnanimo quodam viro (cuius nomen ignoratur)[1] expensas solvente, ad civitatem se contulit Bononiensem, scholis Theologiae et praesertim Iuris per orbem celeberrimam. Quanto tempore hic studiis vacaverit, ignoratur. Verius nobis videtur Petrum totum curriculum *scholarum maiorum* Bononiae perfecisse. Quod quidem ex eo probari opinamur, quod Petrus, Bononia relicta, in Galliam utique venit studiorum causa, sed tantum per breve tempus hic manere intendit, ut ex epistola s. Bernardi mox citanda, luculenter patet. Immo in eadem epistola s. Bernardus Petrum dicit « virum venerabilem », quod de iuvene studente parum recte dici nobis videtur. Quidquid sit, nullo antiquorum testimonio probatur Petrum in Academia Bononiensi cathedram habuisse, uti, meris coniecturis innixi, probare intendunt Sarti et Fattorini[2].

V. — Peractis Bononiae studiis, Petrus, maioris scientiae cupidus, in Galliam venit, secum portans litteras commendatitias episcopi Lucensis ad s. Bernardum, petentis ab abbate Claravallensi ut Petro per amicos suos victui necessaria provideret. Quod Bernardus fecit quamdiu Petrus Remis moratus est, qui in hisce scholis docentem invenit magistrum Lotulphum[3] Novariensem. Haud ita multo post, Petrus Parisios contendit, fretus s. Bernardi ad abbatem Gilduinum[4] et monachos Sancti Victoris litteris commendatitiis, quae sunt huiusmodi:

« ... Dominus Lucensis episcopus[5], pater et amicus noster, commendavit mihi virum venerabilem P Lombardum, rogans ut ei

[1] Protois, op. cit., p. 28, affirmat quod fuit episcopus Lucensis, sed nullum argumentum affert.

[2] *De claris Archigymnasii Bononiensis Professoribus a saec. XI usq. ad saec. XIV*, Bononiae 1772, t. I, pars 2, pag. 3 et seqq.

[3] Hic cum magistro Alberico Remensi, interfuit concilio Suessionensi, a. 1121, in quo damnatus est Abaelardi ' *Tractatus de unitate et trinitate divina* '. (Hunc primum edidit R. Stölzle, Friburgi in Brisgovia, 1891).

[4] Fuit abbas Sancti Victoris annis 1114-1155.

[5] Ecclesiae Lucensis, circa tempus quo haec epistola scripta videtur, praefuit Otto (1138-1146).

parvo tempore quo moraretur in Francia causa studii, per amicos nostros victui necessaria providerem; quod effeci, quamdiu Remis moratus est. Nunc commorantem Parisius vestrae dilectioni commendo, quia de vobis amplius praesumo, rogans ut placeat vobis providere ei in cibo per breve tempus, quod facturus est hic, usque ad Nativitatem beatae Virginis Mariae. Vale [1] ».

Quo anno haec Bernardi epistola scripta fuerit, inter modernos non constat. Alii enim opinantur eam scriptam esse ante a. 1119 [2]; Hofmeister [3] probabilius censet missam inter a. 1130-1135. Magis autem nobis probatur opinio domini Vacandard [4], qui epistolam circa annum 1139 scriptam asserit. Ex s. Bernardi litteris patet Lombardi intentionem fuisse ut Parisiis per *breve tempus* maneret, et quidem *per minus quam unius anni spatium,* cum Bernardus scribat: « per breve tempus usque ad Nativitatem beatae Virginis Mariae ». Quidquid sit, certum est, Petrum, mutata prima intentione, per totum reliquum vitae suae tempus Parisiis remansisse.

VI. — Lombardus in monasterio Sancti Victoris amice receptus, in coetu virorum scientia theologica clarissimorum versatus est. Ad annum enim 1139 Ioannes de Sancto Victore in *Memoriali historiarum,* uti refert Launoius [5] ex codice manuscripto in bibliotheca regia Navarrae asservato, de coenobio praedicto sequentia narrat:

« Clarebat hoc tempore Ordo canonicus Sancti Victoris Parisius, celebrisque fama per orbem habebatur, praecipue propter famosas et insignes personas moribus et scientiis adornatas, quas in diversis diversorum mundi locorum ecclesiis sparsit, velut vitis

---

[1] PL 182, 619.

[2] Protois, op. cit., p. 33, parum recte scribit: « Tous les historiens s'accordent à dire qu'il fut l'élève d'Abailard; ce qui fait croire qu'il vint à Paris avant l'année 1119, car à cette époque celui-ci avait quitté sa chaire pour se cacher dans le cloître et depuis lors sa voix ne s'était plus élevée dans l'enceinte des écoles de Paris ». Haec omnino contradicunt iis quae Ioannes Saresberiensis, discipulus Abaelardi, scribit de huius praelectionibus anno 1136 Parisiis habitis. De quo argumento, cfr. infra, p. XII. In genere, hic notare volumus opus domini Protois methodo magis litteraria quam vere historica conscriptum esse.

[3] *Studien über Otto von Freising,* in *Neues Archiv,* t. XXXVII (1911-12) p. 114, n. 3.

[4] *Vie de saint Bernard,* Paris 1910, t. II, p. 112, n. 5.

[5] *Opera omnia,* Coloniae Allobrogum 1732, t. IV, pars 1, p. 69.

foecunda palmites proferens transplantandas. Hoc enim tempore fuerunt accepti ibidem Canonici professi Praelati in ecclesia Romana, duo Cardinales, magister Ivo Cardinalis, et dominus Hugo, episcopus Tusculanus, magister Acardus, episcopus Abrincensis; Abbates quoque novem: in ecclesia Sancti Satyri Hircuo, abbas Radulfus Sanctae Genovefae Parisius, abbas Oddo Sancti Evurtii Aurelianis, abbas Rogerus Sanctae Mariae Augensis, abbas Rogerus Sancti Bartholomaei Noviomensis, Garnerus Sancti Vincentii Silvanectensis, Balduinus Sanctae Mariae Alticerris, Guibertus Sancti Augustini de Bresco in Anglia, Richardus Sancti Iacobi de Guignemora in Marchia; magister Andreas, magistri Hugo et Richardus et Adam et Thomas prior ».

Quidam[1] nullo adducto argumento, affirmant Lombardum factum esse canonicum apud Sanctum Victorem. Hoc autem omnino reiiciendum esse, vel ex eo constat quod in Necrologio huius monasterii Lombardus quidem laudatur ut benefactor, non autem ut canonicus eiusdem[2].

Certo igitur Lombardus in societate vixit Hugonis a Sancto Victore († 11 febr. 1141). Cum autem Hugo usque ad mortem a docendo non cessaverit, proculdubio Lombardo occasio non defuit ut eius lectionibus adesset. Quod et fecisse admodum probabile videtur. Scripta Hugonis, praesertim praeclarum illud '*De sacramentis christianae fidei*' (iam inde ab anno 1125 exaratum) Lombardus assidue legit, ut cuilibet libros '*Sententiarum*' percurrenti obvium est.

---

[1] Cfr. Bulaeus, op. cit., p. 766. Cotta, *Museo Novarese*, Milano 1701, p. 255: « sul principio della gioventù prese l'habito della Congregatione o Abbatia Carnotense, overo di Santa Genovefa di Parigi ». Cfr. Sarti Fattorini, op. cit., p. 3.

[2] Cfr. infra, p. XXIV; Denifle, *Die Univers. des Mitt. bis 1400*, Berlin 1885, t. I, p. 657, n. 6. De domo P. Lombardi agitur in quodam diplomate Theobaldi, abbatis S. Genovefae, anni 1252; cfr. Guérard, *Cart. de l'Eglise Notre-Dame de Paris.*, t. III, p. 395, n. 68: (in *Collection des documents inédits sur l'hist. de France, Prem. Série, Coll. des Cartul. de France*, t. VI, Paris 1850), « quandam partem domus, site in censiva nostra, ex parte domus que fuit magistri Petri Lombardi... que dicta pars domus protenditur a domo dicti magistri, iuxta viam communem, usque ad pilarium lapidem, medium inter censivam nostram et censivam ecclesie Parisiensis, et iterum a pilario usque ad murum regis, retro domum, directe protenditur: et quandam ruellam, sitam inter duas domos, ex opposito vici in censiva nostra ».

Utrum autem et Abaelardum († 1142) adhuc in scholis docentem potuerit audire, quaeri potest. Asserit quidem Oudinus[1] Abaelardum usque ad 1140 Parisiis scholas publicas habuisse; ast multo probabilius est hunc anno 1136 ultimo docuisse in schola Sanctae Genovefae[2], et iam anno 1137, cathedra relicta, sese in solitudinem recepisse, ubi scriptis suis (*Theologia christiana, Introductio ad Theologiam,* ac denique *Sic et non*) ultimam manum admovit et ad publicam editionem praeparavit. Haec opera Lombardum frequenter prae manibus habuisse, aperte ut testatur Ioannes Cornubiensis[3]; et quisquis Magistri libros · *Sententiarum* · attente examinaverit, facile animadvertet quam multa ex illis, tacito auctoris

[1] *Commentar. de Scriptor. Ecclesiae antiquis,* Lipsiae 1722, t. II, col. 1165 et seq.

[2] Testimonia Ioannis Saresberiensis (qui Abaelardi discipulus fuit) ita clara et aperta sunt, ut eis summa fides adhiberi debeat. Ait autem in *Metalog.* lib. II, cap. 10 (PL 199, 869): « fere duodecennium mihi elapsum est, diversis studiis occupato ». Haec autem studia incepit Parisiis anno 1136 apud Abaelardum, ut ipse testatur ibidem (col. 867): « anno altero postquam illustris rex Henricus, Leo iustitiae, rebus excessit humanis (a. 1135), contuli me ad Peripateticum, qui tunc in monte Sanctae Genovefae clarus doctor et admirabilis omnibus praesidebat ». Post discessum Abaelardi, qui sibi « praepreperus visus est », « toto ferme biennio in monte » Sanctae Genovefae usus est praeceptoribus « Alberico et magistro Roberto Meludensi ». Deinde per sequens triennium adhaesit magistris Guillelmo de Conchis, Richardo dicto Episcopo, Adamo de Parvo Ponte, Guillelmo Suessionensi, et « in fine triennii » audivit Gilbertum Porretanum « in logicis et in divinis ». Ceteros septem annos exegit in studiis theologicis apud Robertum Pullum (qui inter Cardinales adlectus est anno 1144), et Simonem Pexiacensem. Iamvero, si incipiamus a Gilberto Porretano (qui anno 1141 Parisiis docuit, « sed nimis cito subtractus » factus est episcopus Pictaviensis anno 1142), sequens computatio obtinetur: 1141 Saresberiensis audit Porretanum; 1139-41 (triennio) G. de Conchis et alios; 1137-38 (biennio) Albericum et R. Melodunensem; 1136 Abaelardum. Ex his evidenter patet Abaelardum post a. 1136 cessasse a docendo in scholis. Quare et quo recesserit, ignoratur; sed in solitudine opera sua (*Theologia, Introductio in Theologiam, Sic et non*) evulganda praeparavit. Quae mox ut cognita fuerunt, multorum animos, praesertim s. Bernardi, commoverunt. Abaelardi doctrinae damnatae fuerunt in Concilio Senonensi anno 1141; et Innocentius papa II, die 16 iulii 1141, iussit auctorem ipsum in quodam monasterio recludi. Exinde in monasterium Cluniacense receptus, in solitudine vixit, donec anno 1142, die 21 aprilis, in Prioratu Sancti Marcelli pie obiit.

[3] Cfr. infra, p. XLIX.

nomine, afferat, et praesertim quam constanter simul et prudenter methodo Abaelardi inhaereat [1].

VII. — Incertum est quo anno Lombardus Parisiis cathedram obtinuerit [2], quam diu et usque ad annum 1159 possedisse apud omnes constat. Absque dubio iam anno 1148 Parisiis docebat, cum in *Historia Pontificali* [3] legantur Lombardus et Robertus Melodunensis « scolares magistri » concilio Remensi adfuisse. Immo non immerito diceretur inde ab anno circiter 1140 cathedram ascendisse. Etenim, ut ex Gerhoho [4] constat, iam anno 1142 Petri '*Glossa in beati Pauli Epistolas*' cognosci coepta est, quae iure uti primae praelectiones Lombardi haberi posset. Deinde Eugenius papa III, in litteris diei 19 ian. 1152 ad episcopum Bellovacensem, commendat Lombardum eo quod « tam longo tempore scholasticis studiis utiliter et honeste per Dei gratiam insudavit [5] ».

In quanam autem schola Lombardus docuerit, variae sunt scriptorum sententiae. Quidam opinantur Petrum docuisse primo apud Sanctum Victorem, ubi tunc morabatur [6]. Ad annum autem 1148 Bulaeus [7] annotat Lombardum in scholis San-Genovefianis sacras paginas praelegisse; quod negandum videtur, uti Denifle [8] recte demonstravit. Apud omnes autem constat eum in scholis Nostrae Dominae cathedram habuisse.

---

[1] Iuxta quosdam, Lombardus opus Abaelardi '*Sic et non*' Breviarium suum appellasset. Cfr. Caré, *Script. eccles.*, Basileae 1745, t. II, p. 221; H. Hayd, *Abaelard und seine Zeit*, Regensburg 1863, p. 38, nota 2; Espenberger, *Die Philosophie des Petrus Lombardus und ihre Stellung im zwölften Jahrhundert*, in *Beitrage... Baumker*, t. III, fasc. 5, p. 5.

[2] Pro memoria afferimus quae narrat Cotta, loc. cit.: « nella di cui [Parigi] Università fu lungamente lettore di Teologia, e Presidente della scuola Teologica, essendo stato diconosciuto il suo elevatissimo intendimento in occasione delle improvise dispute, che sostenne publicamente a difesa della Virginità di Maria nostra Signora ». De hoc apud antiquos nihil legitur.

[3] *Mon. Germ. hist., Script.*, t. XX, p. 522.

[4] *Libellus de ordine donorum sancti Spiritus*, apud *Mon. Germ. hist., Libelli de lite*, t. III, p. 275.

[5] Cfr. infra, p. XIX.

[6] Féret, *La faculté de théologie de Paris et ses docteurs les plus célèbres Moyen-âge*, Paris 1894, t. I, p. XII.

[7] Op. cit., p. 249.

[8] *Die Univ. d. Mittelalters*, Berlin 1885, t. I, p. 657, nota 16, et p. 679, n. 83.

Inter magistros, Lombardo coaevos, qui inter 1140-59 Parisiis docuerunt, afferri merentur Robertus Melodunensis, Gilbertus Porretanus, Richardus a Sancto Victore, Petrus Cantor, Gualterus de Mauritania, Petrus Comestor, Adamus de Parvo Ponte et Mauritius de Sulliaco. Aliquot discipulorum Lombardi nomina ad nos pervenerunt, suntque: Petrus Pictaviensis, Philippus, frater regis Galliae, archidiaconus ecclesiae Parisiensis, Hugo archiepiscopus Senonensis, et Odo Suessionensis, abbas Ursi Campi.

VIII. — Nullo quidem patenti testimonio constat, Lombardum adfuisse concilio Parisiensi anni 1147, in quo, praeside Eugenio papa III, Gilberti Porretani doctrina examinata est. Attamen valde probabile videtur, cum Otho Frisingensis [1] dicat praeter Cardinales et Episcopos etiam viros venerabiles et eruditos concilio adstitisse; et Bulaeus [2] asserat Gilbertum a Summo Pontifice ad concilium vocatum fuisse « ut coram Magistris Parisiensibus causam suam explicaret et ageret ». Ex Othone Frisingensi [3] novimus praecipuas partes in hoc concilio egisse Magistros Adamum de Parvo Ponte et Hugonem de Campo Florido.

Indubium autem est Lombardum, anno 1148, cum aliis multis magistris Parisiensibus et Remensibus et frequentia episcoporum Galliae, Germaniae, Hispaniae et Italiae, praeside ipso Eugenio papa III, adfuisse concilio Remensi, in quo Porretani doctrinae solemniter damnatae sunt. Hic autem praecipuas partes egisse Petrum Lombardum et Robertum Melodunensem, constat ex *Historia Pontificali* [4], ubi sic tota res narratur: « Sed cum obloquerentur multi in eum [Porretanum], tamen acrius insurgebant Sigerius, abbas Sancti Dionisii, vir litteratus et eloquens, et Pictaviensis ecclesiae canonici Calo, qui postmodum eiusdem ecclesiae episcopus factus est, et magister Ernaldus, cui cognomen est *Non-ridentis;* magistri quoque scolares Petrus Lombardus, postea Parisiensis episcopus, et Robertus de Meliduno, postmodum Herefordensis presul, *suas et alio-*

[1] *Gesta Friderici Imperatoris,* lib. I, cap. 51, apud *Mon. Germ. hist., Script.,* t. XX, p. 379.

[2] Op. cit., p. 223.

[3] Loc. cit.

[4] *Mon. Germ. hist., Script.,* t. XX, p. 522.

rum linguas in eum acuebant. Incertum habeo an zelo fidei, an emulatione nominis clarioris et meriti, an ut sic promererentur abbatem, cuius tunc summa erat auctoritas, cuius consilio tam sacerdotium quam regnum prae ceteris agebatur ». Quae ultima verba, utpote quae studia partium sapere videntur, auctori *Historiae Pontificalis* relinquimus.

IX. — Circa a. 1149–50 Lombardum sese Romam contulisse, ut coram Eugenio papa III contra magistrum Iozelinum, Canonicum Meldensem [1] sese defenderet, affirmat Bulaeus [2], qui haec refert:

« Circa haec eadem tempora exorta quadam inter scholasticos seditione [3], quae nonnullos etiam Magistros implicuit, cum ab Episcopo Parisiensi Theobaldo excommunicati fuissent quidam professores, nec potuisset pax in Academia conciliari, M. Iozelinus Meldensis ad Eugenium Pontificem detulit nomen cuiusdam

---

[1] Non est confundendus hic Iozelinus, accusator Lombardi, cum magistro Iozelino (Gausleno) dicto « *Rufus* », iam ab anno 1126 episcopo Suessionensi († 1152).

[2] Op. cit., p. 251.

[3] Iuvenes studentes non solum ob disputationes suorum Magistrorum quae his temporibus maxime ardebant, verum etiam ratione diversarum regionum unde oriundi venerant, saepe tumultus et seditiones excitabant. Alumnos, qui undequaque ad Abaelardum concursabant, sic recenset Fulco, prior de Diogilo: « Roma suos tibi docendos transmittebat alumnos,... Anglorum turbam iuvenum mare interiacens... non tenebat... Remota Britannia sua animalia erudienda destinavit. Andegavenses eorum edomita feritate tibi famulabantur in suis. Pictavi, Wascones et Hiberi, Normannia, Flandria, Teutonicus et Suevius tuum calere ingenium, laudare et praedicare assidue studebat ». (P L 178, 371). Quae igitur Iacobus de Vitriaco narrat de dissentionibus scholarium Parisiensium sui temporis (saec. XIII) non immerito etiam de studentibus, tempore Lombardi Parisiis commorantibus, dici possent. Sic ergo scribit Vitriacus, *Occident. hist.* cap. 7: « Non solum autem ratione diversarum sectarum, vel occasione disputationum sibi invicem adversantes contradicebant; sed pro diversitate regionum mutuo dissidentes, invidentes et detrahentes, multas se contumelias et opprobria impudenter proferebant. Anglicos potatores et caudatos affirmantes; Francigenas superbos, molles et muliebriter compositos asserentes; Teutonicos furibundos et in conviviis suis obscoenos dicebant; Normannos autem inanes et gloriosos; Pictavos proditores et fortunae amicos; hos autem qui de Burgundia erant, brutos et stultos reputabant; Britones autem leves et vagos iudicantes, Arthuri mortem frequenter eis obiiciebant; Lombardos avaros, malitiosos et imbelles; Romanos seditiosos, violentos, et manus rodentes; Siculos tyrannos et crudeles; Brabantios viros sanguinum, incendiarios, rutarios et raptores; Flandrenses superfluos, prodigos et commessationibus deditos, et more butyri molles et remissos appellabant ».

M. Petri et aliorum duorum conprofessorum, qui non modo scholasticorum proterviam non compresserant, verum etiam feroces eorum animos ad plus audendum excitasse dicebantur. Ergo Iozelinus et Petrus Romam profecti sunt, causasque suas egerunt, uterque fortissime: sed M. Petrus magnam habuit apud Cardinales commendationem: itaque rei iudicio ad Sugerium ab Eugenio Pontifice remisso, ad eundem attulit eorum litteras commendatitias: ex quibus intelligitur Petrum illum ingentis fuisse famae et existimationis.

« Rem itaque sic Eugenius remittit ad Sugerium:

« *Eugenius, Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Sugerio Abbati S. Dionysii, salutem et apostolicam benedictionem.*

« Pro controversia et discordia, quae inter magistrum Petrum praesentium latorem et Iozelinum Meldensem Canonicum agitari dinoscitur, uterque nostro se conspectui praesentavit. Primum quidem Iozelinus dicebat a praedicto Petro iniuriam et violentiam sibi fuisse illatam, et propter hoc eum ad nostram audientiam appellasse. Post discessum vero ipsius Iozelini a nobis idem Petrus ad Nos veniens quae de ipso dicta fuerant, omnino negabat. Quia igitur rei veritatem ad plenum super hoc cognoscere non potuimus, causam ipsam discretioni tuae duximus remittendam. Per praesentia itaque scripta dilectioni tuae mandamus, quatinus utraque parte ante tuam praesentiam evocata, eamdem controversiam diligenter audias. Et si adversa pars iam dictum Petrum illatae violentiae reum non poterit manifeste probare, et Petrus innocentiam suam convenienter ostenderit, ecclesiasticae est moderationi conveniens, ut eum sua debeat innocentia liberare. Si vero impositae culpae immunem se nequiverit comprobare, vel quomodo causa processerit, hoc tuis nobis litteris quantocius intimabis [1] ».

« Eiusdem M. Petri causam commendarunt per litteras duo Cardinales, Ioannes [2] et Hugo: item et alius Hugo Romanus: quas litteras ipse M. Petrus Sugerio tradidit in manus. Sunt autem eiusmodi [3]:

« *Sugerio, Dei gratia venerabili Abbati S. Dionysii I[oannes] eadem gratia S. Mariae Novae Diaconus Cardinalis, salutem et dilectionem.*

« Pro latore praesentium magistro Petro dilectionem vestram plurimum rogamus, quatenus in causa sua quae vestrae prudentiae a domino Papa committitur,

---

[1] Huius epistolae textum desumimus ex Mansi, *Coll. Concil.*, t. XXI, p. 645, quia apud Bulaeum quaedam menda irrepserunt.

[2] Bulaeus male interpretatus abbreviationem I sequentis epistolae, ponit *Ivo*. Inter Cardinales autem huius temporis nullus *Ivo* nominatur; sed in subscriptione bullarum semper occurrit signatura: *Ioannes diaconus cardinalis Sanctae Mariae Novae*. Hic Ioannes fuit Canonicus regularis Sancti Frigdiani Lucensis; obiit 1153 (De Mas Latrie, *Trésor de chronologie, d'hist. et de géogr.*, p. 1185).

[3] Tres sequentes litteras habes etiam apud Duchesne, *Script. Rer. Franc.*, t. IV, p. 491 (reimpressas in P L 186, 1414 et seq.); ex quo eas sumsimus.

pium vos sentiat et mansuetum, et tantis laboribus suis misericordiae compassione propinquum. Ipse quidem asserit se ab imposita culpa immunem, quamvis si culpabilis inveniretur, leviganda esset utique propter consuetudinem et impunitatem scholasticorum excessuum. Verum quia causa ista ad Romanam audientiam delata est, et ad vestram remissa, servetur gravitas, adhibeatur et pietas, cohibeatur stultitia, honoretur scientia, doctrina formetur et charitas reparetur. Compensatis quoque utrinque laboribus ita terminus imponatur, ut curiositas et inquietus animus apud vos nullatenus locum inveniat. Pro se iste rationem pio iudici reddat, et quicunque convicti fuerint prohibitam violentiam commisisse, onere suo singuli onerentur ».

« In eandem rem sic rescribit Hugo Cardinalis:

« *Charissimo fratri et amico Sugerio, venerabili S. Dionysii Abbati, Hugo* [1] *S. Romanae Ecclesiae tituli in Lucina Presbyter Cardinalis, salutem et dilectionem.*

« Praesentium lator ad pedes domini Papae veniendo plurimum laboravit, quem pro excessibus excommunicationis vinculo innodatum nos eiusdem domini nostri mandato absolvimus. Causam autem ipsius, sicut in litteris domini Papae continetur, discretioni vestrae fore commissam cognovimus. Et quia ipsum virum siquidem litteratum et maximam pro studio disciplinae solicitudinem gerentem cognovimus, in causis eius pro eo libenter intercedimus. Unde charitatis vestrae prudentiam exoramus, ut eundem pro se tantummodo respondentem, in quantum iustitia patitur, foveatis et benigne tractetis ».

« Est et alia epistola eiusmodi:

« *Sugerio, Dei gratia Abbati S. Dionysii venerabili domino et amico suo, frater Hugo, salutem.*

« Quoniam ad pietatis officium plurimum spectat, evitare non possumus, quin pro familiaribus nostris apud amicos nostros intercedamus. Latorem itaque praesentium magistrum Petrum, cuius causa discretioni vestrae a domino Papa remittitur, pro amore Dei et nostro, in quantum iustitia patietur, sustentetis. Studium, quod semper liberalibus artibus applicuit, et honestas morum, in quantum novimus, apud benignitatis vestrae prudentiam non minimam gratiam debent promereri. Laborem etiam quam maximum hac de causa iam pertulit, et iniuste, ut ipse et nonnulli alii asserunt. In Romana quoque curia diu sustinuit, et ad hoc elaboravit, ut duo ex sociis suis eadem de causa accusati, in praesentia vestra suam ostenderent innocentiam. Quod quia impetrare non potuit, pro se solo habet respondere ».

Hic autem reapse agi de Petro Lombardo, probare intendit Bulaeus [2], atque sic concludit: « Et si quis coniecturae locus

[1] Hugo Bononiensis, Cardinalis presbyter Sancti Laurentii « in Lucina », a die 26 maii 1144, ad 18 maii 1150 bullis subscribit.

[2] Op. cit., t. II, p. 252.

est, hic probabilius mentio fieri videtur de M. Petro Lombardo: tum quia M. Petrus antonomastice et per excellentiam vulgo dicebatur, ut vel ex hoc uno loannis Saresberiensis scriptoris contemporanei loco, qui legitur in Epist. 261 [1] ad M. Oddonem, liquet; sic enim ille: ' secundum M. Petrum ter in Psalterio posita est '. Cui consentit quod idem vulgo *Magister* et *Magister Sententiarum* ad honoris et excellentiae certum argumentum appellaretur [2] ».

Quod indirecte confirmatur ex patenti testimonio Petri Pictaviensis (fuit Lombardi discipulus), qui ante 1176 scribens, dicit Petrum Romae fuisse. Occasione enim cuiusdam textus ex libro ' *De orthodoxa fide* ' loannis Damasceni a Lombardo assumti, Pictaviensis dicit [3]: « A libro isto sumsit Magister hanc auctoritatem, dum Romae esset ».

X. — Circa annum 1150 [4] Lombardus edidit celeberrimum opus, titulo ' *Libri IV Sententiarum* ', de quo infra fusius dicemus.

Iuxta Bulaeum [5], circa id tempus « Gratianus seu Gratiani opera Eugenius [papa III]... in Iure Canonico gradus academicos Baccalariatus, Licentiatus et Doctoratus instituit Bononiae. Quod exemplum imitatus Petrus Lombardus eosdem quoque Parisiis instituisse dicitur in Theologica disciplina, quorum ante ipsum nulla mentio

---

[1] Nunc epist. 284 (P L 199, 320).

[2] Quam Bulaei sententiam, cuius unicum argumentum affertur ex nomine, *Magistri* vel etiam *Magistri Sententiarum*, tunc nondum in Lombardum eo sensu usurpato, alii reiiciunt, qui ut M. J. Brial (in *Recueil des Historiens des Gaules et de la France*, t. XV, p. 455, nota d, et p. 516, nota b, Paris 1808) putant in his epistolis sermonem fieri de quodam Petro Meldensi, quem tamen a Petro Papiensi, postmodum presbytero cardinali tituli S. Chrysogoni distinguendum esse, contra Brial demonstravit H. Delehaye, *Pierre de Pavie, légat du Pape Alexandre III en France*, in *Revue des questions historiques, Nouv. Sér.*, t. V, 1891, p. 10 sqq. Cfr. Denifle, *Arch. f. Litt.-u. Kirchengesch.*, t. I, p. 610: « Nun finden wir allerdings, dass auch Petrus Lombardus als ' Magister Petrus ' oder einfach als ' Magister ' citiert wurde. Allein dies geschah erst seit der 2. Hälfte des 12. Jhs. ». Non tantum a scriptoribus sic nominabatur, sed etiam in inscriptione sigilli episcopalis Lombardi legitur: *Sigill.* Magistri Petri *Parisiensis episcopi.* Cfr. infra, p. XXI.

[3] Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 127, nota 6, qui citat MS. bibl. regiae Bambergens., Q. VI. 53, fol. 43 r.

[4] Cfr. infra, p. XXXV.

[5] Op. cit., t. II, p. 256 et seq., ac p. 689 et sqq.

fuerat ». Ad quod probandum varia adducit testimonia, quorum valorem examinare non est hic locus, licet etiam hodiedum omnes [1] admittant hos gradus circa id tempus Bononiae initium habuisse.

XI. — Die 19 ianuarii 1152 Eugenius papa III, ad preces s. Bernardi et aliorum plurium, exoravit Henricum Bellovacensem episcopum, ut Lombardo praebendam in sua ecclesia concederet. Eugenii litterae sunt sequentes [2]:

« *Eugenius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Belvacensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.*

« Ad opera pietatis illorum studium confidentius invitamus, de quorum devotione, prudentia et religione pleniorem in omnibus fiduciam obtinemus. Pro latore praesentium magistro Petro et domni Clarevallensis et aliorum plurium, quorum postulationibus consensum subtrahere nec possumus nec debemus, scripta recepimus, in quibus precabantur attentius, ut quoniam tam longo tempore scholasticis studiis utiliter et honeste per Dei gratiam insudavit, nec tamen adhuc ecclesiastico meruit beneficio sublevari, nostro id interventu assequi mereretur. Nos igitur et tantorum precibus et officii nostri debito provocati, hoc misericordiae opus fraternitati tuae, de qua in nullo diffidimus, decrevimus committendum, tanto utique id melius a te credentes exsecutioni mandandum, quanto ad similia, nostra etiam postulatione cessante, satis religiosum animum tuum divini amoris credimus emulatione succensum. Quocirca fraternitatem tuam per apostolica scripta propensius exoramus, quatenus ei pro Dei amore, pro beati Petri et nostra reverentia, pro tui pontificatus officio exaltando, praebendam in ecclesia tua concedas, ut et ipse tibi et nobis debeat esse fidelior, et ecclesiae tuae fideliter deservire, et nos fraternitati tuae gratiarum actiones reddere debeamus. Data Signiae, XIV kal. februarii ».

Notanda ibi sunt verba « ut quoniam tam longo tempore scholasticis studiis utiliter et honeste per Dei gratiam insudavit ». An immerito censeretur hunc favorem Lombardo concessum esse pro opere suo ' *Sententiarum* ', quod paulo ante [3] absolverat.

Quanta fama scientiae gaudebat Lombardus, vel ex eo erui potest quod ab ipso Summo Pontifice Eugenio III consuli meruit in

---

[1] Cfr. A. Villien, *Les grades académiques*, in *Dict. de Théol. cathol*, t. VI, p. 1688; J. A. Burns, *Arts*, in *The Cath. Encyclopedie*, t. I, p. 759; Scheuffgen, *Die Universitätsgrade*, in *Kirchenlexikon*, t. XII, p. 336.

[2] Martène, *Ampl. Coll.*, t. II, p. 636.

[3] Cfr. infra, p. XXXVI.

quaestione *de correctione fraterna*[1], uti narrant Odo Suessionensis[2] et Robertus de Cursone[3].

XII. — Anno 1159 « Magister Petrus Longobardus, ut ait Robertus de Monte[4], vir magnae scientiae et super Parisienses doctores admirabilis, electus est Parisiensis episcopus, et sacratus circa festum Petri et Pauli ». Parisiensem autem episcopatum adeptus est, ut idem testatur[5], connivente Philippo, eiusdem ecclesiae Archidiacono, Lombardi olim discipulo, qui a maiori Canonicorum parte electus, dignitatem recusavit, et Petrum in episcopum eligi petiit. Ut vilis igitur calumnia reiiciendum est assertum Gualteri a Sancto Victore, qui Lombardum per simoniam episcopatum obtinuisse affirmare non veretur[6].

---

[1] Hanc quaestionem non tractat Lombardus in libro '*Sententiarum*', sed in '*Glossa in beati Pauli Epistolas*' (P L 192, 355).

[2] Cfr. *Quaestiones Magistri Odonis Suessionensis*, ed. I. B. Cardin. Pitra, *Analecta novissima Spicilegii Solesmensis*, t. II, p. 142. Verba Odonis sunt haec: « Super hoc interrogatus Magister noster a papa Eugenio, et consultus, dubitabat enim inde Eugenius, respondit, quod si negaverit, cum a solo praelato inquiritur, ibi standum est sacerdoti, etsi sciat pro certo illum esse reum. Inquit enim quod si tunc vocaret alios, et ostenderet eis, proditor esset sceleris fratris sui, non corrector. Si autem confitetur illi soli, et vocatis aliquibus negat, iterum ibi standum est ». Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 128, n. 2.

[3] *Summa theologica*, quaest. *De correctione fraterna*, cap. 4; ex qua Launoius, op. cit., t. IV, parte 1, p. 76, haec affert: « Alexander [legas *Eugenius*] III, haesitans de ipsius expositione [praecepti de correctione fraterna] consultationem misit Parisios magistro Petro Lombardo, quaerenda ea dubia, quae de ea sunt inquirenda: scilicet utrum illud capitulum sit intelligendum de occulto crimine tantum, vel de manifesto tantum, aut de utroque simul; et qualiter sit procedendum in accusatione tali, scilicet utrum in scribendo, vel benigne admonendo; et utrum sufficiat tandem ostendere crimen fratris Episcopo loci, loco Ecclesiae. Magister Petrus Lombardus fertur respondisse, quod capitulum illud intelligendum est de occulto crimine; verbi gratia, ego solus scio solus quod fornicatus es, et non vis desistere; venio ad te dicens: Frater, dimitte hoc; et non vult desistere; et ideo dico illud Ecclesiae, vel Episcopo; ille autem ibi negat totum, et dicit se dixisse quoddam factum illis testibus, et mentitum se fuisse illis per omnia. Certe si sic fiat, non procedit ulterius accusatio. Potest tamen Episcopus talem ad purgationem cogere ».

[4] *Chronica*, apud *Mon. Germ., Script.*, t. VI, p. 509.

[5] Loc. cit., p. 510; cfr. Bulaeus, op. cit., p. 287.

[6] « ... Tu es magister in Israel et episcopus, licet simoniace intrasus in ecclesia... » (*Contra quatuor labyrinthos Franciae*, lib. II, ed. Geyer, in *Beiträge... Baeumker*, t. VII, fasc. 2-3, p. 188 *).

Episcopatus Petri duo tantum documenta hodiedum noscuntur[1], nempe Charta quaedam in *Annalibus Victorinis* relata, qua Petrus Canonicis huius monasterii asserit decimam apud Rezias, anno 1159, episcopatus anno primo; alterum vero est instrumentum, quo sanctimoniales de Edera investivit de tertia parte decimae apud Athias, datum apud Sanctum Victorem, anno 1159, episcopatus anno primo. Hoc diploma hodie conservatur in Archivo nationali Parisiis, signatum: L. 896, n° 37 (antiquitus L. 1477); et appensum habet sigillum Lombardi ex cera alba, hic reproducendum, cui inscribitur: SIGILL. MAGISTRI PETRI PARISIE[N]SIS EPISCOPI.

Quamvis ad summos honores assumtus, Lombardus modestiam semper et humilitatem summopere coluit, cuius luculentum exemplum ex Ricobaldo Ferrariensi[2] afferre libet.

« Hic cum esset episcopus Parisinus, quidam optimates illius pagi, quo fuerat genitus, eum salutandi [causa] cum matre illius, quam cum eis ducebant, Parisius sunt profecti; et quod mater

[1] Cfr. *Gallia christ.*, t. VII, col. 68.

[2] *Historia imperatorum*, apud *Rer. Ital. Script.*, t. IX, p. 124.

pauperecula erat, eam, ut decere opinabantur, vestibus ornaverunt, quibus illa ait: 'Ego novi filium meum, qui non gaudebit hoc cultu'. Profecti ergo ad episcopum Petrum, matrem offerunt, quam ille intuitus, ait: 'Haec mater mea non est: nam ego fui pauperculae filius', et oculos avertit ab ea; mater tandem comitibus viae dixit: 'Vobis dixi, novi filium meum, et mores eius; date mihi, ut vestiar vestes solitas, tunc me noscet'. Resumto ergo solito cultu ad filium reducitur. At Petrus, ubi eam sic aspexit, ait: 'Haec mater mea est; haec est pauperecula mater, quae me genuit, lactavit, fovit, et educavit'; et surgens eam sinu suo suscepit, et se iuxta fecit sedere [1] ».

XIII. — Parum temporis Parisiensi ecclesiae praefuit Lombardus, cum certum sit Mauritium Sulliacensem iam anno 1160 (12 octobris) in eius successorem electum fuisse [2]; quod luculenter confirmatur ex omnibus subscriptionibus diplomatum Mauritii [3].

[1] Nota, quod Bulaeus, op. cit., p. 755, et alii post ipsum idem factum narrant de Mauritio Sulliacensi. Bulaeus ad rem citat s. Bonaventuram in sermone *De decem praeceptis*, qui habetur ad finem collationis V *De decem praeceptis* (S. Bonav., *Op. omn.*, Ad Claras Aquas 1891, t. V, p. 525). Ast ibi legitur « fuit quidam magister magnus et famosus Parisius », quin ullum nomen citetur; cfr. notam PP. Editorum ad loc. superius citatum. Mirandum quod Féret, *La faculté de théol. de Paris et ses docteurs les plus célèbres, Moyen âge*, Paris 1894, t. I, p. 51, illud factum ex Bulaeo referens, citaverit editionem Romanam S. Bonaventurae anni 1588-96 (!); et quod adhuc dubium moverit de authenticitate supradicti opusculi, cum de ea satius scriptum fuerit in editione nostra anni 1891, t. V, p. XLII, col. b. — Iacobus Aquensis, loc. cit., dicit: « Et composuit multos libros theologie, inter quos fecit librum qui dicitur *Sententiarum*, qui legitur in scolis. Quod ut audiens mater vadit ad eum Parisius eques et bene induta; quam ipse recipere non vult nisi in habitu paupertatis, sicuti illam dimisit quando erat Novarie ».

[2] Mortet, *Une élection épiscopale au XIIe siècle, Maurice de Sully*, Paris 1885, p. 8 et 9. Idem, *Maurice de Sully, évêque de Paris*, Paris 1890. Hugonis Senonensis archiepiscopi litteras consolatorias ad Capitulum Parisiense, occasione mortis Lombardi, vide apud Bulaeum (op. cit., t. II, p. 324), qui eas affert ex Duchesne, *Hist. Univ.*, t. IV.

[3] Cfr. Guérard, *Cartulaire de Notre-Dame de Paris*, t. I, pp. 45, 48, 50, 51, 71 etc.; cfr. P L 205, 897-914. Bulaeus (op. cit., p. 325) affert quidem diploma Mauritii, quod sic datatur: *Actum apud Sanctum Victorem, astantibus Petro Praecentore Parisiensi, Nicolao presbytero, Incarnationis Dominicae anno 1190, episcopatus 56*. Unde sequeretur Mauritii episcopatum incepisse anno 1164. Ast ipse Bulaeus iam animadvertit; « si non sit error in apochae seu aerae christianae appositione ». Ibi revera errorem irrepsisse, certo constat ex ceteris omnibus subscriptionibus.

Communiter tenetur Lombardum anno 1160 [1] obiisse. Quod indubium evadit, si credere licet quae de electione Mauritii Sulliacensis narrat Stephanus Borbonicus [2]: « Cum mortuus esset episcopus Parisiensis », consulente Ludovico VII, rege Galliae, electus est Mauritius. Iamvero omnino certum est hunc anno 1160 regimen Parisiensis ecclesiae suscepisse; unde eodem anno obitus Lombardi ponendus est.

Iuxta quosdam autem [3] hoc anno Lombardus episcopatu se abdicavit (quod gratis affirmatur), et anno 1164 defunctus est. Unicum autem argumentum, cui isti innituntur, praebet annus 1164, qui tumulo Lombardi legebatur inscriptus. Ast Corrozet [4], epitaphium huic tumulo affixum exscribens, annum 1164 non refert; Dubois [5] autem expresse notat: « male adiectus est nostra aetate annus MCLXIV »; et Le Beuf [6], qui dictum monumentum et inscriptionem vidit, testatur, utraque, licet antiqua sint, tamen plus quam centum annis posteriora esse morti Lombardi. Haec ergo inscriptio anni MCLXIV, utpote aetatis recentioris, nullomodo ut solidum argumentum pro anno obitus Lombardi adduci potest.

Communiter Petrus obisse putatur die 20 iulii. Quamquam in necrologio ecclesiae Parisiensis [7] obitus eius inscribatur die 3 mai,

---

[1] Robert. de Monte in sua *Chronica*, obitum Lombardi ad annum 1161 commemorat (*Mon. Germ. hist., Script.*, t. VI, p. 511).

[2] Lecoy de la Marche, *Anecdotes historiques tirés du recueil inédit d'Etienne de Bourbon*, Paris 1877, p. 418.

[3] Protois, op. cit., p. 53; Bulaeus, op. cit., pp. 325, 326, 766; Fabricius, *Bibl. mediae et infimae lat.*, Patavii 1754, t. V, p. 262; Oudinus, *Comm. de Scriptor. eccles.*, t. II, p. 1218; Sauval, *Hist. et recherches des antiquités de la ville de Paris*, Paris 1724, t. I, p. 432; Seeberg, art. cit., p. 632. In *Chronica* Alberici Trium Fontium (*Mon. Germ. hist., Script.*, t. XXIII, p. 843), ad annum 1156 legitur quidem: « *Circa hoc tempus* magister P. Lombardus fuit Parisiensis episcopus fere *per triennium* ». Ast solus, et contra omnes, haec habet.

[4] *Les antiquitez, cronique et singularitez de Paris*, Paris 1586, fol. 44 v.

[5] *Hist. Eccl. Paris.*, Parisiis 1710, t. II, p. 122.

[6] *Hist. de Paris*, t. I, p. 196.

[7] « V nonas [Maii] .. Eodem die, obiit magister Petrus episcopus [1160], pro cuius anima habuimus triginta libras Parisiensium monete, ad stationem anniversarii die persolvendam . Habuimus etiam capellam integram in qua scilicet erat calix aureus, infula, dalmatica et tunica, bacini duo argentei cum duobus vasculis argenteis ad ministrandum aquam et vinum, breviarium in duobus vo-

ex documento, in *Librum Nigrum* eiusdem ecclesiae ad an. 1217 inserto [1], constat eius diem anniversarium mense iulio agi solitum esse. In antiquiore necrologio monasterii S. Martini a Campo prope Parisios, eiusdem fit mentio die 21 iulii [2]. Necrologium autem monasterii S. Victoris Parisiensis ad diem 22 iulii haec habet: « Anniv[ersarium] soll[emne] magistri Petri Lumbardi, Parisiensis episcopi, de cuius beneficio habuimus XLV libras, et de capella eius dalmaticam et tunicam [3] ».

In schola theologica Parisiensi memoria Lombardi summo in honore semper habita est, atque ab immemorabili tempore usque ad finem saeculi XVIII inhebantur in Theologia Baccalaurii, die 20 iulii quotannis anniversariae Missae pro suffragio Lombardi interesse [4].

Lombardus sepultus fuit in choro ecclesiae Collegiatae Sancti Marcelli [5], in suburbio Parisiensi. Super tumulum figura Magistri portantis mitram, exsculpta erat, et sequens epitaphium [6], litteris partim romanis partim gothicis [7] expressum:

HIC IACET MAGISTER PETRUS LOMBARDUS PARISIENSIS EPISCOPUS, QUI COMPOSUIT LIBRUM SENTENTIARUM, GLOSSAS PSALMORUM ET EPISTOLARUM CUIUS OBITUS DIES EST XIII KAL. AUGUSTI [*MCLXIV*].

---

luminibus, et pallium unum ante altare. Insuper habuimus omnes libros eius glosatos, scilicet Novum Testamentum totum, in Veteri Testamento Psalterium, quinque libros Moysi, quatuor maiores Prophetas, duodecim Minores, Cantica Iob, Hester, Thobiam, Iudith, librum Sapientie, Ecclesiasticum, Sentencias eiusdem et Decreta Gratiani ». Cfr. A. Molinier, *Obituaires de la Province de Sens*, Paris 1902, t. I, pp. 126 sq., in: *Recueil des Historiens des Gaules et de la France, Obituaires;* Guérard, *Cartulaire de l'Eglise Notre-Dame de Paris*, t. IV, p. 60.

[1] Cfr. Guérard, op. cit., t. III, p. 358.

[2] Cfr. A. Molinier, op. cit., p. 447.

[3] Molinier, ibid., p. 571.

[4] *Hist. litt. de France*, t. XII, p. 58. Iuxta Pioto, loc. cit., sanctus Ludovicus Galliae rex, Petro Lombardo auream erexisset statuam, cum hac inscriptione: « S. PETRO LOMBARDO NOVARIENSI, SENTENTIARUM MAGISTRO AC THEOLOGORUM MONARCHAE, PARISIENSI PRAESULI BENEMERITO, LUDOVICUS FRANCORUM REX, LUDOVICI REGIS FILIUS, AC PHILIPPI REGIS NEPOS P. ». Nullus antiquorum de hac statua verbulum habet.

[5] Cfr. Albericus Trium Fontium, Corrozet, Dubois, Sauval, locc. citt.

[6] Sauval, loc. cit.: « Mr Morel, Chanoine de Saint Marceau, précepteur du Chevalier de Vendôme, fit faire cette épitaphe ».

[7] Bulaeus, op. cit., p. 324.

CAPUT II.

De scriptis Lombardi.

Genuina Lombardi opera, constanti et unanimi scriptorum consensu, sunt: *Libri IV Sententiarum*, *Glossa in Psalmos* et *Glossa in beati Pauli Epistolas*. Haec in scholis Theologiae per varia saecula universaliter in usu fuerunt, nec unquam de authenticitate eorum vel minimum dubium exortum est. Ex his iam Gerhohus Reichersbergensis et alii, saeculo XII, quasdam opiniones impugnarunt, ut postea dicetur. Haec etiam commemorat Anonymus Laudunensis [1]; Albericus Trium Fontium [2] his verbis ea annuntiat: « Qui [Lombardus] tria fecit opuscula egregia, videlicet *Librum Sententiarum*, quod est opus excellentissimum, *Glossaturam continuam super beati Pauli Epistolas*, et opus satis grande *super Psalterium*; et haec est in scolis illa quae dicitur Maior Glossatura ». Eadem enumerat Vincentius Bellovacensis [3], qui insuper addit: « Idem etiam quosdam *Sermones* utiles composuit ».

Alia quoque scripta Magistro attribuuntur, quae vel dubia vel spuria censenda sunt [4].

De quibus omnibus tractaturi, breviter dicemus de *scriptis exegeticis, sermonibus* et *opusculis dubiis vel spuriis*; fusius vero de libro '*Sententiarum*' [5].

[1] Cfr. supra, p. VI.

[2] *Chronica*, apud *Mon. Germ. hist., Script.*, t. XXIII, p. 843.

[3] *Speculum historiale*, lib. XXIX, c. 1.

[4] Praeter quatuor supra recensita opera Lombardi, scil. *Librum Sententiarum*, *Glossam in Psalmos*, *Glossam in b. Pauli epistolas* et *Sermones* alia 18 scripta ei attribuit Cotta (op. cit., p. 256 et 257), quae ut spuria reiicienda sunt.

[5] Editiones operum Lombardi citatas invenies v. g. apud Hain-Copinger, *Repertor. bibliogr.*, et apud *Hist. littér. de France*, t. XII, p. 607 et sqq. — Optandum valde foret ut de his editionibus novum studium bibliographicum a viris in hac materia peritis institueretur, quo etiam mutuae illarum relationes manifestarentur.

Articulus 1.

scripta exegetica.

I. — Glossa super Psalmos. *Incipit prologus:* ‘ Cum omnes Prophetas Spiritus sancti revelatione constet esse locutos, David Prophetarum eximius quodam digniori atque excellentiori modo, velut tuba Spiritus sancti, quam alii, prophetavit ’.

Incipit Commentarius: ‘ Beatus vir qui non abiit... Beatus dicitur cui omnia optata succedunt ’.

Explicit: ‘ Vitae aeternae vox est: Omnis spiritus laudet Dominum ’.

Hanc Glossam sub forma ‘ *Catenae* ’ ex dictis Patrum et aliorum scriptorum ecclesiasticorum Magister contexuit, atque in exponendo textu totus innititur auctoritatibus praesertim Augustini, Ambrosii, Gregorii, Hieronymi, Hilarii, Cassiodori, Remigii Antissiodorensis, Haymonis, Rabani et Strabonis.

II. — Glossa super beati Pauli Epistolas. *Incipit prologus:* ‘ Principia rerum requirenda sunt prius, ut earum notitia plenior haberi possit. Tunc enim demum facilius poterit causae ratio declarari, si eius origo discatur ’.

Incipit Commentarius: ‘ Paulus servus... Hucusque pendet littera ut perficiatur sententia, et subintelligitur: mandat vel scribit. In hac autem salutatione primum personam commendat quatuor modis, scilicet a nomine, a conditione, a dignitate, ab officio ’.

Explicit: ‘ Gratia, id est purgatio peccatorum, et alia Dei munera sint cum omnibus vobis. Amen ’.

Hanc Glossam eadem methodo et iisdem fontibus ut praecedentem exaravit; et quidem circa a. 1140, cum Gerhohus Reichersbergensis iam a. 1142 eam cognoverit [1]. Hoc opus, non minus ac ‘ *Sententiae* ’ apud Scholasticos summo honore et auctoritate habebatur, ita ut vulgo appellaretur (uti etiam eius scriptum in Psalmos) ‘ *Maior Glossatura* ’ vel simpliciter ‘ *Glossa* ’, et a

[1] Cfr. Protois, op. cit., p. 122; de Ghellinck, op. cit., p. 127.

multis postea Commentatoribus illustraretur [1] et ipse Petrus '*Expositor*' vel '*Glossator*' vocaretur [2].

De utraque Glossa haec notat Vincentius Bellovacensis: « Cum esset inter Franciae magistros opinatissimus, glosaturam Epistolarum et Psalterii ab Anselmo [Laudunensi] per glosulas interlineares marginalesque distinctam, et post a Gilberto [Porretano] continuative productam, latius et apertius explicuit, multaque de dictis Sanctorum addidit ».

Commentario suo Lombardus plures interserit inquisitiones theologicas [3], quarum aliquas hic ponimus:

« Hic primo videndum est, quid sit praedestinatio, et de quo sit praedestinatio, utrum de eo quod semper fuit, an de eo quod ex tempore fuit; et utrum de persona, an de natura: et, si de persona est, postea attendendum est secundum quam naturam sit praedestinata (1309) [4].

« Quaeri solet a quibusdam, an secundum quod homo Christus sit Deus, vel Dei Filius (1311).

« Quaeri etiam solet utrum Christus, secundum quod homo, sit persona (1312).

« Videndum est quid sit fides, et quot modis accipiatur fides, et de quibus sit (1324).

« Solet hic quaeri, quare peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicatur (1340).

« Quaeritur autem quomodo hic dicat circumcisionem prodesse (1348).

« Solet autem quaeri utrum antiquis iustis, qui in inferno tenebantur, peccata essent remissa per fidem et poenitentiam, quam eos vere habuisse constat; et si remissa erant omnia, qua de causa apud inferos detinebantur (1363).

[1] Immerito igitur censet Bresch (*Essai sur les Sentences de Pierre Lombard considérées sous le point de vue historico-dogmatique*, Strasbourg 1857, p. 69) glossas Lombardi in Psalmos et in Pauli epistolas, post breve tempus in oblivionem abiisse.

[2] Denifle, *Die abendländischen Schriftausleger bis Luther*, Mainz 1905, p. 56 et sqq.; ac p. 94 et sqq.

[3] Ex quibus non pauca transtulit in opus '*Sententiarum*'.

[4] His numeris indicantur columnae *Patr. Lat.* Migne, tom. 191.

« Quaeritur autem quare lex Moysi dicitur lex factorum, et non lex Evangelii dicatur lex operum sed fidei, sed institutae, sed spiritus (1364).

« Hic videndum est in quo primo instituta fuerit circumcisio, et quare, et quid conferret, et quare mutata fuerit tempore gratiae, succedente baptismo (1371).

« Illud quoque attendendum est quod dicit nos iustificatos in sanguine Christi, et reconciliatos Deo, tanquam non alio modo posset nos reconciliare, et iustificare nisi per mortem Christi, de quo dicimus, quod fuit et alius modus possibilis Deo, qui omnia potest, sed nullus alius nostrae miseriae sanandae fuit convenientior (1384).

« Quaeritur quomodo per unum hominem, et non magis per unam mulierem, dicat Apostolus peccatum introisse in mundum, cum a muliere initium peccati fuerit, et ante a serpente, sive a diabolo (1388).

« Qualiter autem vetustas nostra in cruce consumta sit, videamus (1405).

« Hic quaeritur utrum lex, etsi sit bona, sit tamen efficiendo damnosa (1419).

« Est quaestio utrum spirituales homines habeant aliquid in doctrina quod carnalibus taceant, et spiritualibus dicant (1554).

« Hic quaeri solet quomodo opus illius exuri dicatur, qui aedificat lignum, fenum, stipulam, cum non de malis accipiantur operibus (1559).

« Hic dicendum est breviter quid sit coniugium, et quae sit efficiens causa coniugii, et causam propter quam contrahi debeat, et quae legitimae sint personae ad contrahendum matrimonium, et quae sint bona coniugii quibus excusatur carnalis coitus (1585).

« Sed quaeritur, si homines dii vocantur, utrum angeli vocandi sint dii cum hominibus sanctis, quibus maximum praemium promittitur aequalitas angelorum (1604).

« Quaeritur, si Deus Trinitas unus nobis est Pater, an sit ille Pater, qui aeternaliter Pater est Filium gignendo, an non, et si non, an sit alius Pater (1605).

« Diligenter animadvertendum est quare post typici agni sacramentum sui corporis et sanguinis sacramentum dedit apostolis, et quare sub alia specie; et cum sub alia, quare potius sub ista; et cum sub ista, quare sub duplici. Deinde quare aqua admisceatur; post, quid a bonis et quid a malis sumatur; deinde, quae ibi videntur esse vel fieri, utrum vere sint vel non (1641).

« Praeterea quaeri solet si non est ibi substantialis conversio, uti quibusdam placet, sed quodam locutionis tropo dicatur transire vel converti hoc in illud, eo scilicet quod sub illis accidentibus sumatur, sub quibus erat substantia panis et vini, quod de ipsa substantia panis vel vini factum sit (1645).

« Solet etiam quaeri, si aqua non apponatur oblivione, vel negligentia an irritum sit (1645)

« Quaeritur an quotidie sit sumenda Eucharistia (1647).

« Fit hic quaestio satis necessaria. Si enim fides iustificat et priores sancti apud Deum per eam iustificati sunt, quid opus erat legem dari? (127) [1].

« Quaeritur unde et quo missus est Filius (136).

« Sed aliquis forsan quaerit utrum et a Filio procedat Spiritus sanctus (138).

« Quaeri solet utrum illi, quos vivos inveniet Christus, nunquam omnino morituri sint (304) ».

Articulus 2.

SERMONES.

Plures sermones Lombardi, qui in variis codicibus sub eius nomine inveniuntur, editos dicit Hauréau [2], sub nomine Hildeberti, Petri Comestoris, Godefridi Babionis, Mauritii Sulliacensis, vel aliorum. Extracta breviora edidit Protois [3]. In bibl. Palatina Vindobonensi [4]

---

[1] Hanc et sequentes quaestiones invenies in P L tom. 192.

[2] *Notices et extraits de quelques manuscrits latins de la Biblioth. Nationale,* Paris 1890, t. I, p. 216.

[3] Op. cit., p. 126 et sqq.

[4] Cfr. *Tabulae cod. man. praeter Graecos et Orientales in bibl. Palat. Vindobonensi asservatorum,* Vindobonae 1864, tom. I. Ob tristia immaniter furentis belli tempora non licuit nobis hos codices examinare.

habentur quatuor codices continentes Lombardi *Sermones,* scil. cod. 974, saec. XII, fol. 82–150: *Petrus Lombardus, Sermones;* cod. 1292, saec. XIII, fol. 1–77 (exceptis fol. 67–68): *P. Lombardus, Sermones* (31) *de tempore et de sanctis;* fol. 77–78 *Sermo,* numero 32 signatus, forsan Petri Lombardi, incipiens: *Maria Magdalena et Maria Iacobi et Salome e. a. u. u. u. Ihum. Verba que locutus sum vobis;* cod. 1296, saec. XIII, fol. 1–43: *Petrus Lombardus, Sermones;* cod. 1298, saec. XIII, fol. 64–221; *Petrus Lombardus, Sermones de tempore et de Sanctis.*

Ex codice lat. 3537 bibl. Nationalis Parisiensis Hauréau [1] desumsit 27 *Sermones,* Lombardo ibi nominatim attributos, quorum elenchum infra ponimus. Horum occurrunt 23, sub nomine Lombardi [2] in cod. 18170 [3] (desunt nn. 21, 22, 24, 26); 24 in cod. 12415 (desunt nn. 22, 23, 26); 24 in cod. 13374 (desunt nn. 11, 12, 24); 15 in cod. 18192 (desunt nn. 4, 11, 12, 14, 20–27); 16 in cod. 16506 (desunt nn. 1, 2, 8, 11, 12, 14, 21, 23, 24, 26, 27); 25, sub nomine Lombardi, in cod. Mazar. 1318 (desunt nn. 3, 27). Codex 6674 habet tantum n. 4; codd. 14957 et 15948, n. 15; cod. 16505, n. 18; cod. 5373, n. 19; cod. Mazar. 941, nn. 11 et 12; cod. Mazar. 962, nn. 9, 10 et 13; bibl. Antissiodorensis cod. 10, et Bodleianae cod. *Laud. Misc.* 357 habent n. 1; bibl. Valencenensis cod. 215 habet n. 1 et ut opinatur Hauréau, etiam sermones 22 ex sequentibus.

Elenchus Sermonum Lombardi ex cod. lat. 3537 bibl. Nat. Paris.

1. — (Fol. 5). De Adventu. *Aspiciebam ego in visione noctis... Coelestibus Daniel flagrans desideriis, unde ab angelo eius intelligentiae ministro.* B H 238; P L 370 [4].

---

[1] Op. cit., p. 217 et sqq.

[2] Codices, quibus hoc non additur, Sermones sine auctoris nomine praebent.

[3] Codices, quibus nullum nomen bibliothecae adiungitur, sunt omnes ex bibl. Nation. Parisiensi.

[4] His indicamus editiones; B H: Beaugendre, *Oeuvres d'Hildebert;* P L: *Patrol. lat.* Migne, tom. 171. Numeri additi columnas indicant. Hic sermo, teste Hauréau, occurrit in cod. Vindobonensi 1292.

2. — (Fol. 7). De Adventu. *Iacob, benedictiones daturus filiis, praesciens in spiritu de semine suo nasciturum illum in quo fieret benedictio.* B H 245; P L 376.

3. — (Fol. 9). De Natali. *Domini est assumptio nostra... Dominus dominantium et rex regum, cui nomen est Omnipotens.* B H 251; P L 381.

4. — (Fol. 11). De S. Stephano. *Auditum*[1] *audivimus a Domino... Sicut non satiatur oculus visu, nec auris auditu, ita nec nos satiari possumus.* B H 621; P L 715.

5. — (Fol. 13). De S. Ioanne Evangelista. *Secundum dies ligni... His verbis Spiritus Sanctus per Isaiam humilium erigit corda.* B H 630; P L 723.

6. — (Fol. 15). De Circumcisione. *In monte Sion erit salvatio... Suavis et dulcis promissionis buccina cordibus fidelium insonuit*[2]. B H 265; P L 394.

7. — (Fol. 18). In Epiphania. *Congregabuntur filii Iuda... Huius diei solemnitas a prophetis in spiritu praevisa.* B H 273; P L 401.

8. — (Fol. 21). De Purificatione. *Dominus de Sina venit... Amantissimus Dei famulus Moyses, qui cum Domino de facie ad faciem.* B H 511; P L 615.

9. — (Fol. 23). De Septuagesima. *In Aegyptum descendit populus meus. Dolendum primi hominis casum totiusque in eo posteritatis ruinam.* B H 766; P L 845.

10. — (Fol. 27). *Adduxit me Dominus in montem... Sicut non satiatur oculus visu, nec auris auditu, sic animus noster.* B H 520; P L 623.

11. — (Fol. 30). *Egredimini, filiae Sion... Qui verba tantum sectatur, Salomone teste, nihil inveniet... In verbis istis, fratres carissimi, Iudaeus qui tantum carnalia cogitat.* B H 236, 368.

12. — (Fol. 30). In prima dominica Quadragesimae. *Convertere, Israel, ad Dominum... Hoc est coeleste et salubre consilium.* B H 319; P L 443.

---

[1] Ita rectius alii codices; Cod. 3537 legit *iudicium*.

[2] In hoc sermone a verbis *Tria sunt silentia* (P L 171, 397 et sqq.) multa saepe ad verbum conveniunt cum quodam sermone Hugonis a Sancto Victore (P L 177, 315 et sqq.).

13. — (Fol. 33). *Usquequo, piger, dormies?... Sicut vigilantibus promittitur regnum, ita dormientibus sapientia.* B H 328; P L 451.

14. — (Fol. 35). *Egredere de terra et de cognatione... Magnum quidem est ac difficile ad quod Dominus nos hortatur.* B H 775; P L 853.

15. — (Fol. 39). *Seminate vobis in veritate... Quoniam isti sunt dies quos observare summa diligentia debemus.* B H 334, P L 456.

16. — (Fol. 42). In Ramis palmarum. *In Sion levate signum... Verba ista quibus congregari et levare signum adversus leonem.* B H 373; P L 491.

17. — (Fol. 46). De Annuntiatione. *Audita feci tibi nova... Verba sunt ista Spiritus sancti in visione sancto Isaiae loquentis.* B H 499; P L 605.

18. — (Fol. 48). De Coena. *Pone mensam, contemplare... Huius diei sacramentum ingenti cordis devotione ac corporis moderatione esse celebrandum.* B H 394; P L 510.

19. — (Fol. 53). In receptione poenitentiae. *Convertimini et agite poenitentiam... Attendite, fratres, quam dulci voce, quam paterno affectu revocat nos pater mitissimus.* B H 410; P L 524.

20. — (Fol. 65). *Egredimini, filiae Sion... Sicut nemo novit, testante apostolo, quae sunt hominis.* B H 220; P L 352.

21. — (Fol. 69). De Paschali tempore, sive ante Passionem. *Statue tibi speculum... Pia et salutaris est ista exhortatio.* B H 795 [1]; P L 871.

22. — (Fol. 72). In Laetaniis. *Bonus est Dominus sperantibus... Cum faciem Dei nostri semper quaerere debeamus.* B H 458; P L 567.

23. — (Fol. 55) In Parasceve. *Spiritus oris nostri Christus... Haec sunt verba Ieremiae in Threnis, imo Spiritus sancti in propheta loquentis.* B H 712; P L 796.

---

[1] Textus incompletus; quae desunt edidit Hauréau, *Not. et extr. des manuscr.*, t. XXII, parte 2, p. 452.

24. — (Fol. 59). De eodem die. *Si exaltatus fuero a terra... Humilis et mansuetus David, manu fortis et aspectu desiderabilis.* B H 589; P L 685.

25. — (Fol. 62). In die Resurrectionis dominicae. *Filius accrescens Ioseph... Israel, filiis congregatis benedicens ac novissimis temporibus futura praedicens.* B H 445; P L 556.

26. — (Fol. 73). De Trinitate. *Convertimini, filii, revertentes... Non est hoc hominis, sed Spiritus sancti consilium.* B H 307 [1]; P L 432.

27. — (Fol. 77). In Ascensione. *Non est vir in domo sua... Optatus nobis, dilectissimi, dominicae Ascensionis dies advenit.* Ineditus.

Sequentes insuper *Sermones* alibi apud Hauréau [2] indicantur:

28. — *Spiritu sancto Isaias edoctus, in anno, inquit, quo mortuus est rex Osias.* Sub nomine Lombardi in cod. lat. Nation. Par. 12415 (fol. 52); sine nomine in codd. lat. 3730 (fol. 177), et 16331 (fol. 148); in cod. 14867 (fol. 122) inter varia scripta Hildeberti. Auctor dubius manet. B H 701; P L 786.

29. — Sermo communis P. L. *Quis dabit mihi pennas?... Videntur haec verba esse peccatoris qui longius abvolavit in regionem longinquam.* Etiam in cod. 6674 (fol. 13); 14925 (fol. 117); 14948 (fol. 74); 14957 (fol. 137, incomplete); 16461 (fol. 105 sub nomine *Petri L.*). In bibl. Vatic. cod. Urbin. lat. 108 (fol. 126). Integrum edidit Hauréau [3].

30. — *Imago terreni est vetustas, imago coelestis novitas.* Extractum. Cod. 14804 [4]. B H 415; P L 529.

31. — *Non solum abiit Adam, sed et stetit et sedit.* Extractum. Cod. 14804 [5]. B H 309; P L 434; finem huius edidit Hauréau [6].

---

[1] Textus incompletus; quae desunt edidit Hauréau, op. cit., t. XXII, parte 2, p. 121.

[2] Op. cit., t. II, p. 80.

[3] Op. cit., t. III, p. 44-49.

[4] Hauréau, op. cit., t. III, p. 145.

[5] Hauréau, ibid.

[6] Op. cit., t. XXXII. parte 2, p. 121.

Articulus 3.

scripta dubia vel spuria.

Merito ut spuria, vel saltem valde dubia, haberi debent sequentia opera, quorum nullum a coaevis vel antiquis scriptoribus Lombardo unquam tributum fuit, quaeque pro memoria tantum recensemus.

I. Commentarius in concordiam evangelicam. Huius operis citantur editiones a. 1483 et 1561 [1].

II. Glossa in Iob. Iuxta Le Long [2] huius operis inediti codex asservabatur in bibl. monasterii Savinianensis. Tempore perturbationis Galliae, ad finem saec. XVIII, libri et codices huius monasterii translati fuerunt in bibliothecam Abrincensem. Ast hodie neque in hac, neque Parisiis in bibl. Nationali dictus codex invenitur [3].

III. Methodus practicae theologiae. Huius inediti scripti codicem Sanderus [4] dixit asservatum in bibl. monasterii Affligbemensis, in Belgio.

IV. Apologia, quam Lombardus in sui defensionem adversus '*Eulogium*' Ioan. Cornubiensis scripsisset. De qua Lelandus [5] haec habet: « *Eulogium* a Ioanne scriptum causa inimicitiae magna fuit inter eum et Petrum Longobardum Theologum insignem; cuius et adhuc penes me exstat *Apologia,* quae *Eulogio* Coriniani accurate, severe et acute respondet, et veluti cum hoste de triumpho ambitiose miles veteranus contendit ». Iamvero certum est *Eulogium* exaratum esse inter a. 1175 et 1177. Aliud etiam opusculum eiusdem Cornubiensis de eadem materia tractans, quod '*Apologia de Verbo Incarnato*' inscribitur (PL 177, 295), extractum fuit ab ipso auctore ex memorato *Eulogio;* unde illo posterius est. Sic ergo corruunt omnia quae narrat Lelandus. Quomodo enim Lombardus cum Cornubiensi contendisset « veluti miles veteranus », cum constet Cornubiensem opuscula, de quibus agitur, non scripsisse nisi

[1] *Dictionn. de Patrol.*, t. III, col. 1140.
[2] *Bibl. bibl. exeget.*, p. 901.
[3] Protois, op. cit., p. 148.
[4] *Bibl. belg. manuscr.*, t. V, parte 2, p. 147.
[5] *Comment. de script. Britannicis*, t. I, p. 227.

multo tempore post mortem Lombardi (1160)? Si ergo probari aliquando posset *Apologiam,* quam vidit Lelandus, esse opus authenticum Magistri (quod hodie non constat), certum tamen maneret eam contra supradicta Cornubiensis opuscula scriptam non fuisse [1].

V. Epistolae tres. De his sequentia notat Oudinus [2]: « In bibl... Paulina Lipsiensi, ut habetur ex illius catalogo MSS codicum, per Ioachimum Fellerum anno 1686, in 16, Lipsiae impresso, pag. 182, codice 10, extant Repositorio Theologico IV, serie III, in folio: *Epistola Arnoldi Metensis ecclesiae Praepositi ad Petrum Lombardum,* et *Lombardi epistolae duae ad Philippum archiepiscopum Rhemensem* ». Ast tempore, quo dictae epistolae scribi debuissent, nullus in Metensi ecclesia Arnoldus, nullus in Remensi Philippus Praesul invenitur [3].

Articulus 4.

LIBRI IV SENTENTIARUM.

§ 1. — *De aetate huius operis.*

Circa tempus quo Lombardus exaraverit opus ' *Sententiarum* ', inter doctos variae sunt sententiae.

Bulaeus [4] et Protois [5] scriptum dicunt anno 1152, nullo adducto argumento; Fournier [6] 1150-52 proponit; Denifle [7] asserit illud iam initio anni 1150 certo terminatum fuisse, ex eo sumens argumentum quod Gualterus Mapes [8] inter Magistros famosos, anno 1150 anteriores, nominet « celebrem theologum... Lombardum ». Hic

---

[1] Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 153 et seq.; Grabmann, op. cit., t. II, p. 399.

[2] *Comm. de script. Ecclesiae antiquis,* Lipsiae 1722, t. II, p. 1220.

[3] Gams, *Series episcoporum,* p. 293 et 608.

[4] Op. cit., tom. II, p. 256.

[5] Op. cit., p. 89.

[6] *Deux controverses sur les origines du Décret de Gratien* (apud *Rev. d'hist. et de litt. relig.,* t. III, 1898, p. 259).

[7] *Arch. f. Litt. u. Kirchengesch.*, t. I, 1885, p. 611.

[8] Cfr. Wright, *The latin poems,* London 1841, p. 28, ubi habes sequentes versus Gualteri: « Celebrem theologum vidimus Lombardum,
Cum Ivone Helyam Petrum et Bernardum,
Quorum opobalsamum spirat os et mundum ».

autem ' celeber ' effectus est inter theologos per opus suum ' *Sententiarum* '; unde illud exaratum esse inter 1145-50 probabile videtur. Hodiedum haec sententia communiter ut maxime probabilis, immo ut quasi certa tenetur [1]. Argumento autem a Denifle adducto aliud multo fortius additur, sumtum ex eo quod Lombardus citet scriptum Ioannis Damasceni ' *De orthodoxa fide* ' iuxta versionem Burgundionis. Scimus enim hunc librum Damasceni, iubente Eugenio III, a Burgundione in latinum versum esse circa a. 1148-50 [2]. Ex alia parte novimus Lombardum opus Damasceni cognovisse, dum Romae esset. Occasione enim alicuius textus Damasceni a Lombardo citati Petrus Pictaviensis testatur [3]: « A libro isto sumsit Magister hanc auctoritatem dum Romae esset ». Hoc autem iter Lombardi rectius circa 1149-50 ponendum esse videtur, ut iam diximus [4]. Ex quibus omnibus recte concludere licet Lombardi opus iam anno 1150 absolutum fuisse.

Originale ' *Sententiarum* ' Lombardi transiit in possessionem Stephani Langton, qui illud in testamento suo, die 28 octobris a. 1171, legavit ecclesiae Parisiensi [5] « pro pauperibus scolaribus in theologia studentibus », et sic describitur: « Item originale Sententiarum magistri Petri Lombardi in quodam libro cooperto de corio vitulino, iam quasi depilito, cum clavis rotundis de cupro in asseribus ». Hic pretiosissimus codex usque ad an. 1756 in bibliotheca ecclesiae Parisiensis Nostrae Dominae asservabatur, quo tempore Canonici codices manuscriptos regi Ludovico XV vendiderunt. At nondum repertus est.

§ 2. — *De eius natura* [6].

Opus ' *Sententiarum* ' Lombardi recte definiri posset: Compendiosa, completa ac coordinata totius Theologiae sui temporis expositio, ex auctoritatibus sacrae Scripturae, sanctorum Patrum

---

[1] Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 130.

[2] Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 247.

[3] Cfr. supra, p. XVIII.

[4] Cfr. supra, p. XV.

[5] Denifle-Chatelain, *Chart. Univ. Paris.*, t. I, n. 437, p. 494; t. II, n. 598, p. 72.

[6] Cfr. Stöckl, *Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, Mainz 1864, t. I, p. 392; de Ghellinck, op. cit., p. 134 et sqq.; Grabmann, op. cit., t. II, p. 359 et sqq.

ac Doctorum, et Conciliorum canonibus. Quare a Gerhoho [1], circa 1163 64 scribente, Lombardus merito nominatur: « Ille magister Petrus, egregius multarum et diversarum ecclesiasticarum et scholasticarum tam antiquarum quam et novarum sententiarum collector ». Ipse Magister [2] naturam sui operis clare exponit his verbis Prologi: « In labore multo ac sudore volumen, Deo praestante, compegimus ex *testimoniis veritatis* in aeternum fundatis. In quo *maiorum exempla doctrinamque* reperies ». Et infra [3]: « brevi volumine complicans *Patrum sententias,* appositis eorum testimoniis ». Finem etiam sibi propositum sic ipse describit [4]: « fidem nostram *adversus errores* carnalium atque animalium hominum Davidicae turris clypeis munire vel potius munitam ostendere, ac *theologicarum inquisitionum* abdita aperire... studuimus ».

Natura autem et momentum huius operis Lombardi tunc solummodo iusto valore ponderari possunt, cum scientiae theologicae formatio, anteactis temporibus sese evolvens, prae oculis teneatur [5]. Nam usque ad initium saeculi XII materia huius doctrinae sparsa et informis iacebat tota in consarcinatis illis collectionibus sententiarum Patrum, quae vulgo *Florilegia, Defloraliones, Sententiae,* etc. dicebantur. Iuxta has collectiones regulae probatorum auctorum habebantur, ad Scripturae et Patrum sententias, quae aliquando adversae et oppositae viderentur, ad concordem sensum reducendas. Insuper non pauci circumferebantur *tractatus particulares* circa unam alteramve fidei materiam, occasione controversiarum contra haereticos, vel litis de Investituris exarati; ast penitus deerat 'Corpus' quoddam Theologiae, quod simul totam fidei doctrinam complecteretur. Insuper acris vigebat controversia circa usum Dialecticae in exponendis veritatibus fidei: alii enim has veritates sacris tantum auctoritatibus fulciendas praedicantes, Dialecticam ut

[1] *Liber de gloria et honore Filii hominis,* cap. 19 (P L 194, 1143).

[2] Cfr. infra, p. 3.

[3] Ibidem.

[4] Ibidem, p. 1. Idem aliis verbis in eodem Prologo (p. 3) repetit.

[5] Haec longius evolvere indoles huius Praefationis non permittit; quapropter remittimus ad opera iam supra citata Stöckl, t. I; de Ghellinck; Grabmann, t. II; Robert, *Les écoles et l'enseignement de la théol. pendant la première moitié du XIIe siècle,* Paris 1909.

fidei subversivam arcebant; alii vero praeter sacras auctoritates etiam philosophicas rationes utiliter adhiberi posse censebant. Tres erant ut Philosophorum ita et Theologorum sectae, quas recte sic describit Bulaeus [1]: « Una Veterum, qui fidei dogmata sacrae Scripturae et SS. Patrum authoritatibus et argumentis confirmare contenti erant. Altera Modernorum (qui et Scholastici dicebantur). Et illi regulis Aristotelicis et Dialecticis nimio fortasse plus quam Theologos decuisset, confisi, plurimas propositiones curiosas, sed inutiles et ad errorem potius quam ad veritatem inducentes dictabant et conscribebant. Tertia veluti inter extremas media eorum erat, qui non reiiciebant quidem Aristotelem et Philosophos, sed intra fines circumspectae prudentisque Theologiae se continebant et ad sobrietatem sapiebant ». Talis erat rerum status in scholis theologicis circa finem saeculi XI. Iam vero saeculo XII ineunte, magno labore a plerisque Magistris suscepto, ‘Corpus’ quoddam Theologiae compositum fuit. Ante Lombardum opera huius generis protulerunt Anselmus Laudunensis, Robertus Pullus et alii; sed inter omnes eminent scripta Abaelardi ‘ *Sic et non* ’, ‘ *Theologia christiana* ’, et ‘ *Introductio ad Theologiam* ’, et illud Hugonis a Sancto Victore ‘ *De Sacramentis christianae fidei* ’ et quae ei adscribitur ‘ *Summa Sententiarum* ’. Omnia tamen longe superavit opus Lombardi, quod recte vocari meruit terminus ad quem omnia tentamina circa coordinationem et expositionem Theologiae, a Magistris anteacti temporis facta, confluunt; et simul terminus a quo ulteriores perfectiones doctrinae sacrae initium sumserunt.

Rationes propter quas ceteris id genus operibus, illud Lombardi praeferri meruit, variae quidem sunt, sed ante omnia in ipsa natura operis potius sunt quaerendae [2]. Exhibet enim brevi volumine plane orthodoxum (exceptis quibusdam propositionibus) ‘Corpus’ scientiae theologicae, insimul exponens omnes quaestiones a Magistris tunc temporis agitatas, cum responsionibus in scholis communiter receptis; ita tamen ut in quaestionibus liberae disputationi subiectis, nullius determinatae scholae sententiam

[1] Op. cit., t. I, p. 200.

[2] Cfr. Simler, *Des Sommes de théologie*. Paris 1871, p. 93 et seq.; Protois, op. cit., p. 116.

propugnet, sed diversis opinionibus expositis, cuique relinquat solutionem eligendam, quae magis placeat [1]. Ut enim pulcre scribit Espenberger [2]: « singulari dexteritate per medias disputantium turbas incedit, a singulis aequaliter distans, omnes amice salutans, nulli ex animo addictus ».

Quod ad methodum tandem attinet, Lombardus, uniformiter et modo analytico procedens, ad singulas quaestiones affert auctoritates « pro et contra » ex sacra Scriptura et Patribus; quibus per viam dialecticam ad concordiam reductis, responsionem proponit. Deinde per quaestiones subtiles quas proponit, apud lectorem studium investigationis excitat, et Commentatoribus abundantem subministrat materiam ad ulteriorem inquisitionem. Tandem in quaestionibus philosophicis et dialecticis cum sana moderatione procedit, nec unquam solam rationem sequitur in scrutandis fidei mysteriis, sed sacris auctoritatibus inprimis inhaerens, viam Theologiae positivae sequitur.

Haec sunt quae operi Lombardi favorem conciliarunt tam coaevorum quam subsequentium Magistrorum.

Sane ex toto perfectum non erat opus Lombardi, ac quaedam recte ut defectus obiiciuntur [3]. Ast certo omnem modum excessit Melchior Canus [4], haec scribens: « Ceteri scholae auctores, perturbatione rationis atque ordinis multum omnino peccaverunt, Magistrum videlicet secuti, in cuius quatuor sententiarum libris multa quidem lectio sanctorum apparet, et pro tempore illo haud mediocris sane eruditio. Sed praeter distinctionum vocabula, in quas libri

---

[1] Eamdem methodum sequitur Petrus Pictaviensis, discipulus Lombardi, illamque his verbis, quae merito etiam operi Lombardi applicarentur, exponit: « Disputabilia igitur sacrae Scripturae ut rudimentis ad eam accedentium consulamus, in seriem redigentes, inordinata in ordinem redigimus; inveterata per modestam inquisitionem renovamus; solutiones ubi de medio montium fluxerunt adhibemus. Ubi vero Scriptura tacuerit, sumpto pleno pugillo de simila, quod reliquum est de sacrificio filiis Aaron dimittimus. Quod si nec illi edisseruerint donec sole incalescente manna liquefiat, quod de agno comedere non poterimus igni cremandum relinquimus » (P L 211, 789).

[2] *Die Philosophie des Petrus Lombardus und ihre Stellung im zwölften Jahrhundert* (in *Beiträge... Baeumker* tom. 3, fasc. 5, p. 21).

[3] Scheeben, *Dogmatik*, t. I, p. 427.

[4] *Loci theologici*, lib. XII, c. 3.

illi divisi sunt, nihil distinctum fere videas, recteque et ordine distributum. Testimoniorum congeriem dicas potius quam dispositionem et rationem disciplinae. De Trinitate prima est illi disputatio. Ita prius relata quam absoluta persequitur. Nam de iustitia et misericordia Dei in quarto sententiarum quasi praeteriens disputavit. De virtutibus in tertio. De vitiis quibusdam item in quarto. Innumera sunt eiusmodi confuse ab illo perturbateque tractata. Quamobrem scholasticis, qui huius vestigiis inhaeserunt, confusa etiam fere ac perturbata sunt omnia ». Quam exaggerate haec dicta sint, nemo est qui non sentiat [1].

Alii [2] opus Lombardi imperfectum dixerunt, eo quod ibi non tractetur de Sacra Scriptura, de Ecclesia, de Primatu Summi Pontificis, de Conciliis, etc. Ast dicant nobis isti, quisnam Scholasticorum saec. XII de his ex professo agere unquam cogitavit!

§ 3. — *De divisionibus operis.*

Opus Lombardi divisum apparet in *quatuor libros,* qui singuli in *distinctiones,* hae iterum in *capitula* subdividuntur.

Distributio operis in *quatuor libros,* per *capitula* subdivisos, ab ipso Lombardo est introducta, qui in Prologo [3] aperte dicit: « in labore multo ac sudore volumen, Deo praestante, compegimus ex testimoniis veritatis in aeternum fundatis, in *quatuor libris* distinctum ». Et paulo infra: « Ut autem quod quaeritur facilius occurrat, *titulos* quibus singulorum librorum *capitula* distinguuntur, praemisimus ». Haec capitula, in pluribus antiquis codicibus, numerum habent appositum, qui etiam in textu repetitur. Sic v. g., secundum quosdam codices, liber primus habet capitula 207; secundus 266; tertius 161; quartus 278 [4]. Etiam auctor libri ' *De vera philosophia* ', circa finem saeculi XII scribens, citat iuxta numerum capitulorum [5].

[1] Cfr. etiam Stöckl, op. cit., t. II, p. 393 et sqq.; Scheeben, op. cit., t. I, p. 426 et sqq.; Protois, op. cit., p. 57-98; *Hist. litt. de France,* t. XII, p. 589-601.

[2] Fleury, *Hist. eccles.*, l. VII, n. 34.

[3] Cfr. infra, p. 3.

[4] Cfr. infra, p. LXX.

[5] Citat usque ad capitulum 234 primi libri; cfr. P. Fournier, *Etudes sur Joachim de Flore et ses doctrines,* Paris 1909, p. 71 et sqq.

Erraret utique qui vocabulum ‘ *Capitula* ’ sensu moderniori intelligeret, quasi per ea sectiones logicae indicarentur. Ipse enim Lombardus eo vocabulo utitur aliquando ad designandum solummodo *argumenta*. Sic v. g., libro III, num. 50 (dist. 7, c. 2), habet: « quae subditis continentur capitulis ». His autem capitulis nihil aliud designatur quam quatuor brevissimi textus Augustini, ut *argumenta in contrarium* adducti. Etiam apud s. Bonaventuram vox *capitulum* pro *argumento* sumitur, v. g. libro II, dist. 28 [1], dicit: « Ex quo sumuntur duae rationes, ad quas Magister respondet duobus *capitulis* ». Haec autem *capitula* nihil aliud sunt quam duo *argumenta*, quae Lombardus in dist. 28, c. 3 [2], adducit contra Pelagianam haeresim. Deinde Scholastici, dum Lombardum citant, saepius remittunt ad *capitula*, non quidem per numerum quemdam (v. g. cap. 3), sed per prima verba eorumdem v. g. *Nunc vero iam*, id est liber I, dist. 3, cap. 2. Notandum autem, quod Scholastici sic remittunt non solum ad initia Capitulorum, qualiter in editionibus modernis exhibentur, sed etiam ad multas istorum subdivisiones. Ex his patet vocabulo *Capitula* proprie designari quaecumque membra seu partes textus, quaecumque sit quaestio quae agitur.

Lombardus elenchum horum capitulorum *praemisit*, id est, titulos capitulorum *quatuor librorum simul* posuit post Prologum [3], quem absoluto toto opere, scripsit [4]. Codices generatim, etiam antiquissimus ille Trecensis n. 900, scriptus anno 1158, ante initium cuiusque libri elenchum capitulorum respectivi libri praemittunt; quem ordinem et nos secuti sumus. Incredibile autem dictu est quanta negligentia amanuenses hunc elenchum transcripserint, titulos supprimendo, alios addendo, immo ipsum elenchum truncando [5].

Deinde notandum, quod si Lombardus titulos capitulorum praemisit, non inde sequitur ipsum *in corpore libri* istos adhibuisse

[1] *Oper. omn.*, Ad Claras Aquas 1885, t. II, p. 674, col. B.

[2] Cfr. infra, p. 453 et sqq.

[3] Talis videtur esse sensus obvius verborum Prologi (cfr. infra, p. 3) « titulos, quibus *singulorum librorum* capitula distinguuntur, praemisimus ».

[4] Ipse enim ad finem Prologi (infra, p. 3) testatur: « in labore multo ac sudore volumen, Deo praestante, *compegimus* ». Cfr. Dionys. Carthusian., *Comment. in IV libros Sentent.*, *Opera omnia*, Tornaci 1902, t. XIX, p. 52.

[5] Cfr. variantes lectiones quae in nostro apparatu critico occurrunt.

ad textum distribuendum; immo contrarium potius videtur verum, quia amanuenses in distribuendo textu non videntur dictum elenchum prae oculis habuisse, cum titulos *Capitulorum* alia omnino forma proponant, et alios multos praeterea addant; et quidem in his transcribendis mira fidelitate conveniunt omnes [1]. Editores operum s. Bonaventurae titulis capitulorum in elencho positis ad divisionem textus usi sunt; ast negari non potest, hoc modo textus geminam unitatem et coordinatam distributionem frequenter penitus deformari, immo aliquando textum in media propositione truncari [2]. Quapropter licet hanc distributionem, a Praedecessoribus receptam, generatim retinuimus, claritati tamen et connexioni textus praecipue consulturi, plura capitula sub uno titulo posuimus, in hoc etiam meliores codices secuti [3].

Quod spectat ad *Distinctiones* quae occurrunt in opere Lombardi (in primo libro sunt 48, in secundo 44, in tertio 40, in quarto 50), hae non a Magistro [4], sed a Commentatoribus poste-

[1] Ut unum exemplum afferamus, distinctio 4, libri I, quae in elencho habet tantum tria capitula, sequentibus titulis in codicibus (et antiquis editionibus) dividitur: *De rebus communiter.* (3) *Item quid intersit inter frui et uti aliter quam supra.* (6) *Determinatio eorum quae videntur contraria.* (7 Haec ergo) *Alia determinatio.* (8) *Utrum hominibus sit utendum vel fruendum.* (9) *Hic quaeritur utrum Deus fruatur, an utatur nobis.* (14) *Utrum utendum an fruendum sit virtutibus.* (12) *Epilogus.* (16).

[2] Cfr. lib. II, d. 14, c. 3; d. 17, c. 2; d. 24, c. 7; III, d. 28, c. 3; IV, d. 5, c. 8.

[3] Sic egimus in sequentibus locis: *Libro* I, d. 35, cc. 1-6. *Libro* II, d. 14, cc. 1-3; d. 17, cc. 1-2; d. 24, cc. 6-8, et cc. 9-12; d. 27, cc. 2-3; d. 30, cc. 2-3, cc. 4-5, cc. 9-10, et cc. 11-14; d. 31, cc. 1-2; d. 41, cc. 1-2; d. 42, cc. 7-8. *Libro* III, d. 6, cc. 4-6; d. 7, cc. 1-2; d. 9, cc. 1-2, d. 17, cc. 1-2; d. 19, cc. 1-4, et cc. 5-6; d. 20, cc. 1-4, et cc. 5-6; d. 23, cc. 2-3, et cc. 7-8; d. 28, cc. 2-4; d. 32, cc. 2-3; d. 37, cc. 1-3, et cc. 3(continuatio)-6; d. 38, cc. 3-4; d. 39, cc. 1-3, et cc. 4-11. *Libro* IV, d. 1, cc. 2-4; d. 2, cc. 2-3; d. 3, cc. 2-3; d. 4, cc. 5-6; d. 5, cc. 1-2; d. 8, cc. 4-5, et cc. 6-7; d. 11, cc. 5-6; d. 12, cc. 2-4; d. 14, cc. 1-2; d. 15, cc. 1-7; d. 17, cc. 2-3; d. 21, cc. 1-6; d. 23, cc. 1-2; d. 24, cc. 1-3, cc. 11-12, et cc. 14-16; d. 26, cc. 1-4; d. 27, cc. 3-4, et cc. 5-10; d. 28, cc. 1-2, et cc. 3-4; d. 30, cc. 3-4; d. 31, cc. 1-3, et cc. 6-7; d. 33, cc. 1-2; d. 39, cc. 2-3, et cc. 6-7; d. 41, cc. 3-4, et cc. 5-9; d. 42, cc. 3-4; d. 44, cc. 1-3

[4] Errant igitur Protois, op. cit., p. 100, ubi ait: « Quant à celui des *Sentences*, il est divisé en *chapitres* intitulés *distinctions* » et A. Annat scribens: « Divers extraits... fluissent par faire un chapitre, une 'distinction', *comme dit Pierre Lombard.* » (*Bullet. de littér. ecclés.*, Toulouse, ann. 1906, p. 89).

rioris aevi, qui in earum distributione generatim conveniunt [1], introductae sunt. In antiquioribus codicibus penitus desunt, vel recentiori manu additae sunt. Auctor libri '*De vera philosophia*' eas nondum cognovit.

§ 4. — *De notulis.*

Notulae vocantur quaedam auctoritates, quae in plurimis saltem codicibus iuxta litteram '*Sententiarum*', sed ab harum textu separatae, apponuntur. Illae quidem non sunt necessariae ad textus integritatem, sed potius dicendae sunt quaedam additicia argumenta auctoritatis, ad ea quae in littera dicuntur, plenius confirmanda. Ideoque amanuenses (nisi error subrepat) eas a textu clare distinguunt atque separant, ponendo eas vel in margine (ita codex Trecensis n. 900), vel in quadam tertia columna, ita ut littera textus in una columna sine interruptione continuetur, dum in altera columna '*Notula*' iuxtaponatur (ita ceteri nostri codices) [2]. Nos eas, minoribus litteris impressas, inter textus litteram posuimus; monitos tamen lectores volumus textus continuitatem inde non solvendam esse, sed lectionem continuandam quasi hae notulae non adessent. Animavertendum etiam, quod in quibusdam codicibus nulla istarum notularum habetur; in aliis vero non eodem numero, sed plures [3] vel pauciores, nec eodem loco occurrunt. Ex diversis modis quibus codices has notulas textui interserunt, difficile est definire quo praecise loco ponendae sint. Quantum fieri potuit, stetimus codici Trecensi, omnium antiquissimo, qui saepius aliquo signo indicat ad

[1] Ante s. Bonaventuram, v. g dist. 27, libri II incipiebat communiter a verbis *Hic videndum* (n. 243), ut ipse testatur his verbis: « *Hic videndum est quid sit virtus*, ubi communiter signatur distinctio vigesima septima, quae melius signaretur aliquantulum ante, sicut signavimus [*Hic considerandum est*, n. 239], quia ibi, ubi signatur, sicut apparet, determinatio ponitur quaestionis praecedentis ». (*Oper. omn.*, t. II, p. 652, col. B). S. Thomas dist. 27 incipit ad verba: *Si vero quaeritur* (n. 240); Richardus a Mediavilla antiquiorem reassumit assignationem. Simile exemplum occurrit lib. II, quoad dist. 15, quae rectius aliquantulum ante signaretur. Cfr. Albertus Magnus et Thomas Aquinas hoc loco et alibi.

[2] Ita etiam antiquiores quaedam editiones; aliae, ut illa domini Alcaume (P L 192), nullam *Notulam* habent.

[3] Cfr. infra, p. 281, n. *g*; p. 493, n. *d*; p. 966, n. *a*.

quem locum notulae referendae sint. In editione nostra has tantum textui interiecimus notulas, quae reperiuntur in eodem codice Trecensi et simul in uno alterove saltem ceterorum codicum quos consuluimus, aliis ad imam paginam positis. Sunt autem sequentes: in libro I duodecim, nempe numeris 18, 21, 72, 95, 153, 263, 272, 274, 279, 285, 286 et 342; in libro II una, scilicet num. 323; in libro III tres, videlicet num. 103, 169 et 191; in libro IV tres, nempe num. 76, 127 et 128.

Quaestio autem moveri potest, utrum istae '*Notulae*' sint opus ipsius Lombardi. Obstare videtur quod plerique codices eas penitus omittunt, dum alii non eas omnes reproducunt quae iam in codice Trecensi occurrunt, vel plures alias adiungunt quae in isto desunt. Insuper ad notulam libri I, num. 72, unus ex nostris codicibus annotat: « Et quia Magister non probaverat Patrem genuisse Filium voluntate, ideo haec nota posita est ». Editores *Operum omnium S. Bonaventurae*, tom. I, pag. 530, nota 1, opinati sunt illas videri ad secundam editionem Lombardi pertinere, de qua mox dicemus. Omnibus autem consideratis, sententiam praecipitare nolumus propter defectum omnis argumenti probabilis, atque rem doctioribus decidendam relinquimus.

§ 5. — *De secunda editione* '*Sententiarum*', *quae Lombardo attribuitur.*

Praepositinus, cuius verba repetit Alexander Halensis [1], aperte affirmat Lombardum duas editiones '*Sententiarum*' exarasse [2]. De quodam enim textu Magistri (libri I, dist. 31, c. 1) sic annotat [3]: « In qua sententia videtur fuisse summus magister. In prima enim editione '*Sententiarum*' dixit: similitudo est indifferens substantia; et in secunda, quasi corrigens, dixit: similitudo est indifferentia ». Reapse inter septem codices a nobis

[1] *Summa theologiae*, pars I, q. 54, m. 1, a. 1.

[2] Idem videntur innuere quaedam annotationes in margine codicum. Cfr. de Ghellinck, « *Les notes marginales du Liber Sententiarum* » (in *Rev. d'hist. ecclés.*, Louvain ann. 1913, p. 527 et seq.).

[3] Initio *Summae*, post medium primae quaestionis: *De vocabulis quae de Deo dicuntur*. Consuluimus cod. Tudertinum num. 71.

adhibitos, quinque, praeunte Trecensi saepius iam laudato, habent: « similitudo vero est indifferens essentia », et soli duo codices posterioris aetatis legunt: « similitudo vero est indifferentia [1] »; nullus autem habet « indifferens substantia ». Valde notandum est quod lectio, quae iuxta Praepositinum pertineret ad primam editionem, habetur non tantum in codice Trecensi scripto anno 1158 [2], id est circa finem vitae Lombardi († 1160), sed etiam in codice Brugensi 184, qui paulo post mortem Magistri exaratus est [3]. Insuper a nullo coaevo de secunda editione ' *Sententiarum* ' fit sermo. Ex quibus videtur concludi posse, lectionem a Praepositino adductam, in quibusdam quidem codicibus posterioris aetatis apparere, non tamen cum certitudine ipsi Lombardo, sed potius posteriori cuidam correctori forsan tribuendam esse.

§ 6. — *De fontibus* ' *Sententiarum* ' [4].

Cum in exarando opere ' *Sententiarum* ' Lombardus sibi proposuerit colligere et ordinare doctrinam Patrum « brevi volumine complicans Patrum sententias, appositis eorum testimoniis [5] », operae pretium erit examinare quorum scriptis usus sit.

Inter Patres latinos maiori numero citationum occurrit S. Augustinus, ex quo plus quam 1000 textus afferuntur; deinde ex Hilario sumuntur circa 100; ex Ambrosio paulo plures; ex Gregorio Magno 80; ex Hieronymo 70; ex Isidoro Hispalensi 48; ex Beda 37; ex Cassiodoro 8; ex Boethio 2. Ex Graecis Patribus non pauca (pro suo tempore) deprompsit, nempe ex Damasceno 27; ex Chrysostomo 15; ex Origene 13; aliquos etiam, sed multo rariores, ex Herma, Cypriano, Cyrillo Alex., Didymo, Dionysio Areopagita, etc. Multa sumsit etiam ex aliis scriptoribus ecclesiasticis, uti Rabano, Haymone, Algero Leodiensi, Paschasio Radberto, Iuliano Toletano, etc. [6].

---

[1] Cfr. infra, p. 191, nota *h*.

[2] Cfr. infra, p. LXIX.

[3] Cfr. infra, p. LXX.

[4] Cfr. Baltzer, *Die Sentenzen des Petrus Lombardus, ihre Quellen und ihre dogmengeschichtliche Bedeutung*, Leipzig 1902; Annat, art. cit., p. 84 et sqq.

[5] Cfr. infra, p. 3.

[6] Cfr. infra, indicem auctorum, t. II, p. 1047 et sqq.

Difficile dictu est quorum Patrum opera legerit in *originalibus*. Baltzer [1] censet Lombardum originalia legisse Augustini (saltem scripta principaliora), Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, Isidori et Damasceni [2]. Ast iam de Ghellinck [3] recte annotavit, omnes textus Isidori (ubi citantur huius ' *Sententiae* '), nullo excepto, inveniri apud Abaelardum (' *Sic et non* '). Operis Damasceni legit tantum quaedam capitula, iuxta versionem Burgundionis [4].

Generatim vero Patrum textus non hausit directe ex originalibus, sed ex Florilegiis, quae circumferebantur, et praesertim ex *Glossa* Strabonis, ex scriptis Abaelardi, Hugonis a Sancto Victore, et *Decreto* Gratiani [5]. Hi tres veri fontes Lombardi fuerunt; horum opera constanter prae manibus habuit; ea sibi quasi exempla proposuit [6], ita ut non immerito Lombardus appellaretur ' Abaelardus catholicus ' spiritu Hugonis repletus.

Apud Strabonem occurrunt textus, quos affert ex Origene, Hesychio, Chrysostomo, Gregorio et Beda, atque omnia quae ad partem exegeticam spectant; apud Abaelardum textus Cyrilli, Didymi et Isidori (*Sententiae*); apud Gratianum sententiae Hermae, Cypriani, Eusebii Emisseni, Rabani, etc. [7]; apud Hugonem (ex cuius opere ' *De sacramentis christianae fidei* ' non raro integra capitula quasi ad verbum sumit) textus Athanasii et Dionysii. Tanta denique, tamque evidens est dependentia Petri Lombardi, a ' *Summa Sententia-*

---

[1] Op. cit., p. 5.

[2] Solis nominibus Augustini, Hilarii, Ambrosii, et Damasceni epitheton semel vel bis additur: « egregius doctor Augustinus », « venerabilis doctor Augustinus », « illustris vir Hilarius », « illustrium virorum... Augustini, Hilarii atque Ambrosii », « Ioannes Damascenus, inter Graecorum doctores magnus ». Libro I *Sent.* nn. 1, 19, 268, 173, 181.

[3] Op. cit., p. 143, et 146.

[4] Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 249 et sqq. — Idem, *Les oeuvres de Jean de Damas en Occident* (in *Rev. des quest. histor.*, tom. LXXXVII, p. 149-160).

[5] In afferendis sententiis aliorum, saepe secundum sensum tantum, frequentius vero ad verbum eas exscribit, et quidem ita serviliter ut etiam errores suorum fontium reproducat. Cfr. Jos. Annat, art. cit., p. 89.

[6] Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 132 et sqq.; Grabmann, op. cit., t. II, p. 385 et sqq.

[7] Insuper non est dubium eum multos Patrum textus, quos iam in suis scriptis exegeticis (cfr. supra, p. XXVI) collegerat, hic rursum transcribere.

rum ' [1], ut Mignon [2] nisus sit probare ipsum Magistrum huius scripti esse auctorem; quam tamen opinionem postea retraxit [3]. Quaedam etiam subministrarunt ei ' *Sententiae divinitatis* ' ignoti cuiusdam auctoris scholae Gilberti Porretani [4]. In libro IV, pro tractatu de *Sacramento Altaris,* multa excerpsit ex Algero Leodiensi et Paschasio Radberto; ibidem in tractatu de *septem ordinibus Clericorum* fons praecipuus ipsi fuit Ivo Carnotensis [5].

Quod ad Canones spectat, qui in fine libri III et in toto libro IV frequentissimi occurrunt, Magister eos sumsit *praecipue* ex Ivone Carnotensi *vel* Gratiano. Hac restrictione utimur, quia non audemus absolute subscribere affirmationi domini Fournier [6], dicentis Lombardum Canones sumsisse ex Gratiano potius quam ex alio quocumque. Ad quod probandum, proponit 39 Canones ex libro IV Sententiarum, dist. 27 et 35, qui omnes apud Gratianum inveniuntur. Quod quidem verum est. At non minus quam 29 istorum pariter inveniuntur apud Ivonem; aliorum autem 10 qui supersunt, saltem 2 occurrunt apud Hugonem a Sancto Victore [7]. Sic ergo argumentatio domini Fournier, in hac parte, non parum infirmatur. Examinandum insuper esset utrum textus Canonum a Magistro allati magis accedant ad lectionem Gratiani, quam ad illam Ivonis. Multorum Canonum textibus examinatis, invenimus saepe Lombardi lectionem magis cum Ivonis quam cum Gratiani textu convenire. Etiam Baltzer [8], qui scripta Ivonis non examinavit, praepropere nobis videtur concludere pro Canonibus libri III num. 282, et libri IV num. 24,

---

[1] De auctore huius, cfr. Claeys-Boüüaert, *La ' Summa Sententiarum ' est-elle de Hugues de Saint-Victor?* (in *Rev. d'hist. eccl.*, Louvain, ann. 1909, p. 208-289, et 710-719); Anders, *Die Summa Sententiarum kein Werk des Hugo von St-Viktor* (in *Der Katholik*, ann. 1909, II, p. 99-117); Grabmann, op. cit., t. II, p. 290 et sqq.; de Ghellinck, op. cit., p. 119.

[2] In *Revue des sciences ecclésiast.*, ann. 1890, p. 514.

[3] *Les origines de la scolastique et Hugues de Saint-Victor*, Paris 1895, t. I, p. 31.

[4] Cfr. Geyer, *Die Sententiae divinitatis, ein Sentenzenbuch der Gilbertschen Schule* (in *Beiträge... Baeumker*, t. VII, fasc. 2-3, p. 22).

[5] Cfr. de Ghellinck, *Le traité de Pierre Lombard sur les sept Ordres* (in *Rev. d'hist. eccl.*, Louvain ann. 1909, p. 725 et sqq., ac 1910, p. 46 et sqq.).

[6] Art. cit., p. 100, 102, 113.

[7] Cfr. infra, t. II, annotationes ad citatas distinctiones.

[8] Op. cit., p. 118, n. 2; et p. 125, n. 1.

Gratianum *certo* fuisse fontem Lombardi. Cum enim uterque Canon etiam apud Ivonem inveniatur, hic aequo iure ac Gratianus pro fonte indicari posset; immo in textu Canonis libri IV num. 24, ubi Gratianus legit *lotus*, Lombardus cum Ivone habet *mersus;* unde hic potius quam ille fons Lombardi fuisse videtur. Notandum quoque, quod si Gratiani et Lombardi habeamus editiones criticas, talis editio operum Ivonis Carnotensis adhuc desideratur. Insuper varii Canones, qui apud dictos duos Collectores inveniuntur, habentur etiam apud Hugonem a Sancto Victore et Abaelardum. His diutius immorari nobis non licet; sufficiat monstrasse quaestionem adhuc sub iudice esse. Cuius examen ut facilius evadat inquirentibus, in annotatione Canonum innuimus locos tum Ivonis, tum Gratiani, tum etiam, ubi licuit, Hugonis et Abaelardi.

Fuerunt etiam scriptores, qui Rolandum Bandinelli et Gandulphum inter fontes Lombardi annumerarunt; ast hodie iam ab omnibus admittitur Magistrum non consuluisse opus Rolandi '*Sententiae*'[1], et Gandulphum suas 'Sententias' ex Lombardo compilasse [2].

§ 7. — *Controversiae circa opus 'Sententiarum' usque ad annum 1215.*

Per temporis spatium, quod currit inter annum 1150 et 1215, opus Lombardi, cito per omnes regiones diffusum [3], a multis efferebatur summis laudibus, ab aliis, sub variis titulis, incessanter impugnabatur. Omnes autem controversiae, etiam illorum qui aversione contra methodum dialecticam movebantur, circa quasdam Magistri opiniones versabantur, inter quas notissima est haec: '*Christus secundum quod homo non est aliquid*'[4], qui error 'Nihilianismus' vocatur. Hanc tamen ipse nullibi ut propriam docuit, sed mere proposuit, utpote quae in scholis disputa-

---

[1] Cfr. Gietl, *Die Sentenzen Rolands, nachmals Papstes Alexander* III, Freiburg i/B 1891, p. XVII.

[2] Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 178 et sqq.

[3] Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 164.

[4] Libro III *Sentent.*, dist. 6, 7 et 10. Cfr. Bach, *Die Dogmengeschichte des Mittelalters,* Wien 1874, t. II, p. 181 et sqq. Eamdem sententiam docuerat Rolandus Bandinelli, postea papa Alexander III. Cfr. Gietl, op. cit., p. 175 et sqq.

batur. Iam Ioannes Cornubiensis, discipulus Lombardi, notaverat [1]: « vel in scriptis suis vel in disputationibus asseruisse magister Petrus credebatur, postea nobis non asserenda, sed studiosius disserenda reliquit vel discutienda ».

Unde autem Lombardus hanc opinionem sumserit, et quid ipse de ea censuerit, idem Cornubiensis optime exponit his verbis [2]: « Quod vero a magistro Petro Abaelardo hanc opinionem suam magister Petrus Lombardus accepit, eo magis suspicatus sum, quia librum illum frequenter prae manibus habebat, et forte minus diligenter singula perscrutans, ut qui ex usu magis quam arte disputandi peritiam haberet, falli poterat. *Opinionem* suam dixi. Quod enim haec eius fuerit *opinio*, certum est; quod vero non fuerit eius *assertio* haec, ipse testatur in capitulo suo ' *Satis diligenter, iuxta diversorum sententias* ' [3]... Praeterea, paulo antequam electus esset in episcopum Parisiensem, mihi et omnibus auditoribus suis qui tunc aderant, protestatus est, quod haec non esset *assertio* sua, sed *opinio* sola quam a magistro acceperat. Haec etiam verba subiecit: ' Nec unquam, Deo volente, erit assertio mea, nisi quae fuerit fides catholica '. Postea vero per quosdam homines loquaces magis quam perspicaces, quae nec in cubiculis essent audienda, usque hodie praedicantur super tecta ».

Primi qui, vivente Lombardo, hanc opinionem impugnarunt, fuere Robertus Melodunensis et Mauritius a Sulliaco. De quibus idem Cornubiensis [4], sequentia refert. « Duos etiam venerabiles ma-

---

[1] *Eulogium*, c. 11 (P L 199, 1071). Etiam Duplessis d'Argentré recte animadvertit: « Petrus Lombardus, 3. lib., dist. 6 et 10, diversas opiniones exponit, quarum nonnullae absurdae sunt et haereticae; sed hos errores a se teneri non dicit; veri enim inquirendi studio in utramque partem disputare videtur. At, cum a scriptis Petri Abaelardi temerarias illas rationes Dialecticae sumpsisset, incertumque animum lectoris nonnunquam relinquat: idcirco Petrus Lombardus in litteris Alexandri Papae III ad Senonensem Archiepiscopum, et ad Remensem, merito reprehenditur, propterea quod 3 lib., dist. 10, dixerit Christum, secundum quod homo est, non esse aliquid. Nam, etsi alieno nomine hanc sententiam proferat, probare tamen censetur, quia eam non refellit ». (*Coll. iud.*, t. I, p. 116).

[2] Op. cit., c. 3 (P L 199, 1052).

[3] Libro III *Sentent.*, d. 7, c. 3 (num 59). Cornubiensis hic totum Magistri textum exscribit.

[4] Op. cit., c. 5 (P L 199, 1055).

gistros, quos in Theologia nihil haereticum docuisse certissimum est, Robertum scilicet Meldensem, et Mauritium hodie Parisiensem episcopum, silentio praeterire non debeo. Eorum itaque super his disputationibus vel quaestionibus scripta non legi; sed multis eorum lectionibus et disputationibus interfui, in quibus et *de homine assumto* et de aliis quibusdam magistri Petri Lombardi doctrinam *falsitatis* arguebant, ne dicam *erroris* ».

Mortuo Lombardo, Gerhohus [1] praepositus Reichersbergensis († 1169), in variis epistolis ad Alexandrum papam III et alios [2] missis, et in opusculo suo ' *De gloria et honore Filii hominis* ' [3] eum accusare cepit, quod in ' *Commentario super Psalmos* ' et in ' *Sententiis* ' errores docuerit circa dilectionem et cultum Christo debita. Hic adversarius valde timendus fuisset, quia tum zelo in reformandis ecclesiasticorum moribus, tum scriptis contra errores sui temporis fuit ubique famosus, ac ipsi Summo Pontifici et Curiae Romanae notissimus; sed in impugnandis scholasticorum doctrinis non semper recte eorum scripta intellexit, et exaggerationibus saepius indulsit.

Anno 1163 in concilio Turonensi cui, praeside Alexandro III, interfuerunt fere centum et quinquaginta Cardinales et Episcopi, ac plus quam quadringenti Abbates, scriptum Gerhohi ' *De gloria et honore Filii hominis* ' valde fuit laudatum; opinio etiam Lombardi ' *Christus secundum quod homo non est aliquid* ' disputando agitari cepit. Licet acris fervebat ibi controversia, nihil tamen contra ullam Lombardi opinionem decretum fuit, nec ulla prolata censura. Ipse enim Ioannes Cornubiensis [4] testatur: « utra pars disputantium in pugna verborum praevaluerit, nescio; sed tam iniquam et fidei christianae inimicam falsitatem in tali ac tanto Christi auditorio nullis, credo, fuisse veritatis aut victoriae titulis insignitam ».

Interim Gerhohus impigre decertare perseveravit de cultu Christo debito et de aliis multis. Ipsi cordate restitit Eberhardus, episcopus Bambergensis († 5 iunii 1172), qui Lombardi defensionem assumens,

---

[1] Cfr. Sackur, *Libelli de lite*, (*Mon. Germ. hist.*) t. III, p. 131 et sqq.
[2] P L 193, 547, 565, 571, 586.
[3] P L 194, 1075 et sqq.
[4] Op. cit. (P L 199, 1043).

in quadam epistola ad Gerhohum scribit[1]: « Hoc autem silere non possumus, quod viris scholasticis circa hoc versando derogatis et subsannatis, aliter quam vestram deceat religionem et prudentiam. Imperitis enim id moris est, ut aliis derogando suam quantulamcumque aut venditent scientiam, aut tegant seu potius detegant imperitiam[2] ». Et parum infra[3] apertius adhuc loquitur, recteque rem exponit: « Haec pie considerantes viri doctissimi et egregii aliorum doctores ad inquisitionem veritatis, quoad licet, pertingere cupientes, aliquando secundum opinionem diversorum, aliquando secundum veritatis et auctoritatis assertionem locuti sunt, et ad doctrinam aliorum scriptis suis indiderunt. Equidem magister Petrus, quem vos de sensu vestro iudicatis, qui hoc, quod breviter in '*Psalmis*' attingit de adoratione scabelli, ubi duliae et latriae facit mentionem, plenius in '*Sententiis*' suis exequitur, ubi primitus quaestionem proponendo et de ea disputando, utrum eadem sit adoratio humanitati et Deitati exhibenda, praemittit quorumdam opinionem, quod caro et anima Christi non latria, sed quadam superiori specie duliae sit veneranda. Qua sententia non approbata, aliorum supponit sententiam de una adoratione hominis et Dei, et eam Ioannis Damasceni et beati Augustini auctoritatibus corroborat... Nec prolixum videri debet, quod tam necessarium est, ne in scriptis tanti doctoris ex verbis vestris potius, quam ex suis cuiquam scandalum generetur, cum dicta eius et aliorum aut non intelligitis, aut molesta interpretatione depravatis, inter personam et naturam nullam servando differentiam ». Circa finem tandem epistolae, durioribus sed iustis his verbis utitur[4]: « Nolumus ultra vobiscum rixari de Christo, quia nec otii nostri est, nec ordinis vel officii... Persuasum itaque nobis est, et animo decretum, de talibus ultra vobis nec scribere, nec a vobis scripta recipere, ne forte de perspicuis, quasi de dubiis quaestio-

[1] P L 193, 553; cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 154 et sqq.

[2] Gerhohi imperitiam linguae Graecae detegit his verbis: « De dulia et latria satis dilatatis phylacteria, et magnificatis fimbrias .. Sed si Graecia secunda apud vos est, minus apparet, ni forsitan aut praemature de schola Graeca exieritis, aut tarde nimis accesseritis » (P L 193, 555).

[3] P L 193, 561.

[4] P L 193, 563. Durior adhuc est alia epistola eiusdem Eberhardi ad Gerhohum (P L 193, 524 et sqq.).

nantes, omnibus, qui sanae mentis sunt, insani videamur ». Prudentibus Eberhardi monitis non obtemperavit Gerhohus, sed sua ac aliorum capitula ad Summum Pontificem destinavit, rogans ut per Apostolicam sententiam quaestio dirimeretur [1]. Alexander III prudenter ab hoc abstinuit, immo aestimans « nullas utilitates... ex huiusmodi disceptationibus provenire, et potius possent inducere simplices in errorem, quam aliquid emolumenti conferre [2] », Eberhardo, episcopo Bambergensi, die 22 martii 1164, mandavit [3]: « praedictum praepositum et ceteros ab huiusmodi ulterius disputationibus, praesertim in publicis conventibus, abstinere instanter ex tua et nostra parte moneas, et omni districtione compellas ». Eodem tempore ipse Papa ad Gerhohum [4] eisdem ferme verbis scripsit, simul tamen laudans eius et fratrum suorum « sincerae mentis integritatem et integram devotionem... circa sacrosanctam Romanam Ecclesiam ».

Circa finem anni 1164, « cum per totam Franciam multae et variae sententiae haberentur de fide inter magistros francigenas, Alexander papa convocatis in unum [Senonis] scholasticis et quibusque litteratis in ipsa vigilia nativitatis Domini [24 dec.] usque ad tria, ut fertur, millia vel ultra, cum assentientibus sibi domnis Cardinalibus condemnavit et omnino interdixit omnes tropos et indisciplinatas quaestiones in theologia, Parisiensique episcopo praecepit, ut per totam Franciam eas compesceret [5] ». Qua sententia si quid contra Lombardum decernitur, non minus importunae Gerhohi et aliorum disceptationes reprobantur.

His non obstantibus, a disceptationibus non abstinebatur; immo « greges scholarium... sive magistrorum amore, sive alia causa blandiente, pertinaciter [6] » praedictam Lombardi opinionem defendebant. Iam Alexander papa Guillelmo Senonensi archiepiscopo et Sedis Apostolicae legato, viva voce iniunxerat ut, suffraganeis suis Parisiis

[1] Epist. 20 (P L 193, 574); Alexandri III Papae, epist. 242 (P L 200, 288).

[2] Alexandri III epist. cit.

[3] Ibidem.

[4] Epist. 243 (P L 200, 289); cfr. etiam epist. C. Cardinalis ad Gerhohum (P L 193, 585)

[5] *Annales Reichersbergenses*, in *Mon. Germ. hist., Script.*, t. XVII, 471.

[6] Ioan. Cornub., op. cit., c. 19 (P L 199, 1084).

adscitis, « abrogationem pravae doctrinae Petri quondam Parisiensis episcopi, qua dicitur Christus secundum quod homo non est aliquid [1] », omnino intenderet, et efficacem operam adhiberet.

Anno 1170, die 18 maii, Alexander iterum et instanter ad idem rediit in epistola quam ad eumdem Guillelmum misit, in qua sequentia leguntur [2]: « fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, quod tibi, cum praesens esses, praecepimus, suffraganeos tuos Parisios convoces, et una cum illis et aliis viris religiosis et prudentibus, praescriptam doctrinam studeas penitus abrogare; et a magistris et scholaribus ibidem in theologia studentibus, Christum, sicut perfectum Deum, sic et perfectum hominem, ac verum hominem ex anima et corpore consistentem, praecipias edoceri: universis firmiter et districte iniungens, quod doctrinam illam de caetero nequaquam docere praesumant, sed ipsam penitus detestentur ».

Omnia tamen Pontificis conamina vana manserunt, nec desideratum effectum obtinere potuerunt. Ratio huius, secundum Cornubiensem [3], in eo ponenda est quod Summi Pontificis clementia noluit « assertionem illam statim canonica ferire censura, ne eius auctores et defensores, qui forte non pertinacia sed ignorantia deliquerant, vel ipsa condemnatio pravitatis tantum involveret, vel perpetuam eis infamiae notam impingeret », et quod etiam in « littera decretali quae super abrogationem pravae illius doctrinae ad venerabilem Guillelmum, tunc Senonensem, nunc hodie Remensem archiepiscopum, legitur directa, nequaquam exprimitur *anathemate* percutsos vel etiam percellendos esse, qui errorem illum tenere seu docere praesumerent [4] ». Immo ante 1175 Petrus Pictaviensis

---

[1] Alexandri III epist. 744 (PL 200, 685).

[2] Epist. cit. (PL 200, 685).

[3] Op. cit. (PL 193, 1043).

[4] Ibidem. Martène, *Ampl. Coll.*, t. II, p. 843, ad annum 1170, ponit aliam epistolam Alexandri III, datam Verulis IV Nonas iunii (2 iunii), ad archiepiscopos Bituricensem, Remensem, Turonensem, Rothomagensem, et eorum suffraganeos, in qua haec leguntur: « fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus atque praecipimus, quatenus vos singuli in provincia vestra, ascitis vobis prudentibus et religiosis viris, pravam doctrinam, quam adhuc quidam tenent et praedicant, quod Christus videlicet secundum quod est homo non est aliquid, pe-

publice in scholis Parisiensibus Lombardi opinionem saepius citatam defendit [1], et opus suum cui titulus ' *Sententiarum libri quinque* ' [2], ipsi Guillelmo Senonensi archiepiscopo obtulit [3]. Hoc autem non parum conferre debuit ad fovendam controversiam. Quod constat ex verbis Cornubiensis [4], qui aperte fatetur Papae Alexandro: « infiniti scholares inebriati et in furorem versi, usque in hodiernum diem [1175–77] impium dogma velut catholicum praedicant ». Ut tolleretur abusus, et error penitus extirparetur, Cornubiensis misit ad Pontificem suum ' *Eulogium* ' [5], fuse probans dictam opinionem esse aperte contra doctrinam catholicam, et Pontificem enixe rogans « ut, sicut Romani Pontificatus apicem decet, generali decreto et in perpetuum valituro... praecipiat omnes in unum de *homine assumpto* certa sapere [6] ». Quod tandem Alexander III praestitit per litteras diei 18 februarii 1177 ad Guillelmum, Remensem archiepiscopum suumque in Gallia legatum, cuius tenor est sequens [7]: « Cum Christus perfectus Deus perfectus sit homo, mirum est qua temeritate quisquam audet dicere, quod Christus non sit aliquid secundum quod homo. Ne autem tanta

---

nitus abrogare curetis, et Christum sicut perfectum Deum, sic et perfectum ac verum hominem ex anima et corpore secundum quod homo consistentem, tenendum et praedicandum praecipiatis, universis *sub interminatione anathematis* prohibentes ne doctrinam illam de caetero tenere seu docere praesumant, sed ipsam penitus detestentur. Data Verulis, IV Nonas iunii ». Hanc epistolam Cornubiensis certo non novit, alias supracitata non scripsisset ad Alexandrum III. Mirum sane videretur quod Pontifex, qui in sua epistola diei 18 maii ad Senonensem archiepiscopum, non imponit *sub anathemate* ut dicta doctrina relinquatur, illam in epistola diei 2 iunii « *sub interminatione anathematis* » prohiberet docendam. Quod autem illam epistolam non receperint archiepiscopi supradicti, vel mandata Pontificis executioni non mandaverint parum verisimile videtur. Ex quo concludendum videtur illam epistolam vel esse apocryphan vel datam fuisse post ' *Eulogium* ' (1175–77).

[1] *Sentent.*, lib. IV (P L 211, 1176).

[2] Edidit etiam aliud opus, titulo ' *Glossae super Sententias* '. Cfr. Grabmann, op. cit., t. II, p. 503 et sqq.

[3] In Prologo ad op. cit. (P L 211, 790).

[4] Op. cit. (P L 193, 1043).

[5] Cfr. Bach, op. cit., t. II, p. 180 et sqq.; Grabmann, op. cit., t. II, p. 399; de Ghellinck, op. cit., p. 153.

[6] Cap. 20 (P L 193, 1085).

[7] Denifle-Chatelain, *Chart. Univ. Paris.*, t. I, p. 8, num. 9.

possit in ecclesia Dei abusio suboriri vel error induci, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus convocatis magistris scolarum Parisiensium et Remensium et aliarum circumpositarum civitatum auctoritate nostra *sub anathemate* interdicas, ne quis de cetero dicere audeat Christum non esse aliquid secundum quod homo, quia sicut verus Deus, ita verus est homo ex anima rationali et humana carne subsistens. Data Veste XII kal. Martii [1] ». Haec littera in *Decretalibus* Gregorii IX recepta est [2].

Iuxta Gualterum a Sancto Victore [3] Alexander III iterum Nihilianismi errorem damnavit in concilio Lateranensi anno 1179. Ast inter omnes coaevos scriptores solus Gualterus hoc asserit; insuper documentum quod affert, quasi esset decisio concilii Lateranensis, est ipsa epistola Pontificis ad Guillelmum Remensem archiepiscopum, diei 18 febr. anni 1177, quam supra citavimus; tandem si revera in hoc Concilio anathema latum fuisset contra dictum errorem, textus utique illius potius quam supradictae litterae in *Decretales* Gregorii IX assumtus fuisset. His rationibus ducti narrationi Gualteri nullam censemus fidem adhibendam.

Quamvis igitur per litteras decretales anni 1177, Roma loquente, res finita esset, tamen Gualterus a Sancto Victore, paulo post Conci-

---

[1] Ita iuxta *Chart., Univ Paris.*, loc. cit., ubi notatur quod « apud Friedberg c. 7, X, *De haereticis*, sicut apud Mansi, *Ampl. Coll. Concil.*, XXI, 1081, perperam legitur « XII kal. Maii ». cfr. Jaffé-Löwenfeld, num. 12785.

[2] Friedberg, t. II, p. 779; Denzinger-Bannwart, *Enchiridion* (ed. 14), num. 393.

[3] In libello suo '*Contra quatuor labyrinthos Franciae*', sic narrat: « Hoc etiam sciendum, quod Alexander papa nuper in concilio romano paraverat nominati illius (Lombardi) sententias damnare, quarum argumentis etiam Arrii et Sabelii et novorum hereticorum error diabolicus recrudescit, sc. quod Christus nichil sit secundum quod homo. Quidam vero cardinalium causam dei et fidei christiane religionis, qua stamus et vivimus, alienis negociis postponentes non recte respondentes dixerunt venerabili pape: Domne, alia maiora suscepimus tractanda. Tunc apostolicus: Immo primum et maximum de fide et hereticis agendum est. Quod illi audientes egressi sunt de consistorio. Quidam etiam episcopus Adam Wallensis exivit cum illis dicens: domne papa, ego et clericus et prepositus olim scolarum eius (Lombardi) defendam sententias magistri. Quid plura? Cessent iam putide ranarum garrulitates apostolica sede de Roma ita intonante ac diffiniente ». Hic sequitur epistola Alexandri III, data 18 febr. 1177. Cfr. Denifle, *Arch. f. Litt.-u. Kirchengesch.*, t. I, p. 406 et seq., ex cod. n. 379. bibl. Arsenal Paris.

lium Lateranense, omni vehementia in Abaelardum, Gilbertum Porretanum, Lombardum et Petrum Pictaviensem irruit, in libello famoso, qui vulgo '*Contra quatuor labyrinthos Franciae*' [1] inscribitur. Eos autem *labyrinthos* appellat, quasi *Minotaurum* (id est haeresim) in scriptis suis includentes. In principio enim operis sui ita eructat: « Quaeris quid sit labyrinthus, quo clausus fuit Minocentaurus? Quaeris quid sit [Minotaurus]? Non homo, non pecus est; pecus est, homo est, neutrumque. Quaeris quorsum ista? Talis Christus istorum. Phantasticus est Deus ipsorum. Non homo, non Deus est; Deus est, homo est, neutrumque, atque unusquisque Samarita fabricat sibi Deum. Tu vero, Christiane, verus veri Dei Israelita, fuge vitulos aureos, quos isti de cordibus suis impie Christianis proponunt. Exsuffla, inquam, istorum disputationes subtilissimas quidem, ac si aranearum telas putidas et prorsus inutiles, in quibus cum vitulis Samariae et daemones ludunt, solaeque muscae gannientes id filii perditionis illaqueantur ad mortem [2] ». Lombardum accusat de erroribus, immo de haeresi [3] circa Christum, eumque fuse et acriter impugnat. Quaedam exempla furoris eius et calumniarum sufficiant. In secundo libro inter alia occurrunt sequentia [4]: « Isti etiam multa de humanitate delirant. — O insania! Dialectica proponit: Omnis homo humanitate homo est. Assumit haereticus: At humanitas nihil est. Diabolus concludit: Nihil est ergo omnis homo. — O monstrum »! Lombardo sequentia dedicat [5]: « Tam propriae quam aliorum frivolae argumentationes ludibrio ei forent. — Petrus Lombardus diabolicis argumentis commentatur. — Rogo, tu es magister in Israel et episcopus, licet simoniace intrusus in ecclesia, et sic blasphemas? — Obstupescite omnes non dialecticam, sed plane diabolicam artem! — En frivola argumenta, quae in libro

[1] Geyer edidit librum II, in *Beiträge... Baeumker*, t. VII, fasc. 2-3, p. 175* et sqq.; cfr. Denifle, *Archiv f. Litt.-u. Kirchengesch.*, t. I, p. 404 et sqq.; Bulaeus, op. cit., t. II, p. 629-670 ac p. 402 et sqq.; Grabmann, op. cit., t. II, p. 424 et sqq.

[2] Bulaeus, op. cit. t. II, p. 200; Denifle, art. cit. p. 406, n. 4.

[3] In Prologo, v. g.: « Nova prorsus doctrina, qua nullus remanet catholicus, uti quedam heresis, que suscipit omnes hereses ». Denifle, art. cit., p. 406.

[4] Geyer, p. 179* et sqq.

[5] Geyer, p. 185, 188* et sqq.

etiam Petri Lombardi ad verbum paene leguntur... Grammatica tua haec tecum sit in perditionem! Tam impia, tam contraria, tam inaudita, tam horribilia, utrum ipse diabolus per se, an per arreptitium evomat, nemo nisi insanus dubitat. — Hic plane afflatus daemone... iniuriis secat non intelligens, ut dicit Apostolus, neque quae loquitur, neque de quibus affirmat ». ' *Sententias* ' denique Lombardi vocat « novas frivolas disputationes [1] ».

Ast tanto furoris impetu abreptus Gualterus, non raro enormiter aberrat. Inter alia, Abaelardum auctorem dicit operis ' *Sententiae divinitatis* ', quod plane ab eo discedit, et sancto Bernardo potius innititur; invehit in haereses sancti Ioannis Damasceni; alibi obiectiones Lombardi pro huius sententia proponit; Petrum Pictaviensem de haeresi accusat, ubi hic revera citat textum ex sancto Augustino [2]!

Nullum influxum habuisse Gualteri calumniosum libellum, vel ex eo argui potest quod rarissime in codicibus inveniatur [3]; insuper Petrus Pictaviensis, quem tam dure aggreditur, paulo post (circa 1193) a Summo Pontifice Cancellarius ecclesiae Parisiensis fuit institutus [4]; opus autem Lombardi, quod Gualterus ut corruptelam fidei oppugnat, mox ab omnibus recipietur ut *liber textus* theologiae, quem per varia saecula innumeri magistri commentariis illustrabunt [5].

Inter a. 1180–90 incertus quidam auctor, qui abbas fuisse videtur, contra celebriores theologos saeculi XII, invexit in opusculo quod dicitur ' *Liber de vera philosophia* ' [6]. Auctor, qui scholae Gilbertinae errores acriter defendit, ubique haeresim Sabellianam detegit, omnesque ' modernos ' ea infectos asserit. « Sabellius enim iam resuscitatus modo ubique fere regnat...; modernis vero temporibus, universo genere humano fidem Dei negligentibus, suscitavit Sabellium diabolus, et dedit ei regna omnia mundi... Inde est quod Iudaei facti sunt Sabelliani, sic et gentiles etiam universi,

[1] Geyer, p. 182*.

[2] Denifle, art. cit. p. 414-417. Duplessis d'Argentré solide refutat Gualteri libellum. *Coll. indic.*, t. I, p. 114-119.

[3] Denifle, art. cit., p. 404 et sqq.

[4] Guérard, *Cartul. de Notre-Dame*, t. II, p. 468; Denifle-Chatelain, *Chartul. Univ. Paris*, t. I, p. 64.

[5] Cfr. Protois, op. cit., p. 159.

[6] P. Fournier, *Etudes sur Joachim de Flore*, p. 54 et sqq.

necnon omnes fere Christiani, et, ut videtur, specialiter omnes Latini[1] ». Hoc criterio plenus, aggreditur Guillelmum de Conchis, Abaelardum, sanctum Bernardum, Hugonem a Sancto Victore et alios, sed maxime Petrum Lombardum. Ex huius opere ' *Sententiarum* ' non minus quam triginta et octo propositiones circa Trinitatem et Incarnationem excerpit et damnat[2]. Lombardus « magne dignitatis homo », ut ait, absque dubio spectatur, ubi auctor invehit in magistros, qui « errorem suum nomine *Sententiae* palliant, qui olim a sanctis doctoribus heresis et secta et scisma et superstitio dicebatur; sicque perit orbis universus, cum sibi stare videatur, propter negligentiam inquirende veritatis dominice fidei que ex culpa nascitur magistrorum populi: qui cum lux debent esse episcopi, fuerint tenebre[3] ». Hoc autem opusculum nullum influxum habuisse constat; quapropter non est ipsi hic longius insistendum.

Tandem circa finem saeculi XII Ioachim († 1202), abbas Florensis monasterii, qui in multis convenit cum auctore opusculi ' *De vera philosophia* '[4] ac Gilbertinae scholae doctrinis et ipse imbutus, aggredendum censuit Lombardum, et eum in suo tractatu, hodie deperdito, ' *De unitate Trinitatis* '[5] de haeresi accusavit, quasi in Deo non trinitatem, sed quaternitatem induxisset. Rem accurate sic exponit sanctus Thomas de Aquino[6]: « Ioachim abbas Florensis monasterii, non bene capiens verba Magistri, utpote in subtilibus fidei dogmatibus rudis, praedictam magistri Petri doctrinam haereticam reputavit, imponens ei quod quaternitatem induceret in divinis, ponens tres personas et communem essentiam, quam credebat sic poni a Magistro quasi aliquid distinctum a tribus personis, ut sic possit dici quasi quartum. Credebat enim quod ex hoc ipso quod dicitur[7] essentia divina nec est generans, nec genita, nec procedens, distinguitur a Patre qui generat, et a Filio qui generatur, et a Spi-

[1] Ibidem, p. 60.

[2] Ibidem, p. 71 et sqq.

[3] Ibidem, p. 61.

[4] Ibidem, p. 81 et sqq.

[5] Ibidem, p. 32 et sqq.

[6] *In decretalem II expositio*, S. Thom., *Op. omn.*, Parmae 1865, t. XVI, p. 308 a; cfr. etiam Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, (ed. 11) n. 431.

[7] Lib. I *Sentent.*, dist. 5, c. 1.

ritu sancto qui procedit ». Sed libellus Ioachim nihil officere potuit famae Lombardi, tum quia auctor nimis immoderate et inconsiderate in disputatione procedebat, tum quia haud paucae eius sententiae apertam haeresim sapiebant. Et recte sanctus Bonaventura notat[1]: « ignoranter Ioachim reprehendit Magistrum, et quia, cum esset simplex, non est reveritus Magistrum, ideo iusto Dei iudicio damnatus fuit libellus eius in Lateranensi Concilio, et positio Magistri approbata ». Concilium enim Lateranense (1215) sequens decretum edidit[2]: « Damnamus ergo et reprobamus libellum seu tractatum, quem abbas Ioachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de unitate seu essentia Trinitatis, appellans ipsum haereticum et insanum... Nos autem, sacro approbante concilio, credimus et confitemur *cum Petro Lombardo* quod una quaedam summa res est, etc. ». Sic ergo accusatio inimici occasio fuit ut ' *Sententiae* ' Lombardi summum et inauditum triumphum in Ecclesia obtinuerint.

§ 8. — *De optimo exitu ' Sententiarum '.*

Quarta saeculi XII parte volvente, opus Lombardi in scholis magnam auctoritatem et influxum habuit, quae in dies ubique crescebant: Petrus Pictaviensis[3] et Petrus Comestor[4] in illud Commentarios exarant hucusque ineditos; Petrus Cantor partes a Magistro omissas vel brevius tractatas indicat; Stephanus Langton et Guido de Orchelles ad ipsum saepius recurrunt[5]. Post Concilium Lateranense (1215) ' *Sententiae* ' Magistri ut alter *liber textus* iuxta Sacram Scripturam in scholis adhibentur[6], et ' *Baccalaurio Sententiario* '[7] imponitur ut *Sententias* studiosis explicet; sicque conti-

[1] *In I Sent.*, dist. 5, dub. 4 (*Oper. omn.* t. I, p. 121).

[2] Denzinger-Bannwart, op. cit., n. 432.

[3] Cfr. Grabmann, op. cit., t. II, p. 503 et sqq. Incipit: « Summa divine pagine in credendis consistit et agendis, in fidei assertione et morum conformatione ».

[4] Cfr. Denifle-Chatelain, op. cit., p. 158.

[5] Cfr. de Ghellinck, op. cit., p. 165.

[6] Cfr. Denifle, *Quel livre servait de base à l'enseignement des maîtres en théologie?* (in *Rev. Thom.*, t. II, 1894, p. 151 et sqq.).

[7] Hae sunt querimoniae, quas de istis Baccalauriis emittit Rogerius Baco: « Bacalarius qui legit textum [Bibliae] succumbit lectori Sententiarum Parisius et ubique, et in omnibus honoratur et prefertur. Nam ille qui legit Sententias, ha-

nuatum est per varia saecula. Multum ad hoc contulit Alexander Halensis, qui, teste Rogerio Bacone [1], « fuit primus qui legit » Sententias. Quae verba, ut ex ipso contextu patet, non ita intelligenda sunt quasi ante Alexandrum nemo Sententias Lombardi in scholis legerit, nam ut ipse ait [2], « et tunc [ante Alexandrum] legebatur *aliquando* »; sed sensus est: Halensis libro Sententiarum primus usus est pro *textu* facultatis theologicae, et « modum legendi Sententias in Universitate Parisiensi et alibi usitatum, i. e. textum Sententiarum subdividendi, super singulas partes quaestiones instituendi primus invexit [3] ». Ideoque Baco dicit [4]: « Quartum peccatum [studii theologici] est quod prefertur una Summa magistralis *textui* facultatis theologice, [Sacrae Scripturae] scil. *liber Sententiarum,* nam ibi est tota gloria theologorum ».

In exponendis tamen ' *Sententiis* ', Scholastici, nedum in verba Magistri iurarent, a Petro Lombardo nonnunquam dissentiebant, ut ex eorum commentariis vel ex nonnullis codicibus ' *Sententiarum* ' apparet, in quibus, ubi occurrunt opiniones Petri a magistris improbatae, ad marginem notatur ' *Hic non tenetur Magister* ', aut etiam invenitur collectio articulorum communiter reprehensorum. Quod iam animadvertit Duplessis d'Argentré [5], « non solemni decreto Parisiensis Facultatis proscripti sunt illi articuli, sed communi consensu magistrorum interpretum ». Talium opinionum elenchus apud s. Bonaventuram 8 articulos complectitur. E codicibus libri ' *Sententiarum* ' (in quibus praeter unum in fine inveniuntur, praeposito hoc vel simili titulo: *Istae sunt opiniones magistri Sententiarum, quae communiter* aut *hodie non tenentur*), totidem

bet principalem horam legendi secundum suam voluntatem, habet et socium et cameram apud religiosos. Sed qui legit Bibliam, caret his et mendicat horam legendi, secundum quod placet lectori Sententiarum. Et ille qui legit Sententias, disputat et pro magistro habetur; reliquus qui textum legit, non potest disputare, sicut fuit hoc anno Bononie et in multis aliis locis, quod est absurdum » (*Opus minus,* ed. Brewer, p. 329. Cfr. Denifle-Chatelain, loc. cit.).

[1] Cfr. *Opus minus,* loc. cit. (in hoc opere enumerantur ' septem peccata studii principalis quod est theologie '); cfr. Denifle-Chatelain, op. cit., num. 419.

[2] Loc. cit.

[3] Ita recte Denifle-Chatelain, op. cit., p. 474, nota 8.

[4] Loc. cit., p. 328.

[5] Op. cit., t. I, p. 418.

habent codices Vaticani latini 682 (fol. 159 v) et 692 (fol. 179 v); 19 habet Vat. lat. 691 (fol. 177 v), 21 Vat. lat. 685 (fol. II r); 22 habet Nicolaus Eymerici, O. P. († 1399), in tractatu, quem anno 1397 confecit, inscripto: '*Super declaratione XXII articulorum Magistri Sententiarum, in quibus communiter non tenetur*' [1]. Elenchum 26 propositionum circa annum 1300 exstitisse, Duplessis d'Argentré [2] arbitratus est, typisque edidit, quem in fine horum Prolegomenorum simul cum illo sancti Bonaventurae ponimus [3].

Tot fuere, a saeculo XII usque ad moderna tempora, Commentatores '*Sententiarum*' [4], ut nimis longum foret completam eorum seriem texere, cum multorum opera adhuc ignorentur. Certo multo plures extitere quam 246, quos Possevinus [5] enumerat; pro solis enim Anglis Pits [6] citat 163 Commentatores; pro solis Dominicanis Quétif et Echard [7] adducunt 152. Etiam post Concilium Tridentinum, cum '*Summa*' sancti Thomae paulatim in scholis introduci coepta est [8], opus Lombardi adhuc a variis Commentatoribus illustrabatur, inter quos nominari prae ceteris merentur: Martinus de Ledesma (1555) [9] et Dominicus de Soto (1557), ambo Ordinis Praedicatorum, Estius (1613), Ripalda S. I. [10], M. Pereyra (1714), et ultimus omnium Dominicus Lanzerini [11].

---

[1] Cfr. Quétif-Echard, *Script. Ord. Praed.*, Paris. 1721, t. I, p. 713.

[2] Ibid., p. 118. Cfr. Denifle-Chatelain, op. cit., t. I, num. 194, p. 221.

[3] Cfr. infra p. LXXVIII.

[4] Cfr. Protois, op. cit., p. 159 et sqq.

[5] *Biblioth. selecta de ratione studiorum*, lib. III, c. 15, p. 131.

[6] *De illustribus Angliae scriptoribus*, in *Relationes historicae de rebus anglicis*, Paris. 1619, t. I, p. 947 et sqq.).

[7] *Scriptores Ord. Praed.*, t. II, p. 951, 952.

[8] Pro Universitate Lovaniensi, cfr. sex litteras Philippi II, anni 1596, pro substituenda '*Summa*' in locum '*Sententiarum*'. Has ediderunt Brants et De Jongh in *Anal. pour servir à l'hist. eccles. de la Belg.*, t. XXXIV, ann. 1908, p. 46–54, et t. XXXV, ann. 1909, p. 370–376; cfr. R. Martin, *Introduction officielle de la Somme de Saint Thomas à l'ancienne université de Louvain* (in *Rev. Thom.* ann. 1910, t. XVIII, p. 230 et sqq.).

[9] Numerus inter parentheses inclusus indicat annum quo auctores ediderunt Commentarios in Sententias.

[10] *Brevis expositio litterae Magistri Sententiarum, cum quaestionibus quae circa ipsam moveri possunt et authoribus qui de illis disserunt.* Salmanticae, 1635.

[11] *Disputat. theolog. iuxta IV Sentent. libros distributae*, Bononiae 1800.

Praeter Commentatores recensendi etiam sunt *Abbreviatores* [1] '*Sententiarum*', inter quos praecipui sunt Gandulphus Bononiensis [2], Bandinus [3], Simon Tornacensis [4] et Hugo a Sancto Charo [5]. Matthaeus ab Aquasparta composuit '*Inventarium Sententiarium librum unum*' [6]; cuiusmodi opus etiam Robertus Kilwardby exaravit. Inter eos qui *versibus* reddiderunt opus Lombardi prae ceteris [7] nominandus est Andreas filius Sunonis [8]. Beatus Albertus Magnus pias orationes in libros '*Sententiarum*' scripsit [9].

Concludere ergo liceat cum P. Pesch [10]: « Qui consideraverit longum regnum '*Sententiarum*' in scholis, multitudinem Commentatorum earum, inter quos tot docti sanctique viri inveniuntur, summum honorem quo habebantur, v. g. in quarto Concilio Lateranensi, concedere debebit nullum opus theologicum, ne quidem '*Summam*' s. Thomae, cum illo Lombardi, in ordine ad influxum habitum, posse comparari ».

---

[1] Cfr. Grabmann, op. cit., t. II, p. 388 et sqq.

[2] Cfr. Denifle, *Archiv. f. Litt.-u. Kirchengesch.*, t. I, pp. 621-624; de Ghellinck, op. cit., pp. 178-240.

[3] Denifle, loc. cit., p. 438, nota 4; P L 192, 965-1112.

[4] Denifle, loc. cit., p. 589, nota 5.

[5] Haec Abbreviatio non est confundenda cum Hugonis Commentario. Cfr. Denifle, loc. cit., p. 589. Improprie '*Sententiarum*' abbreviationes dicerentur '*Breviloquium*' s. Bonaventurae (*Op. omn.*, t. V, p. 201-291), '*Breviloquium*' fr. Gerardi de Prato (ed. Domenichelli, Prato, 1882) et '*Compendium theologicae veritatis*' Hugonis Argentoratensis, editum per Ioan. de Combis O. F. M., Lugduni 1569; reimpressum per fr. Ephrem, abbatem B. M. de Trappa de Monte Olivarum, Friburgi Brisgoviae 1880; item editum inter opera s. Bonaventurae, Romae 1596, t. VII, p. 731-844.

[6] Waddingus, *Scriptores Ordinis Minorum*, Romae 1806, p. 172. Cfr. Grabmann, op. cit., t. II, p. 397.

[7] In *Hist. litt. de France*, t. XII, p. 601, citatur codex bibliothecae S. Petri Cambridgensis, cui titulus '*Quatuor libri Sententiarum versificati*'. Aliud opus versificatum, sed nullius valoris, citat Protois, op. cit., p. 917.

[8] *Andreae Sunonis Filii Archiepiscopi Lundensis Hexaëmeron libri duodecim*, edidit M. Cl. Gertz, Hauniae 1892.

[9] Quas iterum edidit N. Thoemes, *Orationes b. Alberti Magni super IV libros Sententiarum. Iuxta editionem principem saec. XV, cum dissertatione praemissa*, Berolini 1893.

[10] *Die Summa theologica des hl. Thomas von Aquin als Schulbuch*, in *Stimmen der Zeit* (prius *Stimmen aus Maria-Laach*), ann. 1914, p. 15.

CAPUT III.

DE EDITIONE LIBRI SENTENTIARUM OLIM A PATRIBUS COLLEGII S. BONAVENTURAE FACTA.

I. — Patres Collegii S. Bonaventurae editionem criticam operum omnium Seraphici Doctoris suscipientes, in tomis I-IV (eiusdem *Commentarios in libros IV Sententiarum* continentibus), textum Magistri Petri Lombardi ad fidem codicum castigarunt. De qua editione, ut eorum mens et methodus patefierent, in cap. III Prolegomenorum ad tomum I *S. Bonaventurae Oper. omn.* pag. LXXXII et seq., sequentia, praemiserunt.

« Vix inceptis nostris in edendo hoc Commentario laboribus, manifeste apparuit, libros Sententiarum, saltem in editione Vaticana, pluribus vitiis laborare tum quoad textum, tum quoad errores in citandis locis, ex quibus totum fere suum librum Petrus Lombardus contexit. Licet novam editionem criticam Petri Lombardi publicare non spectet ad programma a nobis publicatum, tamen P. Fidelis, dum adhuc esset in vivis, aliquid etiam pro castigandis his quatuor libris faciendum esse censuit propter intimum nexum, qui est inter libros Sententiarum et eorum Commentarium. S. Bonav. enim magnam partem earum auctoritatum, quibus utitur, sumsit ex Magistro, et praesertim in dubiis circa litteram semper ad eundem recurrit. — Ad huius consilii exsecutionem accedentes, mox invenimus, laborem hunc esse et longiorem et difficiliorem, quam cogitavimus.

« Primo quidem improbus labor requirebatur, ut tot Patrum sententiae, quibus refertum est istud opus, in suis veris locis invenirentur et cum originali conferrentur. — Deinde curandum erat, ut plurimum, quae auctor excerpsit ab aliis, discernerentur ab iis paucis, quae ex proprio ingenio scripsit. Familiare est enim Magistro, verba, quae aliunde accepit, tum undequaque excerpere, ita ut interdum unius eiusdemque propositionis verba contexerit ex plurium capitulorum suorum auctorum propositionibus, tum haec in usum suum mutare, eadem per varios casus inflectendo, transponendo, aliaque omittendo vel etiam interpolando. Huius rei

exempla nonnulla iam in ipso Prologo Magistri lectoribus exhibuimus, ut ipsis constaret, tum quantum laboris consumendum esset in separandis per signa typographica ad hoc usitata istis testimoniis a reliquo textu Magistri, tum quod impossibile esset, ut differentia, quae intercedit inter locos a Magistro prolatos et originale, unde sumti sunt, a nobis in notis semper exhibeatur. Siquidem tam multa ex illis fontibus ad calcem producenda essent, ut ea sua mole bis vel etiam ter Magistri opus excederent.

« Ut textum Magistri castigaremus adhibiti sunt quinque codd. manuscripti ex bibliotheca Nationali Florentiae, quorum infra indicem dabimus, et insuper novem editiones. Horum accurata cum editione Vaticana collatione instituta, sobrie textum correximus a plurimis mendis, quorum nonnulla satis gravia sunt. Cum autem propter paucitatem codicum, quos consuluimus, labor iste noster non sit omni ex parte completus, ordinarie nihil mutavimus in textu sola auctoritate istorum codicum, nisi eorum lectio saltem una alterave editione sive Magistri, sive illius auctoris, ex quo ipse ea verba sumsit, comprobata esse videbatur. Unde aliquas lectiones variantes, licet nobis probabiliores viderentur, ad calcem rejecimus. Notavimus autem ibi omnes variantes lectiones, quae alicuius momenti sunt, multis aliis inutilibus omissis, praesertim fere innumerabilibus iis verborum transpositionibus, quae quoad sensum vel stilum fere indifferentes videbantur [1]. Eleginus tamen ex iis et in textu exhibuimus quae nobis magis probabantur, quamvis de istis rebus minutis saepe nullam in notis nostris mentionem fecerimus, sicut iam supra quoad textum S. Bonaventurae observavimus. Colle-

[1] De qua agendi ratione, in tomo I, p. 447 S. *Bon. Oper. omn.* sic legitur in quadam *nota ad lectorem* : « Publicata prima huius editionis distributione, a plurimis viris eruditis observatum est, ut deinceps aliquatenus restringamus numerum notarum criticarum : satis iam probatum esse, editionem Vaticanam saepe et in minutis saepissime ab antiquis codicibus dissidere; lectores autem operum S. Bonaventurae fere omnes parum curare, ut in notis ratio reddatur de parvis verborum mutationibus in textu factis, quando ipsoe sensum minime tangant. Auctoritate horum virorum confirmati, saepius deinceps corrigemus huiusmodi menda et defectus Vaticanae editionis, quin in notis huius rei mentionem faciamus. Nihil tamen in textu mutabimus, nisi suffulti auctoritate antiquiorum codicum, saltem eorum quibus maior praestanda est fides ».

gimus et notavimus in notis plures variantes etiam eo fine, ut si quis forte novis studiis aliam et omnino perfectam editionem Petri Lombardi editurus sit, lectionibus variantibus nostrorum codicum uti possit. Opinamur tamen, textum a nobis exhibitum satis esse correctum.

« Auctoritate nostrorum codicum et illarum antiquarum editionum, quae opus Lombardi exhibent separatim, nullo adiecto commentario, quales sunt quae a nobis numeris 1, 2, 7, 9 distinguuntur, restituimus titulos singulorum capitum post Prologum positos et ab aliis editionibus ibi omissos, cum a Magistro ibi positi sint, ut in fine Prologi ipse testatur. Hos titulos etiam aliae editiones in ipso opere suis locis inseruerunt; sed valde mutatos et permixtos cum plurimis aliis rubricis, quae iam sua forma manifestant, eas non a Magistro esse factas. Nam passim de Magistro ut de tertia persona loquuntur (v. g. *ad idem redit*). Istae rubricae marginales manifeste additae sunt pro usu scholarum, et videntur in margine appositae esse sive ab innumerabilibus commentatoribus et interpretibus huius libri, sive ab alumnis scholarum, sive ab ipsis rubricistis. Paulatim cum genuinis capitulorum titulis permixtae sunt. Germani autem tituli non possunt esse alii, quam qui ab ipso Magistro in principio sui operis exhibentur. Quis enim dubitare poterit, quin Magister titulorum elenchum scripserit et Prologo subiunxerit eo fine, ut proprio loco tituli singulis capitulis in eadem forma proponerentur? Genuinos igitur hos titulos, post Prologum a codicibus et antiquis editionibus exhibitos, suo loco inserendos et ab aliis rubricistarum plurimis adiunctis penitus separandos esse, nobiscum censuit P. Fidelis, qui etiam, ut hos titulos securius suae sincerae formae restitueret, alios quindecim codices praeter istos quinque Florentinos in hac parte conferri voluit, et iuxta hos codices ipsum textum in capitula distribuit. Verum est, capitula a S. Bonaventura citata, interdum aliam distributionem textus supponere. Hoc autem nihil aliud probat, nisi quod circa medium saeculum XIII. ista rubricarum mutatio et additio iam inceperat. Videtur etiam, quod codex, quo S. Doctor utebatur, aliquas habuerit lectiones diversas ab iis, quas exhibuerunt nostri codices et editiones meliores. Nam verba Magistri, ab ipso in divisione textus et in dubiis laudata, saepius in particulis minoribus

et in positione verborum aliquatenus a nostra editione discrepant. Quae differentia non penitus ex erratis involuntariis, in transcriptione facile occurrentibus, explicanda esse videtur. Cum autem nec Magistri textum iuxta lectionem *unius* codicis Bonaventuriani mutare, nec multos codices Commentarii propter lectionem textus Magistri prudenter liceat respuere, consulto utrumque dedimus iuxta codices sibi proprios.

« Rubricas praestantiores, posteriore tempore additas et in editionibus aliis impressas, nos ad marginem posuimus, et quidem plerumque brevius contractas; nonnullas inutiles omisimus. — Mirum est, Magistrum nihil in suo Prologo dicere de illa distributione textus in *distinctiones*, quae in codicibus nostris et omnibus editis invenitur, licet cum aliqua differentia, ut in notis nostris monuimus. Videtur autem nobis probabilius, hanc divisionem in *distinctiones*, quae omni carent titulo, esse posterioris originis et ad usum scholae factam. Item distributio illa in *duas partes*, quae in nonnullis distinctionibus invenitur, non Magistrum habet auctorem, sed commentatorem.

« Pro conclusione adiungimus tres tabulas, quae sequuntur ».

* * *

II. - In adornanda editione critica Libri Sententiarum praedecessores nostri variis codicibus et plerisque editionibus antiquis usi sunt, quorum elenchum ex tomo I *Operum omnium S. Bonaventurae*, pag. LXXXVIII, hic exscribimus.

Tabula collatorum codicum et editionum Libri Sententiarum Petri Lombardi. Codices sunt Florentini (Nation.).

A. . . Cod. VI. 27. S. Marci.
B. . . » VI. 28. S. Marci.
C. . . » VI. 32. S. Marci.
D. . . » 2599. B. 1. olim Abbatiae Florentinae.
E. . . » 2559. A. 4. olim Abbatiae Florentinae [1].

[1] Hi codices sunt saeculi XIII. ante medium, excepto Cod. E, qui est saec. XV, et licet sit splendidissime scriptus pro usu criticae, minoris est pretii quam alii quatuor, inter quos praeponendus est cod. D. [Ita Editores].

Editiones Libri Sententiarum a nobis consultae.

1. Edit. Veneta an. 1481.
2. Edit. Nuremberg. (Koberger cum Comment. S. Bonaventurae) 1499.
3. Edit. Veneta 1509. (cum Comment. Richardi).
4. Edit. Lugdunens. 1540.
5. Edit. Coloniens. 1535. (cum Comment. Dionysii Carth.).
6. Edit. Lugdunens. 1639. (cum Comment. Scoti).
7. Edit. Veneta 1489.
8. Edit. Parisiens. 1659. (cum Comment. D. Thomae).
9. Edit. Basileens. 1513.

Pro edendis capitulis post Prologum Magistri positis usi sumus his codicibus:

Ex biblioth. Laurentiana Florentiae:

F — plut. 21. . cod. 24.
G — » 21. . » 26.
H — » 21. . » 27.
I — » 28. dext. » 2.
K — » 24. » » 1. S. Crucis.
L — » 30. » » 1. »
M — » 25. » » 1. »
N — » 31. » » 1. »
O — Gaddian. . . » 59.

Ex biblioth. Patavina Conv. S. Antonii:

P . . . N. VIII. cod. 151.
Q . . . » » » 136.
R . . . » » » 139.
S . . . N. VIII. cod. 149.
T . . . » » » 150.

Incipiendo autem a secundo libro Sententiarum relicto codice qui in superiori elencho littera E designatur, alium substituerunt, quippe, ut aiunt, « antiquitate et correctione meliorem, qui est in bibl. Laurent. Plut. XXI cod. 36 », quem eadem littera E signarunt. Item in locum editionis Parisiensis (1659) substituerunt cum eodem numero 8 editionem, quae est in VI tomo editionis Parmensis operum S. Thomae (1856).

CAPUT IV.

DE HAC NOSTRA EDITIONE LIBRI SENTENTIARUM.

§ 1. — *Ratio huius editionis.*

Ut ratio huius novae editionis Libri Sententiarum omnibus pateat, panca sufficiat praemittere.

Ex his quae in praecedenti capitulo dicta sunt, intelligere quisque potest ipsos PP. Editores primos fuisse qui laborem suum non ex omni parte completum confiterentur. Attamen, editio ab eis tanta cura adornata fuit, ut tum ob emendatiorem textum, tum ob copiosas fontium indagationes a viris eruditis non immerito ut *optima* celebraretur, magnoque plausu susciperetur. Immo eousque omnibus placuit, ut saepius votum fieret quatenus labor Praedecessorum nostrorum perficeretur, textum Magistri novo examini subiiciendo, illumque ad fidem antiquiorum codicum, praesertim saeculi XII, iterum emendando. Haec igitur ratio est cur, desiderio doctissimorum virorum satisfacere cupientes, novis studiis alacriter assumtis, editionem hanc novam publici iuris facimus. De qua iam locus disserendi est.

§ 2. — *De apparatu critico nostrae editionis.*

Ut in exponendo apparatu critico huius editionis ordinatim procedamus, primo codicum collatorum elenchum praemittimus, adiecta *littera* qua a nobis designantur; secundo singulos describimus; tertio agimus de eorum valore; quarto, de mutua relatione eorumdem; quinto de methodo in castigando textu a nobis servata.

1. — *Elenchus codicum collatorum.*

U.	Bibl.	Civitatis	Trecensis	cod.	900.
V.	»	»	Brugensis	»	184.
Z	»	Apostolica	Vaticana	»	Vat. lat. 688.
A.	»	Nationalis	Florentin.	»	Conv. VI. 27. S. Marci.
B.	»	»	»	»	VI. 28. »
C.	»	»	»	»	VI. 32. »
D.	»	»	»	»	B. 1. 2599. Abb. Flor.
Erf.	»	Erfordiens.		»	Amplon. 180.

Horum octo codicum tres priores a praedecessoribus nostris non fuerunt adhibiti, quinque ultimi fuerunt quidem consulti, sed ex eis duo, scilicet B et D, iterum ex integro a nobis lecti sunt, atque ex eis multae variantes lectiones, prius omissae, apponuntur.

Variantes codicum A et C, sicut et notae cod. Erf. sumuntur ex priori editione, additis quibusdam aliis, quas ex scriptis Praedecessorum nostrorum excerpsimus.

II. — *Descriptio codicum.*

Codex (U) Trecensis 900, membran., folior. 226 (foliatio moderna), duabus columnis, summa cura conscriptus, provenit ex antiqua libraria abbatiae Claraevallensis, ubi signabatur *I. 36.* Distinctionum numeri a manu longe posteriori adiecti fuerunt. In initialibus singulorum librorum, in fundo aureo, sequentes figurae depictae sunt: in initiali Prologi *C*(*upientes*): Lombardus opus suum scribens (in libro quem exarat Magister legitur: *Omnes sitientes venite ad me*); in initiali primi libri *V*(*eteris*): Synagoga et Ecclesia; in initiali prologi libri secundi *Q*(*uae*): creatio Adae et Evae; in initiali tertii libri *C*(*um*): Nativitas Christi; in initiali quarti libri *S*(*amaritanus*): latrones ferientes viatorem, et Samaritanus vulneratum ad diversorium ducens. Ad marginem adsunt notae et glossae, in primis quidem foliis sat multae, in aliis vero rarissimae vel etiam nullae. In initio codicis in folio insititio, quaedam cursivis litteris scribuntur, quae nullius sunt momenti. Fol. 225v manu ipsius amanuensis, illico post textum Magistri additur: *Anno Dni M.C.LVIII. conscriptus est iste liber.* Parum infra ipse amanuensis sese signavit: *Michael Hiberniensis scriptor extitit.* Fol. 226v antiqua manu: *Sentencie;* et infra: *Liber Beati Bernardi parisius. Qui hunc librum furatus fuerit vel alienaverit vel titulum abraserit anathema sit. Amen. Liber beati Bernardi parisius.* Notandum, quod *parisius* hic et supra alia manu scribitur, et, uti videtur, loco alterius nominis prius abrasi. Deinde manu recentiori, littera cursiva: *Iste sunt opiniones magistri que a modernis non tenentur.* Sequuntur octo sententiae, duae scilicet pro singulis quatuor libris. Alia tandem manu saec. XIV: *Sententie Petri Lombardi,* et alia quaedam, quae linea deleta sunt.

Codex (V) Brugensis 184, membran., foliorum 221 (foliat. moderna) duabus columnis, post medium saec. XII nitidissime conscriptus est. Distinctionum numeri a manu valde posteriori additi fuerunt. Series capitulorum, tum in elencho qui singulis libris praemittitur, tum in corpore textus ab ipso amanuensi notantur numeris, suntque: in libro primo 207; in secundo 266; in tertio 161; in quarto 278. Initialia ad initium primi, secundi et quarti libri floribus in fundo aureo ornantur; in initiali tertii libri *C(um)*, figura quaedam humana depingitur, in brachio dextro coronam spineam habens. Ad marginem superiorem folii 1v legitur: *Spiritus sancti adsit nobis gratia.* Nulla ad margines occurrit glossa vel annotatio, sed tantum paucae correctiones textus. Inter lineas textus saepius indicantur fontes. Illico post textum Magistri folio 220v, col. A, sequitur haec quaestio, manu ipsius amanuensis scripta: *Videndum est quid sit matrimonium, et a quo sit institutum, et ubi, et quando, et quae sint necessaria ad contractum; quid sit sacramentum; quae sit res sacramenti. Matrimonium dicitur viri et mulieris coniunctio, individuam vitae consuetudinem retinens. Viri et mulieris recte dicitur, quia viri ad virum non est matrimonium, nec mulieris cum muliere...* Finis habetur fol. 221r col. A: *Omne ergo votum indistincte impedit apud Deum matrimonium contrahendum secundum illud: volentibus non.* Hic abrumpitur textus, et relicto spatio duarum linearum, ipse amanuensis notat: *Liber sce marie de thosan, ex dono dni hugonis decani Brugensis, cognomento ursi. Auferenti anathema sit.* Eodem folio, col. B, manu moderna, legitur scriptum: *Suivant le Compendium episcoporum brugensium, Brugis, 1731, pag. 80, Hugo, dictus Ursus* [1], *etait doyen en 1187; il eut un successeur en 1194.* Codex igitur noster provenit ex monasterio Cisterciensium Dunensi apud Ter Doest prope Brugas in Belgio, et certe post medium saeculum XII exaratus fuit [2].

[1] In partibus Flandriae nomen gentilitium *De Beer* saepius occurrit.

[2] Non autem in *initio* saec. XII, uti notat J. Laude, *Catal. ... des mss. de la bibl. publiq. de Bruges.* Bruges 1859, ad num. 184.

Codex (Z) Vat. lat. 688 [1], membran., saec. XIII, fol. 384 (foliatio tantum 382 indicat, sed erronee bis numerantur 137 et 159), duabus columnis, 32 linearum, quae in spatio, inter columnas textus, ab ipso amanuensi sic numerantur: 1, 5, 10, etc. Distinctionum numeri in elencho capitulorum, qui singulis libris praemittitur, posteriori manu additi fuerunt, sed in corpore textus a primo rubricatore exarati. Initialia librorum pulcre ornantur, sed picturae penitus desunt. Per totum opus in marginibus superiori, inferiori et lateralibus, immo inter lineas ipsius textus, parvis litteris cursivis scribuntur glossae vel etiam commentarius sat extensus, insuper indicationes vel correctiones fontium. In primo folio manu moderna notatur: *Magister Sententiarum;* aliae notae, quae alicuius momenti sint, vel patriam aut aetatem codicis indicent, omnino desunt.

Codex (A) bibl. National. Florent. Conv. VI. 27, membran., carens omni foliatione, duabus col., littera sat magna, saec. XIII ineunte (erronee catalogus huius bibliothecae dicit saec. XV) nitidissime exaratus est. In initialibus librorum figurae sequentes in fundo aureo vel caeruleo depictae sunt: libro I, *C(upientes)*: monachus genuflexus, albis vestibus indutus; *V(eteris)*: tres personae Trinitatis, ad sinistram Pater globum terrestrem manu tenens, ad dexteram Filius, latere vulnerato, supra eos Spiritus sanctus sub forma columbae; libro II, *C(reationem)*: creatio protoparentum; libro III, *C(um)*: Christus in cruce suspensus, ad cuius dexteram stat Maria, ad sinistram Ioannes; libro IV, *S(amaritanus)*: medicus infirmo praebens medicinam. Paucae occurrunt correctiones, quaedam glossae marginales, nihil vero quo aetas vel patria codicis cognoscatur. Distinctiones manu posteriori additae sunt. Provenit ex antiqua libraria conventus Fratrum Praedicatorum ad S. Marcum Florentiae. Post textum Magistri sequitur sermo de Samaritano, alia manu scriptus, qui incipit: *Homo quidam descendebat de Ierusalem... In qua parabola allegorice sumta tanguntur VI status*

---

[1] Hunc codicem adhibuit J. de Ghellinck: *Les notes marginales du Liber Sententiarum* (*Revue d'hist. ecclésiast.*, Louvain, ann. XIV, 1913, pp. 511-536, et 705-719).

naturae humanae...; folio sequenti verso explicit: *verus Samaritanus Iesus Christus dominus noster etc.*

Codex (B) bibl. Nation. Florent. Conv. VI. 28, membran., fol. 154 (paginatio moderna), circa finem saec. XII (catalogus erronee dicit saec. XV) exaratus est. Paucissimae occurrunt glossae marginales, rarissimaeque correctiones. In initiali libri I, *C(upientes)*, depingitur animal viola ludens, quod psittacus auscultare videtur; alia initialia ornantur floribus. Capitula numeris notantur: in libro I, 208; in II, 264; in III, 160; in IV, 282. Distinctiones posteriori manu adiectae fuerunt, suntque in libro I, 18; in II, 20; in III, 26; in IV non notantur. Provenit ex antiqua libraria Fratrum Praedicatorum ad S. Marcum Florentiae. Post textum Magistri sequitur elenchus omnium capitulorum IV librorum, alia manu antiquiori scriptus. Qua manu etiam sequitur scriptum quoddam de substantia Patris et Filii, quod fol. 152r sic incipit: *Multi unam substantiam Patris et Filii predicant, ut videri possent non magis id pie quam impie predicare; habet enim hoc verbum in se et fidei conscientiam et fraudem paratam...* Finis est fol. 154r: *quia inseparabiliter fuit unius eiusdemque substantie vel si hoc melius dicitur essentie.* Fol. 154v: *Iste sunt opiniones quas ponit Magister in hoc libro que reprobantur communiter a Magistris.* Sunt autem 16, nempe: in libro I, tres; in II, tres; in III, duae; in IV, octo.

Codex (C) bibl. Nation. Florent. Conv. VI. 32, membran., absque omni foliatione, duabus columnis, ante medium saec. XIII scriptus. Distinctiones posteriori manu additae sunt. Textus occupat minorem partem foliorum, cetero spatio, littera cursiva minutissima, inscriptus est commentarius satis diffusus. Initialia ornantur floribus et animalibus, in fundo caeruleo et aureo depictis. Provenit ex antiqua libraria Fratrum Praedicatorum ad S. Marcum Florentiae.

Codex (D) bibl. Nation. Florentin. Conv. B. 1. 2599, membran., folior. 217 (foliat. moderna), duabus col., littera paulum angulosa, post medium saec. XIII exaratus est. Distinctiones ab ipso rubricatore textus notatae sunt. Initialia parum ornantur. Fol. 1r sequentia habentur: *Iste liber est congregationis sancte Iustine sancti Be-*

nedicti deputatus monasterio sancte Marie sive abbatie Florentine. S. 62. Deinde: *Iste sunt opiniones magistri sententiarum que hodie non tenentur.* Sunt autem 16. Manu moderna: *Petri Lombardi libri quatuor Sententiarum inter codices designatur num. 39.* Fol. 2v in superiori manu saec. XIV: *Iste liber est monasterii sancte Marie de sancto sepulchro extra et prope Florentiam. S. 62.* Fol. 216, manu saec. XV: *Hic liber est abbatie Florentine.*

Codex (Erf.) bibl. civit. Erfordiensis, Amplon. 108, membran., circa medium saec. XIII exaratus [1]. Hunc codicem, ex quo paucas tantum variantes sumsimus, praecipue adhibuimus pro fontibus Magistri investigandis.

Praeter praedictos codices examinavimus etiam codicem 14580 (1535) bibl. Regiae Bruxellensis; deinde *quatuordecim* Vaticanos lat., scilicet a numero 679 ad 687, et a numero 689 ad 693; denique *undecim* codices ex bibl. Laurentiana Florentina, et *quinque* ex bibl. Patavina, quos Praedecessores nostri sive pro textu, sive pro elencho capitulorum adhibuerunt atque signarunt litteris E E(bis) F G H I K L M N O P Q R S T. His autem codicibus usi non sumus ad castigandum textum, has ob causas: *Bruxellensem* quidem reiecimus, utpote nimis mendis, praesertim omissionibus per homoioteleuta, scatentem, atque apertam dependentiam habentem cum codice V; *alios* autem, quia farraginem variantium lectionum in immensum augebant, quin aliquid momenti ad emendationem textus adducerent.

III. — *De valore codicum.*

Quamvis codices nostri accuratum textum omnes exhibeant, inter se tamen valore non parum differunt.

Codex U, Trecensis 900, inter omnes hucusque notos, antiquitate praestat, utpote scriptus vivente adhuc Lombardo, scilicet anno 1158. Textus quoque eius bonitate ceteris, quos consuluimus,

[1] De hoc codice saepius tractat J. de Ghellinck, op. cit. et « *Les notes marginales du Liber Sententiarum* », loc. cit.

longe eminet, et rarissime mendum absque correctione relictum fuit. Inspicienti apparatum criticum editionis nostrae obvium erit codicem U paucas habere omissiones, nullas per homoioteleuton, et raras additiones. Immo lectiones variantes, pro quibus stat solus, rarissime erroneae dici possunt.

Codex V permultas habet verborum omissiones, frequentia homoioteleuta et non paucas lectiones plane erroneas.

Quod et de codice D affirmari debet; immo hic adhuc magis per homoioteleuta peccat, et non paucas habet glossas in textum irreptas.

Codex Z optimam praebet lectionem, rarissimas habens omissiones, licet multas habeat variantes lectiones, quae tamen erroneae non sunt.

Codex B optimus apparet, licet non desint quaedam omissiones, additiones et etiam homoioteleuta, quae tamen potius rara dicenda sunt.

Codex C bonam habet lectionem, sed A meliorem.

Secundum valorem textus codices nostri hoc ordine disponi possent: UBZADVC[1]; secundum antiquitatem autem sic: UVBACZD.

IV. — *De relatione codicum inter se.*

Ad mutuam codicum relationem quod attinet, videtur nobis sic concludi posse:

1) Certum est inter eos nullam veram existere dependentiam, talem nempe ut unus ab alio sive directe sive indirecte transcriptus dici possit. Et haec quidem ratio fuit cur, ceteris relictis, hos elegerimus: ex hac enim mutua independentia valorem variantium lectionum non parum crescere, nemo est qui non videat.

2) Codex U solus manet, et propius ad archetypum accedit, a quo alii longius distant.

---

[1] Codicem Erf. hic non citamus quia paucae tantum lectiones variantes ex eo desumtae sunt.

3) Z quandoque communes habet variantes cum U, quandoque cum aliis, praesertim cum VBD, saepissime autem stat solus, ita ut aliis aggregari non possit.

4) VBD saepius conveniunt tum in omissionibus, tum in additionibus, tum in lectionibus, ita ut fontem quemdam communem habere videantur, a quo tamen per unum vel plura intermedia distent.

5) Tandem AC varias habent lectiones, omissiones et additiones vel sibi communes, vel quae cum VBD, aut cum uno alterove horum conveniunt.

6) Familiae igitur codicum sic ordinari posse nobis videntur: 1) U – 2) Z – 3) VBD – 4) AC.

V. — *De methodo in castigando textu servata.*

Quod ad methodum in nostra editione servatam attinet, sequentes regulas nobis praefiximus.

1) Editiones omnes a Praedecessoribus nostris adhibitas, penitus negleximus, solis codicibus inhaerentes [1].

2) Considerata antiquitate et excellentia textus codicis U, hunc pro fundamento elegimus, eiusque lectionem semper accepimus ubi *saltem ab uno* aliorum codicum corroborabatur, nisi esset evidenter erronea. Hanc autem evidentiam erroris non aliunde quam ex ipso contextu Magistri duximus eruendam. Talem autem errorem in totis quatuor libris sex tantum vicibus animadvertimus, scilicet in libro I, pag. 34, nota *e*, pag. 155 nota *c* et pag. 210 nota *c*; ac libro IV, pag. 807 nota *f*, 886 nota *c*, 980 nota *d* et 1001 nota *g*. Hoc criterio assumto, cum codex U merito censendus sit propius ad ar-

[1] Ratio cur editiones negleximus, haec est quam ipsi Praedecessores nostri his verbis proponunt: « Sed iam compertum est, editores saeculi XVI. non raro, inconsultis antiquioribus manuscriptis vel omnino neglectis omnibus codicibus, textum suo proprio iudicio vel secundum systemata eo tempore vigentia non parum mutasse vel potius corrupisse. Loci enim, qui ipsis videbantur obscuri, vel quorum modus loquendi ut obsoletus ipsos offendebat, proprio marte et non raro infausto successu corrigere nitebantur, ut diligens lector ex nostris notis saepe potest observare ». Cfr. S. Bonav., *Op. omn.*, t. I, p. LXXIX, col. B.

chetypum accedere, consequens erit ut textus a nobis receptus magis ad puritatem originalis accedat. Alias enim videtur nobis *firmum* quoddam deesse criterium quo ad illam perveniatur, et editorem in constitutione textus proprio arbitrio nimis relinqui. Saepius enim fit ut lectio non admissa aeque bona sit ac ea quae in textu recipitur. Ast quaestio non est utrum lectio aliorum aeque bona sit, sed an propius ad archetypum accedat.

3) Ex codice U, nisi evidens error esset, accepimus etiam verborum positiones et inflexiones (v. g. *accepit*, pro *acceperit*); item huic inhaesimus, ubi eligendum erat inter *id, illud, istud–aut, vel–vero, autem–sed, verum–et, ac, atque–non, nec, neque–ut, sicut–ergo, igitur–seu, sive–id est, scilicet*, et alia id genus; item ubi addendae vel omittendae erant coniunctiones *et, ac, atque*, etc.

4) Ubi in rebus, quae non erant *minimi* momenti, editionem Praedecessorum nostrorum correximus, semper huius lectionem annotavimus verbo Ed. — Qui apparatum criticum examinare voluerit, illico animadvertet praedictam editionem in multis a nobis esse correctam. Inter praecipuas correctiones notari possunt quae occurrunt libro I pag. 193 nota *i* et pag. 279 nota *d*; libro II, pag. 386 nota *c* et pag. 394 nota *g*; libro III pag. 558 nota *k*; libro IV, pag. 999 nota *d* et 1012 nota *e*.

5) In apparatu critico hanc methodum secuti sumus qua clarius et facilius variantes indicentur. Saepius occurrit formula haec: Contra (vel Ita) UD; ed. add. *et*; quam sic interpretaberis: Editio *et alii codices praeter UD* add. *et*. Similiter ubi *sola* notatur Ed. (v. g. pag. 3 nota *e*: Ed. *libros*), intelligitur editionem stare contra *omnes* vel saltem *meliores* codices, quorum lectio in textu recipitur.

6) Asteriscus (*) quo notae aliquando signantur, indicat textum allatum non ad litteram, sed tantum quoad sensum, vel transpositis verbis etc. a Magistro citari.

7) Pro textibus Patrum usi sumus *Patrologia latina* (PL) et *Graeco–latina* (PGL) edita a Migne; pro *Decreto Gratiani* adhibuimus textum a Friedberg castigatum, titulo « *Corpus Iuris Canonici* », 2 tomi, Leipzig 1878.

His finem imponere non possumus quin grati animi sensus promamus erga Rmos D. D. Aug. Pelzer et Stan. Le Grelle, bibliothecae Pontificiae Vaticanae Scriptores honorarios, atque erga Rdum P. Ios. Cavallera, Instituti Catholici Tolosani Professorem, qui omni quo poterant auxilio et consilio laborem nostrum faciliorem reddere dignati sunt. Dulce tandem nobis erit laboris praemium atque solatium, si opus nostrum viris doctis tam gratum quam utile evadat, sintque nobis omnes non solum benevoli lectores sed et liberi correctores.

Ad Claras Aquas, 8 decembris 1916.

PP. EDITORES.

ARTICULI

IN QUIBUS MAGISTER SENTENTIARUM NON TENETUR COMMUNITER AB OMNIBUS [1].

In Primo Libro.

1. — Quod charitas qua Deum et proximum diligimus est Spiritus sanctus. *Dist. 17, cap. 2.* Vel quod charitas quae est amor Dei et proximi non est aliquid creatum.

2. — Quod nomina numeralia dicta de Deo dicuntur solum relative. *Dist. 24, cap.* Et si diligenter. Vel haec nomina numeralia trinus et Trinitas non dicunt positionem sed privationem tantum.

---

[1] Cfr. supra, pag. LXI. Sequentes articulos verbotenus desumimus ex Duplessis d'Argentré, *Collectio iudiciorum*, Parisiis 1728, t. I, p. 118 et sqq. Talem *elenchum* articulorum in quibus Magister declinavit ab opinionibus quae communiter a Parisiensibus doctoribus tenebantur, invenimus primum apud S. Bonaventuram, Libro II, *Sentent.* dist. 44 (*Oper. omn*., t. II, p. 1016 et seq.). Sunt autem *octo* sequentes: « in Primo Libro sunt duo, unum videlicet est *distinctione decima septima*, quod caritas, quae est amor Dei et proximi, non est quid creatum, sed increatum. *Aliud* vero est, quod haec nomina *trinus* et *trinitas* non dicunt positionem, sed privationem tantum; et hoc ponit *distinctione vigesima quarta*. — In Secundo vero Libro similiter duo dicit, quorum primum est, quod in Angelis beatis praemium praecessit, et meritum respectu substantialis praemii habet subsequi; et hoc dicit *distinctione quinta* et etiam *distinctione undecima*. *Aliud* est, quod nihil de cibis transit in veritatem humanae naturae, nec per generationem nec per nutritionem. — In Tertio Libro similiter duo dicit: unum est, quod anima exuta a corpore est persona; et hoc dicit *distinctione quinta*. *Aliud* est, quod Christus fuit homo in triduo; et hoc dicit *distinctione vigesima secunda*. — In Quarto similiter duo dicit: unum est, quod baptismus Ioannis cum impositione manuum aequipollebat baptismo Christi, ita quod baptizatus baptismate Ioannis in fide Trinitatis non erat rebaptizandus, et hoc dicit *distinctione secunda*. *Aliud* est de potestate baptizandi interius, quam dixit quod Deus potuit alii dare, et quod creatura potuit suscipere; et similiter, quod Deus potest potestatem creandi communicare, et creare per creaturam tanquam per ministrum; et hoc dicit *distinctione quinta*. In his octo positionibus communiter doctores Parisienses non sequuntur Magistrum, nec credo, in omnibus his eum esse sustinendum, ne amore hominis veritati fiat praeiudicium ». Idem elenchus invenitur in *Praelocutione* in II librum *Sentent.* (S. Bon., *Oper. omn*., t. II, p. 2); sed cum haec *Praelocutio* debili fundamento *unius* tantum codicis innitatur, magis placuit ad superius citatum locum remittere lectorem.

3. — Quod simile et aequale similiter dicuntur de Deo privative. *Dist. 21, cap.* Et hoc idem.

4. — Quod Deus semper potest quicquid aliquando potuit, et vult quicquid voluit; et scit quicquid scivit. *Dist. 44, cap.* Praeterea quaeri solet.

In Secundo Libro.

1. — Quod Angeli non meruerunt beatitudinem per gratiam sibi datam; sed quod praemium praecessit meritum, et postea meruerunt per obsequia fidelibus exhibita. *Dist. 5, cap.* Hic quaeri solet. Vel quod angelis praemium praecessit, et meritum respectu praemii substantialis habet subsequi.

2. — Quod angeli in merito, respectu essentialis praemii, et in ipso praemio proficiunt usque ad iudicium. *Dist. 11, cap.* Praeterea illud.

3. — Quod charitas est Spiritus sanctus, scilicet [1] illa quae animae qualitates informat atque sanctificat. *Dist. 27, cap.* Cum igitur.

4. — Quod in veritate humanae naturae nihil transit extrinsecum; sed quod ab Adam descendit per propagationem, auctum et multiplicatum resurget in iudicio. *Dist. 30, cap. penult.* Quibus responderi potest, vel quod nihil de cibis transit in veritatem humanae naturae, nec per generationem, nec per nutritionem.

In Tertio Libro.

1. — Quod anima, a corpore exuta, sit persona. *Dist. 5, cap.* Hic a quibusdam opponitur.

2. — Quod Christus convenienter mortuus et non mortuus dicitur, passus et non passus. *Dist. 21, cap. ult.*

3. — Tertio quod Christus in triduo mortuus fuit homo. *Dist. 22, cap. 1.*

In Quarto Libro.

1. — Quod Sacramenta legalia non iustificabant etiamsi cum fide et devotione fierent. *Dist. 1, cap.* Non igitur.

2. — Quod homo sine medio videbat Deum ante peccatum. *Eadem dist., cap.* Triplici.

3. — Quod circumcisio non conferebat gratiam ad bene operandum, nec virtutes ad augmentum; sed solum ad peccata dimittenda valebat. *Eadem dist., cap.* Duo igitur.

4. — Quod parvuli, ante octavum diem morientes incircumcisi, peribant; et quod, causa necessitatis, poterant ante circumcidi. *Eadem dist., cap.* Si vero.

[1] Duplessis legit *sed*.

5. — Quod quaedam Sacramenta novae Legis instituta sunt in remedium tantum, ut matrimonium. *Dist. 2, cap. 1.* Iam ad sacramenta.

6. — Quod baptizati baptismo Ioannis, non ponentes spem in illo, non erant baptizandi Baptismo Christi: ita quod baptizatus baptismo Ioannis, non erat baptizandus. *Dist. 2, cap. ult.* Hic considerandum.

7. — Quod Deus potuit dare potentiam creaturae creandi et interius abluendi, id est, peccata dimittendi. *Dist. 5, cap. ult.* Hic quaeritur quae sit. Vel sic: quod Deus poterat dare potestatem aliis baptizandi interius, et quod creatura potuerit suscipere. Et similiter quod Deus potest potestatem creandi creaturae communicare, et creare per creaturam, tanquam per ministrum. *Dist. 5.*

8. — Quod schismatici, degradati, praecisi ab Ecclesia haeretici, excommunicati, non habent potestatem consecrandi corpus Christi. *Dist. 13, cap.* Illi vero.

9. — Quod brutum non sumit verum corpus Christi, etsi videatur. *Dist. 13, cap.* Illud etiam sane.

10. — Quod scientia discernendi, ut notat habitum scientiae, sit clavis. *Dist. 19, cap. 1.*

11. — Quod episcopi simoniaci degradati non possunt conferre Ordines. *Dist. 25, cap.* De simoniacis.

12. — Quod secundus maritus alicuius mulieris, incognitae carnaliter a primo, sit bigamus per cognitionem illius, et prohibetur ab Ordinibus. *Dist. 27, cap. ult.*

13. — Quod cognoscens sororem uxoris suae non tenetur uxori petendi debitum reddere. *Dist. 33, cap.* De his.

14. — Quod ille qui, uxore vivente, duxit aliam in aliena patria, qui rediens ad conscientiam vult eam dimittere et non potest, si cogitur ab Ecclesia remanere et debitum reddere, quia sibi non creditur: dicit Magister quod incipit excusari per obedientiam et timorem, et tenetur reddere debitum si petatur. *Dist. 38, cap. ult.*

15. — Quod peccata deleta non patefient aliis in iudicio. *Dist. 44, cap.* Hic quaeritur utrum electis.

LIBRI IV SENTENTIARUM

INCIPIT PROLOGUS [a]

Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra cum paupercula in gazophylacium Domini mittere [1], ardua scandere, opus ultra vires nostras agere praesumsimus, consummationis fiduciam laborisque mercedem in Samaritano [2] statuentes, qui, prolatis in curationem semivivi duobus denariis, supereroganti cuncta reddere professus est. Delectat nos veritas pollicentis, sed terret immensitas laboris [b]; desiderium hortatur proficiendi, sed dehortatur infirmitas deficiendi, quam vincit zelus domus Dei.

« Quo inardescentes, fidem nostram adversus errores [c] carnalium atque animalium hominum [3] » Davidicae turris [d] clypeis munire vel potius munitam ostendere ac theologicarum inquisitionum abdita aperire nec non et sacramentorum ecclesiasticorum pro modulo [e] intelligentiae nostrae notitiam tradere studuimus, « non valentes studiosorum fratrum votis iure resistere, eorum in Christo laudabilibus studiis lingua ac stilo nos servire flagitantium. Quas bigas in nobis agitat Christi caritas [4] ».

---

[a] Omnes codices, quos contulimus, aut omittunt hanc epigraphem, (ut U V B D) aut varie exhibent (Z *Prologus.* — A *Inc. pr. in Sententiis Magistri Petri.* — C *Inc. pr. primi libri*). [b] U *operis,* sed corr. interl. *vel laboris.* [c] V *errorem.* [d] D *dominicae,* sed corr. margin. *Davidicae.* [e] Ed. cum A C D *modico;* D corr. margin. *modulo.*

---

[1] Respicitur illud Luc. 21, 2; et Marc. 12, 42. [2] Alluditur ad Luc. 10, 35. [3] August. III. *De Trin.* n. 1 (P L 42, 867)*: « Pro studio, quo fidem nostram adversus errorem carnalium et animalium hominum muniri inardesco, necesse est me pati ». [4] August. loc. cit. « ... fratribus autem non valeam resistere, iure, quo eis servus factus sum, flagitantibus, ut eorum in Christo laudabilibus studiis lingua ac stilo meo, quas bigas in me caritas agitat, maxime serviam ».

« Quamvis [1] non ambigamus, omnem humani eloquii sermonem calumniae atque contradictioni aemulorum semper fuisse obnoxium, quia, dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit animorum sensus », « ut, cum omne dictum veri ratione perfectum sit, tamen, dum aliud aliis aut videtur aut complacet, veritati vel non intellectae vel offendenti impietatis error obnitatur, ac voluntatis invidia resultet », « quam *Deus huius saeculi operatur* in illis *diffidentiae filiis* [2], qui non rationi voluntatem subiiciunt nec doctrinae studium impendunt, sed his quae somniarunt sapientiae verba coaptare nituntur, non veri, sed placiti rationem sectantes, quos iniqua voluntas non ad intelligentiam veritatis, sed ad defensionem placentium incitat, non desiderantes doceri veritatem, sed ab ea *ad fabulas convertentes auditum* [3]; quorum professio est magis placita quam docenda conquirere, nec docenda desiderare, sed desideratis doctrinam coaptare. *Habent rationem sapientiae in superstitione* [4]: quia fidei defectionem sequitur hypocrisis mendax, ut sit vel in verbis pietas, quam amiserit conscientia, ipsamque simulatam pietatem omni [a] verborum mendacio impiam reddunt, falsae doctrinae institutis fidei sanctitatem corrumpere molientes, auriumque pruriginem sub novello sui

[a] Z A *omnium.*

[1] Hilar. *De Trin.* libr. X, n. 1 (P L 10, 344): « Non est ambiguum, omnem humani eloquii sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse: quia dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit sensus animorum; cum adversantium affectione compugnans, assertionibus his, quibus offenditur, contradicit. Quamvis enim omne dictum veri ratione perfectum sit, tamen, dum aliud aliis aut videtur, aut complacet, patet veritatis sermo adversantium responsioni: quia contra veritatem aut non intellectam aut offendentem vel stultae vel vitiosae voluntatis error obnititur. Immoderata enim est omnis susceptarum voluntatum pertinacia; et indeflexo motu adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subiicitur nec studium doctrinae impenditur, sed his quae volumus rationem conquirimus, et his quae studemus doctrinam coaptamus. Iamque nominis potius quam naturae erit doctrina, quae fingitur: et non iam veri manebit ratio, sed placiti, quam sibi voluntas magis ad defensionem placentium coaptaverit, non quae voluntatis instinctum per intelligentiam veri rationabilis incitabit ». Dein post verba *placentium incitat,* totidem omissis quot attulit, sequentia usque ad *foedere bellant* ex eodem Hilario ibidem n. 2 (P L 10, 345) passim excerpsit Magister. Tum ad Hilar. n. 1 rediens, ut pauca illa: *Inter veri namque* usque *tuetur,* accipiat, ubique pro more suo etiam in iis, quae accipit, aliquid demit, mutat interpolatque.

[2] II. Cor. 4, 4 et Eph. 2, 2. [3] II. Tim. 4, 4. [4] Coloss. 2, 23.

desiderii dogmate aliis ingerentes, qui contentioni studentes contra [a] veritatem sine foedere bellant ». « Inter veri namque assertionem et placiti defensionem pertinax pugna est, dum se et veritas tenet, et se voluntas erroris tuetur ».

Horum igitur [b] Deo odibilem ecclesiam evertere atque ora oppilare, ne virus nequitiae in alios effundere queant, et lucernam veritatis in candelabro exaltare volentes [1], in labore multo ac sudore [c] volumen, Deo praestante, compegimus ex testimoniis veritatis in aeternum fundatis, in [d] quatuor libris [e] distinctum.

In quo maiorum exempla doctrinamque reperies, in quo per dominicae fidei sinceram professionem vipereae doctrinae fraudulentiam prodidimus, aditum demonstrandae veritatis complexi nec periculo impiae professionis inserti, temperato inter utrumque moderamine utentes. Sicubi vero parum vox nostra insonuit, non [f] a paternis discessit limitibus [g].

« Non igitur debet hic labor cuiquam pigro vel multum docto videri superfluus, cum multis impigris multisque indoctis, inter quos etiam et [h] mihi, sit necessarius [2] », brevi volumine complicans Patrum sententias, appositis eorum testimoniis, ut non sit necesse quaerenti librorum numerositatem evolvere, cui brevitas collecta [i] quod quaeritur offert sine labore. In hoc autem tractatu non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero, maxime ubi profunda versatur veritatis quaestio, quae utinam tot haberet inventores, quot habet contradictores [3].

Ut autem quod quaeritur facilius occurrat, titulos, quibus singulorum librorum capitula distinguuntur, praemisimus [k].

EXPLICIT PROLOGUS.

---

[a] B *circa.* [b] Contra U D, ed. add. *et.* [c] Ed. cum D add. *hoc.* [d] D *et.* [e] Ed. *libros.* [f] B add. interl. *tamen.* [g] Z A *liminibus,* sed Z corr. interl. *vel limitibus.* [h] Ed. cum C om. [i] A om. [k] B om. *Ut autem..... praemisimus,* et elenchum capit. quatuor librorum, ab alia manu scriptum, habet post textum quarti libri.

---

[1] Respicitur Matth. 5, 15. [2] Ex August. *De Trin.* III. n. 1 (P L 42, 869) *. [3] Paulo aliter apud August. ibid. n. 2 (P L 42, 869) *, cuius integer locus, cum sit brevis, describitur: « Sane cum in omnibus litteris meis non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem, multo maxime in his, ubi ipsa magnitudo quaestionis, utinam tam multos inventores habere posset, quam multos contradictores habet ».

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

Distinctio I.

Cap. I. Omnis doctrina de rebus vel de signis est.
» II. De rebus, quibus fruendum est vel utendum est [a], et de his qui [b] fruuntur vel utuntur.
» III. Quid sit frui vel uti.

Distinctio II.

Cap. I. De Trinitate et Unitate.
» II. Quae fuerit intentio scribentium de Trinitate.
» III. Quis ordo sit servandus, cum de Trinitate agitur.
» IV. De testimoniis veteris Testamenti, quibus Trinitatis mysterium declaratur.
» V. De testimoniis novi Testamenti ad idem pertinentibus.

Distinctio III.

Cap. I. De cognitione Creatoris per creaturas, in quibus Trinitatis vestigium apparet.
» II. De imagine et similitudine Trinitatis in anima humana.
» III. De similitudine creantis et creatae trinitatis.
» IV. De Trinitatis [c] unitate.

Distinctio IV.

Cap. I. Utrum Deus Pater se Deum genuerit.
» II. Utrum Trinitas de uno Deo praedicetur, sicut unus Deus de tribus personis.

Distinctio V.

Cap. I. Utrum divina essentia genuerit Filium, vel genita sit a Patre, vel de ipsa natus sit Filius, vel Spiritus sanctus procedens.
» II. Quod [d] Filius non est de nihilo [e], sed de aliquo, non tamen de materia, sicut [f] et Spiritus sanctus [g].
» III. Quare Verbum Patris dicatur Filius naturae [h].

Distinctio VI.

Cap. unicum. Utrum Pater voluntate genuerit Filium [i], an necessitate, an volens vel nolens sit Deus.

Distinctio VII.

Cap. I. Utrum Pater potuerit vel voluerit gignere Filium.
» II. An posse gignere Filium sit aliqua potentia in Patre, quae non sit in Filio.

---

[a] Ed. om. [b] Ed. *quae*. [c] A B *De Trinitate et.* [d] Z add. *Dei.* [e] V *non de nullo.* [f] Ed. *sic.* [g] Z add. *procedens.* [h] U hanc quaest. ponit immediate post sequentem. [i] Ed. add. *et.*

Distinctio VIII.

Cap. I. De veritate ac proprietate divinae essentiae.
» II. De incommutabilitate eiusdem.
» III. De simplicitate eiusdem.
» IV. De corporali et spirituali creatura, quomodo sit multiplex et non simplex.
» V. Quod [a] Deus, cum sit simplex, tamen multipliciter dicitur.
» VI. Quod Dei simplicitas nulli praedicamentorum subiicitur.
» VII. Quod Deus abusive dicitur substantia.
» VIII. Quod non est in Deo aliquid, quod non sit Deus.

Distinctio IX.

Cap. I. De distinctione trium personarum.
» II. De coaeternitate Patris et Filii.
» III. De ineffabili et inintelligibili [b] generationis modo.
» IV. Utrum debeat dici: Semper gignitur Filius vel semper genitus est.
» V. De obiectionibus haereticorum nitentium probare, Filium non esse coaeternum Patri.

Distinctio X.

Cap. I. De Spiritu sancto, quod [c] amor Patris et Filii [d] proprie dicitur, cum sit in Trinitate amor, qui est Trinitas, sicut Verbum proprie dicitur sapientia, et tamen tota Trinitas dicitur sapientia.
» II. Quod eadem nomina proprie et universaliter accipiuntur.
» III. Quod Spiritus sanctus sicut Patri et Filio est communis, ita commune nomen habet proprium.

Distinctio XI.

Cap. I. Quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, quem tamen Graeci a Filio procedere diffitentur.
» II. De convenientia Latinorum et Graecorum in sensu, et differentia in verbis.

Distinctio XII.

Cap. I. Utrum Spiritus sanctus prius [e] vel plenius procedat a Patre quam a Filio.
» II. Quod Spiritus sanctus principaliter et proprie dicitur procedere a Patre.

Distinctio XIII.

Cap. I. Quare Spiritus sanctus, cum sit de substantia Patris, non dicatur genitus, sed tantum procedens.
» II. Cur Filius dicatur procedere, cum Spiritus sanctus non dicatur gigni.
» III. Quod non potest mortalis distinguere inter generationem Filii et processionem Spiritus sancti.
» IV. Utrum Spiritus sanctus debeat dici ingenitus, cum non sit genitus.

---

[a] Z *quomodo.* [b] Ita omnes infra, in textu; hic *intelligibili.* [c] Z D *qui.* [d] U add. *est et.* [e] Ita omnes infra, in textu; hic *proprius.*

Distinctio XIV.

Cap. I. De gemina processione Spiritus sancti, temporali et aeterna.
» II. Quod non solum dona Spiritus sancti, sed etiam ipse Spiritus sanctus Deus [a] datur hominibus et mittitur.
» III. An viri sancti possint dare Spiritum sanctum.

Distinctio XV.

Cap. I. Quod Spiritus sanctus a se ipso datur et Filius a se ipso mittitur.
» II. Quomodo intelligenda sit missio utriusque.
» III. Quod a Spiritu sancto etiam [b] Filius sit missus.
» IV. Quod Filius etiam sit datus a se ipso.
» V. Quomodo intelligendum sit [c]: A me ipso non veni.
» VI. Utrum semel tantum sit missus Filius, an saepe.
» VII. De duobus modis missionis Filii.
» VIII. Quod secundum alterum modum sit semel missus, secundum alterum saepe; et secundum alterum modum dicitur missus in mundum, secundum alterum non.
» IX. Quare Pater non dicitur missus.
» X. Quod Filius et Spiritus sanctus non sunt quasi minores Patre, quia missi.

Distinctio XVI.

Cap. I. De missione Spiritus sancti, quae fit duobus modis, visibiliter et invisibiliter.
» II. Quod Filius, secundum quod homo, non modo Patre sed Spiritu sancto minor etiam est.

Distinctio XVII.

Cap. I. Quod Spiritus sanctus est caritas, qua diligimus Deum et proximum [d].
» II. Quod fraterna [e] dilectio est Deus non Pater nec [f] Filius, sed tantum Spiritus sanctus.
» III. Quod non est dictum per causam illud: Deus est caritas, sicut illud: Tu es patientia [g] et spes mea.
» IV. Quomodo Spiritus sanctus mittatur vel detur nobis.
» V. Utrum Spiritus sanctus augeatur in homine, vel minus vel [h] magis habeatur vel detur, et an detur habenti et [i] non habenti.
» VI. Quod aliqui dicunt, caritatem Dei et proximi non esse Spiritum sanctum.

Distinctio XVIII.

Cap. I. Utrum concedendum sit, per donum dari dona.
» II. Utrum Spiritus sanctus eadem ratione dicatur donum [k], qua [l] datum sive donatum.

---

[a] Ita U V D; ed. om.; C legit *Spiritus Deus*. [b] B om. [c] Ed. add. *illud*. [d] U *proximos*. [e] B *superna*. [f] Ed. *vel*. [g] Ita U Z; ed. add. *mea*. [h] Ed. cum Z *et*. [i] Z A C *vel*. [k] U om. [l] Z *quam*.

Cap. III. Quod sicut Filius nascendo accepit non tantum, ut esset Filius, sed etiam essentia, ita [a] Spiritus sanctus procedendo accepit non tantum, ut esset donum, sed ut esset essentia.
» IV. Quod Spiritus sanctus dicitur donum et donatum, secundum duos modos praedictos processionis, qui [b], secundum quod donum est, refertur ad Patrem [c]; et secundum quod datum, ad eum qui dedit, et ad eos quibus datur.
» V. An Filius, cum sit nobis datus, possit dici noster, ut Spiritus sanctus.
» VI. Utrum Spiritus sanctus ad se ipsum referatur.

Distinctio XIX.

Cap. I. De aequalitate trium personarum.
» II. Quod aeternitas et magnitudo et potentia in Deo est unum, etsi videantur [d] diversa.
» III. Quod aliqua personarum aliam non excedit magnitudine, quia non est maior una persona quam [e] alia, nec maius aliquid duae quam una, nec tres quam duae vel una.
» IV. Quomodo dicitur Pater esse in Filio et Filius in Patre et Spiritus sanctus in utroque.
» V. Quod nulla personarum pars est in Trinitate.
» VI. Quare tres personae dicantur summe unum.
» VII. Cum dicimus, tres personas esse unam essentiam, nec ut genus de speciebus nec ut speciem de individuis praedicamus, quia non est essentia genus, et persona species, vel essentia species et personae individua.
» VIII. Quod nec secundum materialem causam dicuntur tres personae una essentia.
» IX. Nec ita dicuntur tres personae una essentia, ut tres homines [f] unius naturae.
» X. Utrum tres personae differant numero, quae proprietatibus distinctae sunt.
» XI. Quare tres personae simul non sunt maius aliquid quam una.
» XII. Quod Deus non est dicendus triplex, sed unus [g].

Distinctio XX.

Cap. I. Quod aliqua personarum non excedit [h] aliam potentia.
» II. Quod non minus potest Filius quam Pater.
» III. De obiectionibus haereticis contra hoc et responsionibus catholicis.

Distinctio XXI.

Cap. I. Quomodo possit dici: Solus Pater vel solus Filius vel solus Spiritus sanctus, cum sint inseparabiles.
» II. Utrum debeat dici: Solus Pater est Deus, vel solus Filius est Deus, vel solus Spiritus sanctus est Deus [i]; an Pater est solus Deus, Filius est solus Deus, Spiritus sanctus est solus Deus.

---

[a] V add. *etiam.* [b] A *quod.* [c] Ed. add. *et Filium;* B om. *secundum q. d. e. r. a. Patrem.* [d] B add. *esse.* [e] Z B D om. [f] Ed. add. *una natura vel.* [g] Z *trinus.* [h] Z *excellit.* [i] Z om. *vel s. S. s. e. Deus.*

Cap. III. Quomodo dicatur Trinitas est [a] solus Deus, cum ipsa sit cum spiritibus et animabus sanctis.

Distinctio XXII.

Cap. I. De nominum differentiis [b], quibus utimur loquentes de Deo.
» II. De illis [c] quae temporaliter Deo conveniunt et dicuntur relative.
» III. De hoc nomine, quod est Trinitas [d].
» IV. De his quae proprie pertinent ad singulas personas, et de his quae unitatem essentiae significant.

Distinctio XXIII.

Cap. I. De hoc nomine, quod est [e] persona, quod [f] secundum substantiam dicitur, non singulariter, sed pluraliter accipitur in summa.
» II. Qua necessitate dictum sit [g] tres personae a Latinis, et a Graecis tres hypostases vel substantiae.
» III. Quare non dicimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse [h] tres Deos, et tres personas.
» IV. Cur non dicimus tres essentias, ut tres personas.
» V. Quod in Trinitate non est diversitas vel singularitas vel solitudo, sed unitas et trinitas et distinctio et identitas.
» VI. Quod non debet dici Deus multiplex.

Distinctio XXIV.

Cap. unicum. Quid significetur his nominibus unus [i], duo vel duae, tres vel tria, trinus vel trinitas, plures vel pluralitas, distinctio vel distinctae, cum his utamur [k] loquentes de Deo.

Distinctio XXV.

Cap. I. Quid significetur hoc nomine persona in plurali numero [l], scilicet cum dicitur personae.
» II. De triplici acceptione huius nominis persona in Trinitate.
» III. Ex quo sensu dicatur alia persona Patris, et [m] alia Filii [n], sive alius in persona Pater, alius Filius [o].
» IV. De hoc nomine hypostasis.

Distinctio XXVI.

Cap. I. De proprietatibus personarum et de nominibus earum relativis.
» II. Quod non omnia dicuntur de Deo secundum substantiam, quaedam enim secundum relationem, nihil tamen secundum accidens.

---

[a] Contra U A C, ed. om. [b] Ed. *differentia.* [c] In U V haec quaestio ponitur post sequentem. [d] C add.: *De illis quae temporaliter Deo conveniunt et non dicuntur relative.* [e] D om. *quod est.* [f] Ed. add. *cum.* [g] D *dictae sint;* C *dicuntur.* [h] D om. [i] B add. *vel una.* [k] Z *utuntur.* [l] D om. *Scilicet c. d. personae.* [m] Ed. cum Z om. [n] Z add. *alia Spiritus Sancti.* [o] V *persona Filius, alius Pater.*

Cap. III. Quare dicatur, proprium esse Unigeniti [a] Filium Dei esse, cum etiam homines sint filii Dei.
» IV. Quod homo dicitur filius Trinitatis et Trinitas pater hominum.
» V. Quod Spiritus sanctus eadem proprietate donum dicitur, qua Spiritus sanctus, et utroque modo relative vel ad Patrem vel ad Filium.
» VI. Utrum Pater vel Trinitas ipsa vel Filius possit dici Spiritus sanctus.
» VII. Quod non omnia, quae relative dicuntur, suis ad se [b] vicissim [c] respondent vocabulis.

Distinctio XXVII.

Cap. I. Quae sint illae proprietates, quibus distinguuntur personae.
» II. Quod non omnino idem dicere est: Esse patrem et genuisse vel habere filium.
» III. Quod proprietates determinant hypostases, non substantiam, id est [d] naturam.
» IV. De generali regula eorum quae ad se, et eorum quae relative dicuntur.
» V. An secundum substantiam dicatur Deus de Deo et huiusmodi.

Distinctio XXVIII.

Cap. I. Quod non tres tantum sunt proprietates personarum.
» II. An solus Pater debeat dici non-genitus vel non-Filius, sicut dicitur ingenitus.
» III. De proprietate, quam notat ingenitus.
» IV. Responsio Ambrosii contra Arianos de ingenito.
» V. An diversum sit esse Patrem et esse Filium.
» VI. Si sapientia dicitur genita secundum relationem, vel secundum [e] substantiam.
» VII. De imagine.

Distinctio XXIX.

Cap. I. De principio.
» II. Quod ab aeterno Pater est principium et Filius, sed [f] non Spiritus sanctus.
» III. Quomodo Pater sit principium Filii, et ipse cum Filio Spiritus sancti.
» IV. An eadem notione [g] Pater et Filius sint principium Spiritus sancti.

Distinctio XXX.

Cap. I. De his quae temporaliter de Deo dicuntur, et relative secundum accidens, quod non Deo, sed creaturis accidit.
» II. An Spiritus sanctus dicatur datum vel donatum relative ad se, cum a se detur.

Distinctio XXXI.

Cap. I. An Filius dicatur aequalis vel similis Patri secundum substantiam.

---

[a] U *unigenitum.* [b] C om. *se.* [c] Z C *invicem.* [d] U *vel;* Z *idem.* [e] U om. [f] A D *et.* [g] Z add. *dicatur.*

Cap. II. De sententia sancti Hilarii, qua in Trinitate personarum propria [a] ostendit.
» III. Quare Patri attribuitur unitas.
» IV. Quare Pater et Filius dicantur unum esse [b] vel unus Deus, sed non unus.
» V. Quare dicitur esse aequalitas in Filio [c].
» VI. Quare in Spiritu sancto dicitur esse virtus [d], concordia vel connexio.

Distinctio XXXII.

Cap. I. Utrum Pater vel Filius ea dilectione diligat, quae procedit ab utroque, id est Spiritu sancto [e].
» II. Utrum Pater sit sapiens sapientia, quam [f] genuit.
» III. An Filius sit sapiens se ipso vel per se ipsum.
» IV. An una tantum sit sapientia Patris [g].
» V. Sicut in Trinitate est [h] dilectio, quae est Trinitas, et tamen Spiritus sanctus est dilectio, quae non [i] est Trinitas, nec ideo duae sunt dilectiones, ita et de sapientia.
» VI. Quare Pater non dicitur sapiens sapientia genita, sicut dicitur diligens dilectione, quae ab ipso procedit.

Distinctio XXXIII.

Cap. I. Utrum proprietates personarum sint ipsae personae vel divina usia.
» II. Quomodo proprietates possint esse in natura Dei nec eam determinent.

Distinctio XXXIV.

Cap. I. De verbis Hilarii, quibus secundum pravorum intelligentiam videtur dicere, non idem esse divinam naturam et rem naturae, et non idem esse Deum et [k] quod Dei est.
» II. Utrum ita possit dici: Unus Deus trium [l] personarum, ut dicitur una essentia trium personarum; et tres personae unius Dei, ut tres personae unius essentiae.
» III. Quod potentia, sapientia, bonitas in Scriptura interdum ad personas distincte referuntur.
» IV. Quare Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas tribuatur, cum sit una potentia, sapientia, bonitas trium.
» V. De hoc nomine homousion, ubi in auctoritate receptum sit, et quid significet.

Distinctio XXXV.

Cap. I. De scientia et [m], praescientia, providentia, dispositione et praedestinatione Dei.
» II. De quibus providentia [n] sit vel praescientia Dei [o].

---

[a] Z *proprietates.* [b] B D om. [c] Z add. *cum sit una aequalitas trium.* [d] Ed. rectius *utriusque.* [e] Z B C *Spiritus sanctus.* [f] C *qua.* [g] A C iungunt hunc titulum cum sequenti. [h] B add. *una.* [i] U V om. [k] U om. [l] Z add. *esse.* [m] Ed. om. [n] U *praevidentia.* [o] Ed. om.

Cap. III. De quibus dispositio [a].
» IV. De quibus praedestinatio [b].
» V. De quibus providentia.
» VI. De quibus sapientia vel scientia.
» VII. Utrum praescientia vel dispositio vel praedestinatio Dei esse potuerit, si nulla essent futura.
» VIII. Quod scientia Dei est de temporalibus et aeternis.
» IX. Quomodo omnia dicuntur esse in Deo et vita in eo.

Distinctio XXXVI.

Cap. I. Utrum omnia debeant dici esse in Dei essentia, ut in Dei cognitione vel praesentia [c] esse dicuntur.
» II. Qua ratione bona dicuntur esse in Deo et non mala.
» III. Utrum idem sit: Omnia esse ex Deo et, per ipsum et in ipso.
» IV. Quod omnia sunt in quolibet trium et per ipsum et in ipso.
» V. Quod non omnia, quae ex Deo sunt, etiam de ipso sunt.

Distinctio XXXVII.

Cap. I. Quibus modis dicitur esse Deus in rebus.
» II. Quod Deus non ubicumque est habitat, sed [d] e converso.
» III. Ubi erat Deus, antequam esset [e] creatura.
» IV. Quod Deus, cum sit in omnibus rebus essentialiter, non tamen [f] coinquinatur sordibus rerum.
» V. Cum Deus sit [g] ubique et semper, non tamen localis, nec loco, nec tempore movetur.
» VI. Quibus modis aliquid dicatur locale aut circumscriptibile.
» VII. Quid sit mutari secundum tempus [h].
» VIII. Utrum spiritus creati sint locales et circumscriptibiles.
» IX. Quod Deus est ubique sine locali motu.

Distinctio XXXVIII.

Cap. I. An scientia vel praescientia Dei sit causa rerum vel e converso.
» II. Utrum praescientia Dei possit falli.

---

[a] Z om. caput III. [b] U om. totum caput IV. [c] Contra codices ed. cum Z *praescientia*. Lectionem nostram respuunt praedecessores nostri tom. I, pag. 21 nota 2, dum eodem tomo, pag. 617 nota 1 animadvertunt: « Hic et in toto hoc et sequenti capitulo omnes codd. nostri et. edd., exceptis Vat. et edd. 2, 8, pro *praescientia* ponunt *praesentia*; quod quidem in se non est falsum, ut explicatur a Magistro dist. XXXV, c. 9, attamen minus congruum ». Nos autem auctoritati meliorum et antiquissimorum codicum standum esse iudicamus, eo vel amplius quod lectio nostra magis quam altera textui Magistri congruere videatur. [d] D add. *non*. [e] B add. *aliqua*. [f] U om. [g] U om. [h] V octavum et nonum capit. coniungens, continuat *et quod Spiritus*.

Distinctio XXXIX.

Cap. I. Utrum scientia Dei possit augeri vel minui vel aliquo modo mutari.
» II. An Deus possit noviter vel ex tempore scire vel praescire aliquid.
» III. Utrum Deus [a] possit scire plura, quam scit.
» IV. Quod Deus et semper et simul scit omnia.

Distinctio XL.

Cap. I. An aliquis praedestinatus possit damnari vel reprobus salvari.
» II. Quid sit reprobatio Dei, et in quibus consideretur, et quid [b] sit praedestinationis effectus [c].

Distinctio XLI.

Cap. I. Utrum aliquid [d] sit meritum obdurationis vel misericordiae.
» II. De variis super hoc carnalium opinionibus.
» III. An ea quae semel scit Deus vel praescit, semper sciat et praesciat et semper scierit et praescierit.

Distinctio XLII.

Cap. I. De omnipotentia Dei [e], quare dicatur omnipotens, cum nos multa possimus [f], quae ipse non possit.
» II. Quomodo dicatur Deus [g] omnia posse.
» III. Quod omnipotentia Dei secundum duo consideretur.

Distinctio XLIII.

Cap. unicum. Invectio contra illos qui dicunt, Deum nil posse, nisi quod vult et facit.

Distinctio XLIV.

Cap. I. An Deus possit facere aliquid melius, quam facit, vel alio vel meliori modo.
» II. Utrum Deus semper possit omne quod potuit.

Distinctio XLV.

Cap. I. De voluntate Dei, quae essentia Dei est, et de signis eius.
» II. Quod, licet idem sit Deo velle quod esse [h], non tamen potest dici Deus omnia [i] esse quae vult.
» III. De intelligentia harum locutionum: Deus scit vel [k] Deus vult, Deus scit omnia vel vult aliquid [l].
» IV. Quod Dei voluntas summe bona causa est omnium, quae naturaliter sunt, eius autem [m] causa non est quaerenda, quia prima est et summa causa omnium.

---

[a] U om. [b] Ed. *quis;* B *qui.* [c] A B add. *vel modus.* [d] Ita U Z; ed. *aliquod.* [e] Z om. [f] V Z A *possumus.* [g] U om. [h] B *esse quod velle.* [i] B om. [k] B D om. [l] Z A om. *Deus s. o. v. v. aliquid.* [m] Ed. cum Z *cuius* pro *eius autem.*

Cap. V. Quibus modis accipitur Dei voluntas.
» VI. Quod praeceptio, prohibitio, permissio, consilium, operatio nomine voluntatis interdum [a], intelliguntur.
» VII. Utrum Deus velit ab omnibus fieri ea quae praecipit, vel non fieri quae prohibet.

Distinctio XLVI.

Cap. I. Quod voluntas Dei, quae ipse est, in nullo cassari potest.
» II. Quomodo intelligendum sit illud: Volui congregare filios tuos, et noluisti; et illud: Qui vult omnes homines salvos fieri.
» III. Utrum mala Deo volente vel nolente fiant.
» IV. Quomodo intelligendum sit illud Augustini: Mala fieri bonum est.
» V. De multiplici acceptione boni.
» VI. Quod mala universitati valent.
» VII. Quod in Deo non est causa, ut sit homo deterior.

Distinctio XLVII.

Cap. I. Quomodo [b] voluntas Dei de homine impletur, quocumque se vertat.
» II. Ex quo sensu quaedam dicuntur fieri contra Dei voluntatem.
» III. Quare praecipit [c] Deus omnibus [d] bona facere et mala vitare, si [e] non id ab omnibus vult impleri.

Distinctio XLVIII.

Cap. I. Quod homo aliquando bona voluntate aliud vult quam Deus, et mala idem quod Deus [f].
» II. Quod Dei voluntas per malas hominum voluntates impletur.
» III. Utrum placuerit viris sanctis, quod Christus pateretur et moreretur.
» IV. Utrum passiones Sanctorum debeamus velle.

Expliciunt capitula.

---

[a] A B C om. [b] B *quod.* [c] Ed. cum Z *praecepit.* [d] Z *omnia.* [e] Ita U V; Z B D *sed;* ed. *etsi.* [f] Z add. *bona voluntate vult.*

INCIPIT LIBER PRIMUS

DE MYSTERIO TRINITATIS [a]

DISTINCTIO I.

Cap. I.

Omnis doctrina de rebus vel de signis est [b].

1 Veteris ac novae Legis continentiam diligenti indagine etiam atque etiam considerantibus nobis praevia Dei gratia innotuit, sacrae paginae tractatum circa res vel signa praecipue versari.

Ut enim egregius doctor Augustinus ait in libro *De doctrina christiana* [1]: « Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum. Sed res etiam [c] per signa discuntur. Proprie autem hic res appellantur, quae non ad significandum aliquid adhibentur; signa vero, quorum usus est in significando ».

Eorum autem aliqua sunt, quorum omnis usus est in significando, non in iustificando, id est, quibus non utimur nisi aliquid significandi gratia, ut aliqua Sacramenta legalia; alia, quae non solum significant, sed conferunt quod intus adiuvet, sicut evangelica Sacramenta.

2 « Ex quo aperte intelligitur, quae hic appellentur signa, res illae videlicet, quae ad significandum aliquid adhibentur. Omne igitur signum etiam res aliqua est. Quod enim nulla res est, ut in eodem Augustinus ait, omnino nihil est; non autem e converso omnis res signum est [2] », quia non adhibetur ad significandum aliquid. Cumque his intenderit theologorum speculatio studiosa atque modesta, divinam Scripturam formam praescriptam [d] in doctrina tenere advertet.

---

[a] Hunc titulum, qui ubique deest, supplevimus ex fine huius Primi Libri, ubi omnes codd. conveniunt. [b] Titula capitulorum desumimus ex indice supraposito. [c] U add. *et*. [d] D *desciptam*.

[1] Libr. I, cap. 2, n. 2 (PL 34, 19)*. [2] Ibid. c. 3, n. 4*.

De his ergo nobis aditum ad res divinas aliquatenus intelligendas, Deo duce, aperire volentibus disserendum est; et primum de rebus, postea de signis disseremus.

Cap. II.

De rebus quibus fruendum est, vel utendum est, et de his qui fruuntur et utuntur.

« Id ergo in rebus considerandum est, ut in eodem [1] Augu- 3
stinus ait, quod res aliae sunt, quibus fruendum est, aliae, quibus utendum est, aliae, quae fruuntur et utuntur. Illae [a], quibus fruendum est, nos beatos faciunt; istis, quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adiuvamur et quasi adminiculamur, ut ad illas res, quae nos beatos faciunt, pervenire eisque inhaerere possimus. Res vero, quae fruuntur et utuntur, nos sumus, quasi inter utrasque constituti », et Angeli [b] sancti.

« Frui autem est amore inhaerere alicui rei propter se ipsam [c]; 4
uti vero id quod in usum venerit referre ad obtinendum illud, quo fruendum est; alias abuti est, non uti. Nam usus illicitus abusus vel abusio nominari debet [2] ».

« Res igitur, quibus fruendum est, sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus. Eadem tamen Trinitas quaedam summa res est communisque omnibus fruentibus ea, si tamen res dici debet et non rerum omnium causa, si tamen et causa. Non enim facile potest inveniri nomen, quod tantae excellentiae conveniat, nisi quod melius dicitur Trinitas haec unus Deus [3] ».

Res autem, quibus utendum est, mundus est et in eo creata. 5

Unde Augustinus in eodem [4]: « Utendum est hoc mundo [d], non fruendum, ut *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciantur* [5], id est, ut de temporalibus aeterna capiantur.

Item in eodem [6]: « In omnibus rebus illae tantum sunt, quibus fruendum est, quae aeternae et incommutabiles sunt; ceteris autem utendum est, ut ad illarum perfruitionem perveniatur ».

---

[a] V *in*. [b] Ed. add. *et*. [c] D add. *tantum*. [d] Z add. *et*.

---

[1] Ibid. Cfr. Hugo a S. Vict. *Sum. Sent.* tr. 1, c. 10 (PL 176, 57) et Abaelard. *Sic et non* c. 8 (PL 178, 1363). [2] Aug. loc. cit., c. 4 (PL 34, 20). [3] Ibid. c. 5. [4] Libr. I, c. 4 (PL 34, 20). [5] Rom. 1, 20. [6] Ibid. c. 5.

Unde Augustinus [a] in libro X *De Trinitate* [1]: « Fruimur cognitis, in quibus ipsis propter se voluntas delectata conquiescit; utimur vero eis quae ad aliud referimus, quo fruendum est ».

Cap. III.

Quid sit frui vel uti.

6 Notandum vero [b], quod idem Augustinus in libro X *De Trinitate* [2], aliter quam supra accipiens uti et frui, sic dicit: « Uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis; frui autem est uti cum gaudio non adhuc spei, sed iam rei; ideoque omnis, qui fruitur, utitur; assumit enim aliquid in facultatem voluntatis cum fine delectationis. Non autem omnis, qui utitur, et fruitur; si id quod in facultatem voluntatis assumit, non propter ipsum, sed propter aliud appetivit [c] ».

7 Et attende, quia videtur Augustinus dicere, illos frui tantum, qui in re gaudent, non iam in spe; et ita in hac vita non videmur frui, sed tantum uti, ubi gaudemus in spe, cum supra dictum sit, frui esse amore inhaerere alicui rei propter se, qualiter etiam hic multi adhaerent Deo.

Haec ergo, quae sibi contradicere videntur, sic determinamus dicentes, nos et hic et in futuro frui, sed ibi proprie et perfecte et plene, ubi per speciem videbimus quo fruemur; hic autem, dum in spe ambulamus, fruimur quidem, sed non adeo plene.

Unde Augustinus [d] in libro X *De Trinitate* [3]: « Fruimur cognitis, in quibus ipsis voluntas est [e] ».

Item [f] in libro *De doctrina christiana* [4] ait: « Angeli illo fruentes iam beati sunt, quo et nos frui desideramus; et quantum in hac vita iam fruimur vel *per speculum* vel [g] *in aenigmate* [5], tanto nostram peregrinationem et tolerabilius sustinemus et ardentius finire cupimus ».

---

[a] A *Idem* loco *Unde Augustinus.* [b] Z add. *est.* [c] Ed. cum Z (correct.) *appetit.* [d] V A B om. [e] Ed. et D integrum textum ponunt sic: *voluntas propter se delectata conquiescit.* [f] Ita U; V *deinde;* ed. *idem.* [g] V *et.*

---

[1] Cap. 10, n. 13 (PL 42, 981). [2] Cap. 11, n. 17 (PL 42, 982). [3] Cap. 10, n. 13 (PL 42, 981). [4] Libr. I, c. 30, n. 34 (PL 39, 30). [5] Respicitur I. Cor. 13, 12.

Potest etiam dici, quod qui etiam fruitur in hac vita non tan- 8
tum habet gaudium spei, sed etiam rei, quia iam delectatur in eo quod diligit, et ita iam rem aliquatenus tenet. Constat ergo, quia Deo debemus frui, non uti. « Illo enim, ut ait Augustinus [1], frueris, quo efficieris beatus et in quo spem ponis, ut ad id pervenias ».

De hoc idem ait in libro *De doctrina christiana* [2]: « Dicimus ea re frui nos, quam diligimus propter se, et ea re nobis fruendum esse tantum, qua efficimur beati; ceteris vero utendum ». Frequenter tamen « dicitur frui cum delectatione uti. Cum enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum gerit. Si tamen per eam transieris, et ad illud, ubi permanendum est, eam retuleris, uteris ea et abusive, non proprie diceris frui. Si vero inhaeseris atque permanseris, finem in ea ponens laetitiae tuae, tunc vere et proprie frui dicendus es; quod non est faciendum nisi in illa Trinitate, id est, in [a] summo et incommutabili bono [3] ».

Cum autem homines, qui fruuntur et utuntur aliis rebus, res 9
aliquae sint, quaeritur « utrum frui se debeant, an uti, an utrumque ».

Ad quod sic respondet Augustinus in libro *De doctrina christiana* [4]: « Si propter se homo diligendus est, fruimur eo; si propter aliud, utimur eo: videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur beata vita, cuius etiam spes hoc tempore [b] consolatur. In homine autem spes ponenda non est, quia *maledictus est* [5] qui hoc facit. Ergo si liquide advertas, nec seipso quisquam frui debet, quia non se debet diligere propter se, sed propter illud quo fruendum est ».

Huic autem contrarium videtur quod Apostolus ad Phile- 10
monem [6] loquens ait: *Ita, frater, ego te fruar in Domino.*

Quod ita determinat Augustinus [7]: « Si dixisset tantum *te fruar,* et non addidisset *in Domino,* videretur finem dilectionis ac spem constituisse in eo; sed quia illud addidit, *in Domino* se finem posuisse eodemque [c] frui significavit ». « Cum enim », ut

---

[a] Ed. om. [b] Ed. add. *nos.* [c] A C D add. *se.*

---

[1] Libr. I *De doctr. christ.* c. 33, n. 37 (PL 34, 33). [2] Ibid. c. 31, n. 34 (PL 34, 32). [3] Loc. cit. c. 33, n. 37 (PL 34, 33). [4] Libr. I, c. 22 (PL 34, 26)*. [5] Alluditur ad Ierem. 17, 5. [6] Vers. 20. [7] *De doctr. christ.* c. 33, n. 37 (PL 34, 33)*.

idem Augustinus ait [a], « homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris ».

11 Sed cum Deus diligat nos, ut frequenter Scriptura dicit, quae eius dilectionem erga nos multum commendat, quaerit Augustinus [1], quomodo diligit, an ut utens, an ut fruens, et procedit ita: « Si fruitur [b], eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit; ait enim Propheta [2]: *Bonorum meorum non indiges* [c]. Omne enim bonum nostrum vel ipse est, vel ab ipso est: non ergo fruitur nobis, sed utitur. Si enim nec fruitur nobis [d] nec utitur, non invenio, quomodo diligat nos. Neque tamen sic utitur nobis, ut nos aliis rebus. Nos enim res, quibus utimur, ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur; Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert: ille enim miseretur nostri propter suam bonitatem, nos autem nobis invicem propter illius bonitatem; ille [e] nostri miseretur, ut se perfruamur, nos vero nostri invicem miseremur, ut illo perfruamur [f]. Cum enim nos alicuius miseremur et alicui consulimus, ad eius quidem facimus utilitatem [g] eamque [h] intuemur, sed [i] et nostra fit [k] consequens, cum [l] misericordiam, quam aliis [m] impendimus, non relinquit Deus sine mercede. Haec autem merces summa est, ut ipso perfruamur ».

Item: « Quia bonus est, sumus, et inquantum sumus, boni sumus. Porro quia etiam iustus est, non impune mali sumus, et in quantum mali sumus, in tantum etiam minus sumus. Ille igitur usus, quo nobis utitur Deus, non ad eius, sed ad nostram utilitatem refertur, ad eius vero tantummodo bonitatem ».

12 Hic considerandum est, utrum virtutibus sit utendum, an fruendum.

Quibusdam videtur, quod eis sit utendum et non fruendum, et hoc confirmant auctoritate [n] Augustini [3], qui, ut praetaxatum est, dicit, non esse fruendum nisi Trinitate, id est, summo et incommutabili bono.

Item dicunt, ideo non esse fruendum eis, quia propter se amandae non sunt, sed propter aeternam [o] beatitudinem. Illud autem, quo fruendum est, propter se amandum est.

---

[a] B add. *si.* [b] D add. *nobis.* [c] Ed. cum D *eges.* [d] B om. [e] Z add. *enim.* [f] B D *fruamur.* [g] D add. *cui consulimus.* [h] B *eamdemque.* [i] B add. *ut.* [k] B *sit.* [l] Z add. *et.* [m] V Z A B *alii;* D *alicui.* [n] C *confirmatur auctoritate;* D *confirmant auctoritates.* [o] V *solam.*

[1] *De doctr. christ.* l. c. 31, n. 34, 35 (P L 34, 32). [2] Psalm. 15, 2. [3] Loc. cit. c. 33, n. 37 (P L 34, 33); vide supra pag. 17.

Sed quod virtutes propter se amandae non sint, immo propter solam beatitudinem, probant auctoritate [a] Augustini, qui in libro XIII *De Trinitate* [1] contra quosdam [b] ait: « Forte virtutes, quas propter solam beatitudinem amamus, sic persuadere nobis audent, ut ipsam beatitudinem non amemus; quod si faciunt, etiam ipsas utique amare desistimus, quando illam [c], propter quam solam istas amavimus, non amamus ». Ecce his verbis videtur Augustinus ostendere, quod virtutes non propter se, sed propter solam beatitudinem amandae sint. Quod si ita est, ergo eis fruendum non est.

Aliis vero contra videtur, scilicet quod eis fruendum sit, quia 13
propter se petendae [d] et amandae sunt. Et hoc confirmant auctoritate Ambrosii [2], qui ait super illum locum Epistolae ad Galatas: *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia* etc.: « Haec non nominat [e] opera, sed fructus, quia propter se petenda sunt [3] ». Si vero propter se petenda sunt, ergo propter se amanda.

Nos vero harum quae videntur [f] auctoritatum repugnantiam 14
de medio eximere [g] cupientes, dicimus, quod virtutes propter se petendae et amandae sunt, et tamen propter solam beatitudinem. Propter se quidem amandae sunt [h], quia delectant sui [i] possessores sincera et sancta delectatione et in eis pariunt gaudium spirituale. Verumtamen non est hic consistendum, sed ultra gradiendum. Non hic haereat dilectionis gressus, neque hic sit dilectionis terminus, sed referatur hoc ad illud summum bonum, cui soli omnino inhaerendum est, quia illud propter se tantum amandum est, et ultra illud nihil quaerendum est; illud est enim supremus finis.

Ideo Augustinus dicit, quod eas diligimus propter solam beatitudinem, non quin eas propter se diligamus, sed quia id ipsum, quod eas diligimus, referimus ad illud summum bonum, cui soli

---

[a] D *auctoritates;* Z add. *beati.* [b] V om. *contra quosdam.* [c] Z add. *beatitudinem.* [d] U *appetendae.* [e] D *nominantur.* [f] Z D *videtur.* [g] U *eripere.* [h] Z om. *amandae sunt.* [i] D *suos.*

---

[1] Cap. 8, n. 11 (PL 42, 1022). [2] *Super Epist. ad Galatas* c. 5, 22 (PL 17, 368): « Non dixit: opera spiritus caritas est, sed fructus spiritus ». [3] Verba, « quia propter se petenda sunt », idem Lombardus habet *Collat. in Epist. Pauli ad Gal.* (PL 192, 160): « *Fructus autem:* quasi dicat, haec quae enumeravi, sunt opera carnis; sed ista sunt opera spiritus, quae sequuntur, quae tamen non nominat opera, sed *fructus,* quia propter se petenda sunt ».

inhaerendum est, et in eo permanendum finisque laetitiae ponendus; quare virtutibus non est fruendum.

15 Sed dicet aliquis: Frui est amore inhaerere alicui rei propter se ipsam, ut praedictum est; si ergo virtutes propter se amandae sunt, et eis fruendum est.

Ad quod dicimus: In illa descriptione, ubi dicitur propter se ipsam, intelligendum est tantummodo, ut scilicet ametur propter se ipsam tantum, ut non referatur ad aliud, sed ibi ponatur finis, ut supra ostendit Augustinus dicens [1]: « Si inhaeseris atque permanseris, finem ponens laetitiae [a], tunc vere et proprie frui dicendus es. Quod non est faciendum nisi in illa Trinitate, id est [b], summo et incommutabili bono ». Utendum est ergo [c] virtutibus et per eas fruendum summo bono; ita et de voluntate bona dicimus.

Unde Augustinus in libro X *De Trinitate* [2] ait: « Voluntas est per quam fruimur »; ita et per virtutes fruimur, non eis, nisi forte aliqua virtus sit Deus, ut caritas, de qua post tractabitur [3].

16 « Omnium igitur, quae dicta sunt, ex quo de rebus specialiter tractavimus, haec summa est [4] » : quod aliae sunt, quibus fruendum [d], aliae, quibus utendum [e], aliae, quae fruuntur et utuntur; et inter eas, quibus utendum est [f], etiam [g] quaedam sunt, per quas fruimur, ut virtutes et potentiae animi [h], quae sunt naturalia bona [i]. De quibus omnibus, antequam tractemus de signis, agendum est, ac primum de rebus, quibus fruendum est, scilicet de sancta atque individua Trinitate.

DISTINCTIO II.

Cap. I.

De Trinitate et Unitate.

17 Hoc itaque vera [k] ac pia fide tenendum est, « quod Trinitas sit unus [l] et solus [m] verus Deus, ut ait Augustinus in I libro

---

[a] Ed. add. *tuae.* [b] B add. *in.* [c] U om. [d] Ed. et Z (interl.) add. *est.* [e] Ed. cum D add. *est.* [f] V om. [g] B om. [h] D *animae.* [i] D *dona.* [k] Z *pura.* [l] U add. *verus.* [m] Z add. *et.*

---

[1] *De doctr. christ.* l. c. 33, n. 37 (PL 34, 33). [2] Cap. 10, n. 13 (PL 42, 981). [3] Infra dist. 17. [4] Augustin. *De doctr. christ.* loc. cit.

De Trinitate [1], scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus; et haec Trinitas unius eiusdemque substantiae vel essentiae dicitur, creditur et intelligitur, quae est summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur. Mentis enim humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur ».

Idem in eodem [a 2]: « Non approbo quod in oratione [b] dixi: *Deus, qui* 18
nisi [c] *mundos verum scire voluisti* [3]. Responderi enim potest, multos [d] etiam non mundos [e] multa scire vera ».

De hac igitur re summa et excellentissima cum modestia et 19
timore agendum est, et attentissimis auribus atque devotis [f] audiendum, « ubi quaeritur unitas Trinitatis, Patris scilicet [g] et Filii et Spiritus sancti, quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur [4] ».

Proinde omnis, qui audit et legit ea quae de ineffabili et inaccessibili Deitatis luce dicuntur, studeat imitari atque servare, quod venerabilis doctor Augustinus in libro I *De Trinitate* [5] de se ipso ait: « Non pigebit me, inquit, sicubi haesito, quaerere, nec pudebit [h], sicubi erro, discere. Quisquis ergo haec audit vel legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter haesitat, quaerat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul caritatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est [6]: *Quaerite faciem eius semper* [i] ».

Cap. II.

Quae fuerit intentio scribentium de Trinitate.

« Omnes autem [k] catholici tractatores, ut in eodem libro [l 7] 20
Augustinus ait, qui de Trinitate, quae Deus est, scripserunt,

[a] Hanc notulam omittit B; U habet in textu, sed per verbum *volatilis* delendam indicavit; V Z A C habent in columna collaterali; D in pleno textu. De huiusmodi notulis adiunctis, in Praefatione egimus. — Omnes codd. legunt *in eodem*, sed rectius ed. *in libro I Retractationum.* [b] D add. *Dominica.* [c] Ita U; alii *nonnisi.* [d] U om. [e] D *immundos* pro *non mundos.* [f] Z add. *est.* [g] B om. [h] B add. *me.* [i] D om. [k] V *enim,* quod saepius pro *autem* usurpatur. [l] Ed. om.

[1] Cap. 2, n. 4 (P L 42, 822). [2] Potius *Libr. I Retractationum,* cap. 4, n. 2 (P L 32, 589). [3] Haec orantis verba leguntur *Soliloq.* libr. I, c. 1, n. 2 (P L 32, 870). [4] August., l. *De Trin.* c. 3, n. 5 (P L 42, 822). [5] Cap. 2, n. 4, 5 (P L 42, 822). [6] Psalm. 104, 4. [7] Nempe *De Trin.* l. c. 4, n. 7 (P L 42, 824) *. Cfr. Hugo, II. *De Sacram.* p 1, c. 4 (P L 176, 376).

hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unius sint substantiae et inseparabili aequalitate unus sint Deus, ut sit unitas in essentia et pluralitas in personis. Ideoque non sunt tres dii, sed unus Deus, licet Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est; et Spiritus sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus utrique coaequalis et ad Trinitatis pertinens unitatem ».

21 Augustinus [a] in libro I *Retractationum* [1]: « Ubi dixi de Patre et Filio: qui gignit et quem gignit unum est, dicendum fuit unum sunt, sicut aperte ipsa Veritas loquitur, dicens: *Ego et Pater unum sumus* [2] ».

22 « Teneamus igitur, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum, ut ait Augustinus in libro *De fide ad Petrum* [3]; nec tamen ipsum Patrem esse qui Filius [b]; nec Filium ipsum esse qui Pater est; nec Spiritum sanctum ipsum esse qui Pater est aut Filius. Una est enim Patris et Filii et Spiritus sancti essentia, quam Graeci homousion [c] vocant, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamvis sit personaliter alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus ».

Cap. III.

Quis ordo sit servandus, cum de Trinitate agitur.

23 Ceterum, ut in libro I *De Trinitate* [4] Augustinus docet: « Primum secundum auctoritates sanctarum Scripturarum, utrum fides ita [d] habeat, demonstrandum est. Deinde adversus garrulos ratiocinatores, elatiores [e] quam capaciores, rationibus catholicis et similitudinibus congruis ad defensionem et assertionem fidei utendum est, ut eorum inquisitionibus satisfacientes, mansuetos plenius instruamus, et illi, si nequiverint invenire quod quaerunt, de suis

---

[a] Hanc notulam omittit B; D habet in pleno textu; U item in textu, post verba paulo supra relata *unus sint Deus;* sed delendam indicat per verbum *volatilis;* V habet in margine; Z A C in columna collaterali. [b] Ed. cum Z A add. *est.* [c] Ed. *usian.* [d] Ed. cum B D C add. *se.* [e] Z add. *magis.*

---

[1] Cap. 4, n. 3 (P L 32, 590). [2] Ioan. 10, 30. [3] Cap. 1, n. 5 (P L 40, 755). Hoc opus nunc communiter tribuitur Fulgentio Ruspensi († 533). [4] Cap. 2, n. 4 (P L 42, 822).

mentibus potius quam de ipsa veritate vel de nostra dissertione [a] conquerantur ».

Cap. IV.

De testimoniis veteris Testamenti, quibus Trinitatis mysterium declaratur.

Proponamus ergo in medium veteris ac novi Testamenti auctoritates, quibus divinae Unitatis atque Trinitatis veritas demonstretur. 24

Ac primum ipsa Legis exordia occurrant, ubi Moyses ait [1]: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.*

Item [2]: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti; non erunt tibi dii alii* [b] *praeter me.*

Ecce hic significavit unitatem divinae naturae. « *Deus* enim et *Dominus,* ut ait Ambrosius in I libro *De Trinitate* [3], nomen est naturae, nomen est potestatis ».

Item alibi Deus loquens ad Moysen ait [4]: *Ego sum qui sum, et si quaesierint nomen meum, vade et dic eis: Qui est, misit me ad vos.* Dicens enim *Ego sum,* non nos sumus et *qui est,* non qui sumus, apertissime declaravit, unum solum Deum esse.

In Cantico etiam Exodi [5] legitur: *Dominus, omnipotens nomen eius.* Non ait Domini, unitatem volens significare.

Personarum quoque pluralitatem et naturae unitatem simul ostendit Dominus in Genesi dicens [6]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Dicens enim *faciamus* et *nostram,* pluralitatem personarum ostendit: dicens vero *imaginem,* unitatem essentiae.

Ut enim dicit Augustinus in libro *De fide ad Petrum* [7]: 25
« Si in illa natura Patris et Filii et Spiritus sancti una esset tan-

---

[a] A Ĉ D *assertione.* [b] V B D *alieni.*

---

[1] Deut. 6, 4. [2] Exod. 20, 23. [3] Sive *De fide ad Gratian.* c. 1, n. 7 (P L 16, 530), ubi: « Deus enim et Dominus nomen magnificentiae, nomen est potestatis ». [4] Exod. 3, 14. [5] Exod. 15. 3. [6] Gen. 1, 26. [7] Cap. 1, n. 5 (P L 40, 755): « Si enim in illa... una esset persona, non diceretur *ad imaginem nostram,* sed ad imaginem meam, nec dixisset *faciamus,* sed faciam. Si vero in illis tribus personis tres essent intelligendae vel credendae substantiae, non diceretur ad *imaginem nostram,* sed ad imagines nostras; una enim imago trium naturarum inaequalium esse non potest. Sed, dum ad unam imaginem unius Dei homo factus dicitur, una sanctae Trinitatis essentialiter divinitas intimatur ».

tum persona, non diceretur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Cum enim dicit *ad imaginem,* ostendit, unam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret; cum vero dicit *nostram,* ostendit, eundem Deum non unam, sed plures esse personas ».

Hilarius quoque in libro III *De Trinitate*[1] dicit, his verbis significari, quod in Trinitate nec diversitas est, nec singularitas, nec [a] solitudo, sed similitudo et pluralitas sive distinctio. Ait enim [b] sic: « Qui dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* invicem esse sui similes in eo quod dicit: *imaginem et similitudinem nostram,* ostendit. Imago enim sola non est, et similitudo non sibi est: neque diversitatem duobus admisceri alterius ad alterum similitudo permittit ».

Item idem in IV libro[2]: « Absolutius voluit intelligi, significationem hanc non ad se tantum esse referendam, dicendo: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* professio enim consortii sustulit intelligentiam singularitatis [c], quia consortium aliquod non potest sibi ipsi esse solitario, neque rursum solitudo solitarii *faciamus* recipit, neque quisquam alieno a se loquitur *nostram.* Uterque igitur [d] sermo, scilicet *faciamus* et *nostram,* ut solitarium eundemque non patitur, ita neque diversum a se alienumque significat. Solitario convenit faciam et meam; non solitario vero convenit dicere *faciamus* et *nostram.* Uterque sermo, ut non solitarium tantum, ita neque differentem esse vel diversum esse [e] significat. Nobis quoque nec solitarius, nec diversus est confitendus. Ita ergo Deus ad communem sibi cum Deo imaginem eandemque similitudinem hominem reperitur operari; ut nec significatio efficientis admittat intelligentiam solitudinis, nec operatio constituta ad eandem imaginem vel similitudinem patiatur diversitatem divinitatis ».

26 In his verbis Hilarius pluralitatem personarum voluit intelligi nomine consortii, atque significavit, nomine consortii vel pluralitatis non poni aliquid, sed removeri. Pluralitas enim vel consortium personarum cum dicitur, solitudo et singularitas negatur;

[a] Ita U, ed. *vel.* [b] Z add. *Hilarius.* [c] Ita U Z (corr. interl.); ed. *singularis.* [d] Ed. om. [e] B om. *vel diversum esse.*

[1] Potius Libr. IV *De Trin.* n. 18, 19, 20 (PL 10, 111)*. [2] *De Trin.* n. 17, 18 (PL 10, 110).

cum dicimus, plures esse personas, significamus, quod non est una sola.

Ideo Hilarius volens ista subtiliter et sane intelligi, ait: « Professio consortii sustulit intelligentiam singularitatis [a] », non dicit posuit aliquid. Ita etiam cum dicimus tres personas, singularitatem et solitudinem tollimus, et quod Pater non est solus, nec Filius est solus, nec Spiritus sanctus est solus, significamus, et [b] quod nec Pater tantum est et Filius, nec Pater tantum [c] et Spiritus sanctus, nec Filius tantum et Spiritus sanctus. De hoc autem in sequenti [1] plenius agetur, ubi etiam secundum quid similes dicantur tres personae, et utrum aliquo modo sit ibi diversitas vel differentia, ostendetur.

Nunc vero ad propositum redeamus et ad ostendendam plu- 27
ralitatem personarum atque essentiae divinae unitatem alias Sanctorum auctoritates inducamus.

Moyses dicit [2]: *In principio creavit Deus caelum et terram,* per Deum significans Patrem, per principium Filium. Et pro

---

[a] Ita U Z (corr. interl.); *singularis.* [b] C mutata interpunctione sic: *solus. Significamus etiam.* [c] Z add. *est.*

---

[1] Cfr. infra dist. XIX, XXIV, XXXI, et XXXIV, huius primi libri Sententiarum. [2] Gen. 1, 1. Quae sequuntur quasi verbotenus desumuntur ex Abaelardo, *Theologia christiana,* libr. I, c. 3 (P L 178, 1126 et sqq.). Argumento simul et exemplo sint, quae hic ex laudato opere (loc. cit.) describimus: « Cum enim dicitur: *In principio creavit Deus caelum et terram* (Gen. 1, 1), pro eo quod apud nos dicitur Deus, Hebraica veritas habet *Eloim,* quod est plurale huius singularis quod est *El.* Quare ergo non dictum est *El,* quod est Deus; sed *Eloim,* quod apud Hebraeos *dii* sive *iudices* interpretatur, nisi hoc ad multitudinem divinarum personarum accommodetur... Ad hanc quoque pluralitatem divinarum personarum illud attinere videtur, quod... per serpentem dictum est: *Eritis sicut dii* (Gen. 3, 5), quod, ut superius dictum est, in Hebraeo sonat *Eloim*... Ait itaque maximus ille Prophetarum et regum, David, qui suam ceteris intelligentiam praeferens dicit: *Super omnes docentes me intellexi, super senes intellexi;* ait, inquam, distinctionem Trinitatis patenter insinuans: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum* (Psalm. 31, 6). Qui et alibi Unitatem pariter cum Trinitate insinuat dicens: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae* (Psalm. 66, 6).. Trina quippe confessio Dei Trinitatem exprimit personarum... Unitatem vero divinae substantiae Psalmista in eodem aperit, cum post trinam divini nominis prolationem unum tantummodo Deum in tribus personis intelligens, non subiunxit *eos* pluraliter, sed *eum* singulariter. Huic et illud consonat Isaiae, qui dicit, se vidisse Seraphim et audisse clamantia: *Sanctus,*

eo quod apud nos dicitur Deus, Hebraica veritas habet *heloym*, quod est plurale huius singularis, quod est [a] *hel*. Quod ergo non est dictum *hel*, quod est Deus, sed *heloym*, quod potest interpretari dii sive iudices, ad pluralitatem personarum refertur.

Ad quam etiam illud attinere videtur, quod diabolus per serpentem dixit [1]: *Eritis sicut dii*, pro quo in Hebraeo habetur *heloym*, ac si diceret: eritis sicut divinae personae.

Ille etiam maximus Prophetarum et regum, David, qui suam ceteris praefert intelligentiam dicens [2]: *Super senes intellexi*, unitatem divinae naturae ostendens ait [3]: *Dominus nomen est* [b] *illi;* non dicit Domini.

28 Alibi etiam eiusdem unitatem et aeternitatem simul ostendens ait ex persona Dei [4]: *Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* « Aliud horum, ut dicit Ambrosius in I libro [c] *De Trinitate* [5], significat aeternitatem, aliud unitatem substantiae indifferentis, ut [d] neque posteriorem Patre, neque alterius divinitatis Filium vel Spiritum sanctum esse credamus. Nam si Patre posterior est Filius vel Spiritus sanctus, recens est; et si unius non est divinitatis, alienus est; sed nec posterior est, quia recens non est, nec alienus, quia ex Patre natus » est Filius, ex Patre [e] procedit [f] Spiritus sanctus.

29 Alibi quoque distinctionem personarum insinuans ait [6]: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Alibi etiam ait [7]: *Benedicat nos Deus, Deus noster* [g], *benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.* Trina [h] enim confessio Dei trinitatem exprimit personarum; unitatem vero essentiae aperit [i], cum singulariter subiungit *eum* [8].

Isaias quoque dicit [9], se audisse Seraphim clamantia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus* [k]. Per hoc quod dicit *Sanctus*

---

[a] U om. *quod est.* [b] Vulgata et D om. *est*, quod tamen legitur apud Hieronymum, Augustinum, Bedam in hunc locum. [c] Dom. *in I libro.* [d] D *ubi.* [e] Z add. interl. *et Filio.* [f] Ita U Z; ed. *processit.* [g] U add. *et.* [h] U *terna.* [i] V add. *Sanctus.* [k] B om.

Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. » (Isai. 6, 3). Cfr. adhuc Abael. *Intr. ad theol.* libr. I, c. 13 (PL 178, 998 et sqq.) ubi etiam sequentes huius cap. textus recurrunt. [1] Gen. 3, 3. [2] Psalm. 118, 100. [3] Psalm. 67, 5. [4] Psalm. 80, 9. 10. [5] Sive *De fide ad Gratian.* c. 11, n. 68 (PL 16, 514). [6] Psalm. 32, 6. [7] Psalm. 66, 6. [8] Cfr. Abaelard. *Theologia christiana*, libr. I, c. 3 (PL 178, 1128). [9] Isai. 6, 3.

ter, Trinitatem significat: per hoc quod subdit *Dominus Deus*, unitatem essentiae.

David quoque aeternam Filii generationem aperte insinuat ex 30
persona Filii dicens [1]: *Dominus dixit ad me: Filius* [a] *meus es tu, ego hodie genui te.*

De hac ineffabili generatione Isaias ait [2]: *Generationem eius quis enarrabit?*

In libro quoque Sapientiae aeternitas Filii cum Patre monstratur, ubi Sapientia ita [b] loquitur [3]: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio: ab aeterno ordinata sum, antequam terra fieret; necdum erant abyssi, et ego iam concepta eram: necdum fontes, necdum montes aut colles, et ego parturiebar: adhuc terram non fecerat et cardines orbis terrae: quando praeparabat caelos, aderam: quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo.* Ecce apertum de aeterna [c] genitura testimonium, quo ipsa Sapientia perhibet, se ante mundum conceptam esse et parturiri, id est genitam [d], et apud Patrem aeternaliter existere.

Ipsa etiam alibi ait [4]: *Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam.*

Michaeas quoque Propheta aeternam Verbi [e] generationem et temporalem ex Maria simul insinuavit dicens [5]: *Et tu, Bethlehem Ephrata* [f]*, parvulus vicus* [g] *es in millibus Iuda: ex te egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.*

De Spiritu sancto etiam expressa documenta in veteri Testa- 31
mento habemus.

In Genesi [6] enim legitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

Et David dicit [7]: *Quo ibo a Spiritu tuo?*

---

[a] V *Filius etc.*, ceteris omissis. [b] D om. [c] V *aperta.* [d] Ed. cum D add. *esse.* [e] D *Christi.* [f] D *terra Iuda.* [g] Ita UDA; ed. om. Quam lectionem Hieronymus hunc ipsum Michaeae locum exponens commemorat et explodit; ed. cit. tom. VI, col. 488.

---

[1] Psalm. 2, 3. [2] Cap. 53, 8. [3] Prov. 8, 22-30. [4] Eccli. 24, 5. [5] Mich. 5, 2. [6] Cap. 1, 2. [7] Psalm. 138, 7.

Et in libro Sapientiae [1] dicitur: *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum, benignus est enim spiritus sapientiae.*

Isaias [2] quoque ait: *Spiritus Domini super me* etc. [3]

Cap. V.

De testimoniis novi Testamenti ad idem pertinentibus.

32 Nunc [a] post testimonia veteris Testamenti de fide sanctae [b] Trinitatis [4] et Unitatis ad novi Testamenti auctoritates accedamus, ut *in medio duum* [c] *animalium* [d] [5] cognoscatur veritas, et *forcipe de altari sumatur calculus* [6], quo tangantur ora fidelium.

Dominus itaque Christus unitatem divinae essentiae ac personarum trinitatem aperte insinuat, dicens Apostolis [7]: *Ite, baptizate* [e] *gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* [f]. « *In nomine* utique [g] ait, ut ait Ambrosius in I libro *De Trinitate,* non in nominibus », ut unitas essentiae ostendatur [h]; per nomina tria, quae supposuit, tres esse personas declaravit.

« Ipse etiam ait: *Ego et Pater unum sumus. Unum* dixit, ut ait Ambrosius in eodem libro, ne fiat discretio potestatis [i], naturae; sed [k] addidit *sumus,* ut Patrem Filiumque cognoscas,

---

[a] Ed. cum D add. *vero.* [b] V om. [c] Ed. cum B et Vulgata *duorum.* [d] Ed. add. *id est Testamentorum.* In U V haec verba postea adiuncta fuere sive in margine sive inter lineas. [e] Ed. cum B D et Vulgata add. *omnes.* [f] B add. *Amen.* [g] B *itaque.* [h] V add. *et.* [i] Ed. add. *et.* [k] Ed. et D *et.*

---

[1] Cap. 1, 5. 6. [2] Cap. 61, 1. [3] Hucusque Magister cum Abaelardo, multis quidem omissis. [4] Hic Magister relinquit Abaelardum qui ita scribit: « Nunc autem post testimonia prophetarum de fide Trinitatis, libet et testimonia philosophorum supponere... » (PL 178, 1139). [5] Habac. 3, 2; secundum versionem Septuaginta. Ista applicatio huius textus est Augustini in XVIII. *De civ. Dei,* c. 32 (PL 41, 588). [6] Alludit ad Isai. 6, 6. [7] Matth. 28, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris* etc. Sed apud Ambros. *De Trin.* sive *De Fide ad Gratian.* l. c. 1, n. 8 (PL 16, 531): « *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. In nomine* utique, non *in nominibus.* Ipse etiam dicit: *Ego et Pater unum sumus,* Ioan. 10, 30; *unum* dixit, ne fiat discretio potestatis et naturae; *sumus* addit, ut Patrem Filiumque cognoscas, quod perfectus Pater perfectum Filium genuisse credatur, et Pater et Filius unum sint, non confusione personae, sed unitate naturae ».

scilicet ut perfectus Pater Filium perfectum genuisse credatur, et quod Pater et Filius unum sint, non confusione [a], sed unitate naturae ».

Ioannes quoque in Epistola canonica ait [1]: *Tres sunt, qui* 33
testimonium perhibent [b] *in caelo: Pater, Verbum* [c], *Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.*

Ipse etiam in initio Evangelii sui ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* ubi aperte [d] ostendit, Filium semper et aeternaliter fuisse apud Patrem, ut alium apud alium.

Apostolus quoque aperte trinitatem distinguit dicens [2]: *Mi-* 34
sit [e] *Spiritum Filii sui in corda nostra* [f].

Et alibi [3]: *Si spiritus eius, qui suscitavit Iesum, habitat in nobis* etc.

Item alibi trinitatem atque unitatem evidentissime commendat dicens [4]: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria.* « *Ex ipso* ait, ut Augustinus in libro *De Trinitate* [5] dicit, propter Patrem; *per ipsum* dicit propter Filium; *in ipso* propter Spiritum sanctum ». Per [g] hoc vero, quod non ait ex ipsis [h]. per ipsos et in ipsis, nec ait ipsis gloria, sed *ipsi,* insinuavit, hanc Trinitatem unum Dominum Deum esse.

Sed quia singulae pene syllabae novi Testamenti hanc ineffabilis [i] Unitatis atque Trinitatis veritatem concorditer insinuant, inductioni testimoniorum super hac re supersedeamus et rationibus congruisque similitudinibus ita esse, prout infirmitas nostra valet, ostendamus.

---

[a] Ed. cum D add. *personae.* [b] Z D cum Vulgata *dant;* sed *perhibent* legitur etiam apud Hyginum Papam, *Epistola de Fide et reliquis causis,* relata ab Isidoro Mercatore (PL 130, 109) et apud Cyrillum Alexand. libr. *Thesaur.* assert. XXXIV (PG 75, 615). [c] Ed. cum BD add. *et.* [d] D om. [e] Ed. et D add. *Deus.* [f] Vulgata *vestra. Nostra* pro *vestra* utuntur etiam Ambros. in hunc locum et August. *In Psalm.* 118, serm. 14, n. 2 (PL 37, 1539) *De Verbis Evangel. Matth.* serm. 71, n. 29 (PL 38, 461), nec non vetus lectio Hieronymi nunc ad calcem amandata. [g] D *propter.* [h] U add. *et.* [i] U *ineffabilem.*

---

[1] Cap. 5, 7. [2] Galat. 4, 6. [3] Rom. 8, 11. [4] Rom. 11, 36. [5] Libr. I, c. 6, n. 12 (PL 42, 827): *Ex ipso,* ex Patre; *per ipsum,* per Filium; *in ipso,* in Spiritu Sancto.

DISTINCTIO III.

Cap. I.

De cognitione Creatoris per creaturas, in quibus Trinitatis vestigium apparet.

35 Apostolus namque ait [1], quod *invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius et divinitas.* Per *creaturam mundi* intelligitur homo « propter excellentiam, qua excellit inter alias creaturas, vel propter convenientiam, quam habet cum omni creatura ». Homo ergo [a] invisibilia Dei intellectu mentis conspicere potuit vel etiam conspexit *per ea quae facta sunt,* id est, per creaturas visibiles vel invisibiles. A duobus enim iuvabatur, scilicet a natura, quae rationalis erat, et ab operibus a Deo factis, ut manifestaretur homini veritas. Ideo Apostolus [2] dicit [b]: *quia Deus revelavit illis,* scilicet dum fecit opera, in quibus artificis aliquatenus relucet indicium.

36 Nam sicut ait Ambrosius [3]: « Ut Deus, qui natura invisibilis est, etiam a visibilibus posset sciri, opus fecit, quod opificem visibilitate sui manifestavit, ut per certum incertum posset sciri, et ille Deus omnium esse crederetur, qui hoc fecit, quod ab homine impossibile est fieri ». Potuerunt ergo cognoscere sive cognoverunt, ultra omnem creaturam esse illum qui ea fecit, quae nulla creaturarum facere vel destruere valet [c]. Accedat quaecumque vis, creatura et faciat tale caelum et talem terram, et dicam, quia Deus est. Sed quia nulla creatura talia facere valet, constat, supra [d] omnem creaturam esse illum qui ea fecit; ac per hoc, illum esse Deum, humana mens cognoscere potuit.

---

[a] V *vero.* [b] Ed. *dixit.* [c] Z B D *potest.* [d] Ita U B; ed. *super.*

---

[1] Rom. 1, 20. Glossa ordinaria, qua Magister, paucis variatis, mox utitur, verbum *a creatura* sic interpretatur: *Ab homine per excellentiam, quia excellit inter alias creaturas, vel propter convenientiam, quam habet cum omnibus creaturis.* [2] Respicitur Rom. 1, 19. [3] *In Epist. ad Rom.* c. 1, 19 (PL 17, 57)*.

Alio etiam modo Dei veritatem ductu rationis cognoscere potuerunt vel etiam [a] cognoverunt.

Ut enim Augustinus ait in libro *De civitate Dei* [1]: « Viderunt summi philosophi nullum corpus esse Deum, et ideo cuncta corpora trascenderunt, quaerentes Deum; viderunt etiam, quidquid mutabile est non esse summum Deum omniumque principium, et ideo omnem animam mutabilesque spiritus transcenderunt; deinde viderunt, omne, quod mutabile est, non posse esse nisi ab illo, qui incommutabiliter et simpliciter est. Intellexerunt igitur, eum et omnia ista fecisse et a nullo fieri potuisse [b].

« Consideraverunt etiam, quidquid est in substantiis vel corpus esse vel spiritum, meliusque aliquid spiritum esse quam corpus, sed longe meliorem qui spiritum fecit et corpus.

« Intellexerunt etiam, corporis [c] speciem esse sensibilem et spiritus speciem intelligibilem, et intelligibilem speciem sensibili praetulerunt. Sensibilia dicimus, quae visu tactuque corporis sentiri queunt, intelligibilia, quae conspectu mentis intelligi. Cum igitur in eorum conspectu et [d] corpus et animus magis minusque speciosa essent; si autem omni specie carere possent, omnino nulla essent: viderunt esse aliquid, quo illa speciosa facta sunt, ubi est prima et incommutabilis species, ideoque incomparabilis [e]; et illud esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et ex quo cuncta facta essent ».

Ecce tot modis potuit cognosci veritas Dei. Cum ergo Deus una sit et simplex essentia, quae ex nulla diversitate partium vel accidentium consistit, pluraliter tamen dicit Apostolus: *invisibilia Dei,* quia pluribus modis cognoscitur veritas Dei per ea quae facta sunt. Ex perpetuitate namque creaturarum intelligitur Conditor aeternus; ex magnitudine creaturarum omnipotens; ex ordine et dispositione sapiens; ex gubernatione bonus. Haec autem omnia ad unitatem Deitatis pertinent monstrandam.

Nunc restat ostendere, utrum per ea quae facta sunt aliquod 37
Trinitatis indicium vel exiguum [f] haberi potuerit [g].

---

[a] D *et* pro *vel etiam.* [b] U *posse.* [c] V *corpus.* [d] U om. [e] B *incomparabile.* [f] Ed. cum A *Trinitatis vestigium vel indicium exiguum.* A om. *exiguum.* [g] D *habere potuerint.*

---

[1] Libr. VIII, c. 6 (PL 41, 231) *. Etiam infra tertia et quarta ratio inde sumtae sunt. Cfr. Abael. II. *Theol. christ.* (PL 178, 1177).

De hoc Augustinus in libro VI *De Trinitate* [1] ait: « Oportet, ut Creatorem per ea quae facta sunt intellectu conspicientes, Trinitatem intelligamus. Huius enim Trinitatis vestigium in creaturis apparet. Haec enim [a], quae arte divina facta sunt, et unitatem quandam in se ostendunt et speciem et ordinem. Nam quodque [b] horum creatorum et unum aliquid est, sicut sunt naturae corporum et animarum; et aliqua specie formatur, sicut sunt figurae vel qualitates corporum ac doctrinae vel artes animarum; et ordinem aliquem petit aut tenet, sicut sunt pondera vel locationes [c] corporum et amores vel delectationes animarum; et ita in creaturis praelucet vestigium Trinitatis. In illa enim Trinitate summa origo est omnium rerum et perfectissima pulcritudo et beatissima delectatio ».

38 « Summa autem origo, ut Augustinus ostendit in libro *De vera Religione* [2], intelligitur Deus Pater, a quo sunt omnia, a quo Filius et Spiritus sanctus. Perfectissima pulcritudo intelligitur Filius, scilicet veritas Patris, nulla ex parte ei dissimilis, quam cum ipso et in ipso Patre veneramur, quae forma est omnium, quae ab uno [d] facta sunt et ad unum referuntur, quae tamen omnia nec fierent [e] a Patre per Filium neque suis finibus salva essent, nisi Deus summe bonus esset, qui et nulli naturae, quod [f] ab illo bona [g] esset, invidit, et ut in bono ipso [h] maneret, alia quantum vellet, alia quantum posset, dedit; quae bonitas intelligitur Spiritus sanctus, qui est donum Patris et Filii. Quare ipsum donum Dei cum Patre et Filio aeque incommutabile [i] colere et tenere nos convenit. Per considerationem itaque [k] creaturarum unius substantiae Trinitatem intelligimus, scilicet unum Deum Patrem, a quo sumus, et Filium, per quem sumus, et Spiritum sanctum, in quo sumus, scilicet principium, ad quod recurrimus, et formam quam sequimur, et gratiam qua reconciliamur: unum scilicet, quo auctore conditi sumus, et similitudinem eius, per quam ad unitatem reformamur, et pacem, qua Unitati adhaeremus: scilicet Deum, qui dixit [3]: *fiat* [l]; et Verbum, per quod factum est omne, quod sub-

[a] Ed. add. *omnia.* [b] C *quidquid.* [c] Ed. cum C D *collocationes.* [d] C *ipso.* [e] D *quae omnino non fierent* pro *quae tamen omnia nec fierent.* [f] Ed. cum D *quae.* [g] A B *bono.* [h] U *illo.* [i] D *incommutabiliter.* [k] V *quoque.* [l] D add. *lux.*

[1] Cap. 10, n. 12 (PL 42, 932) *. [2] Ex cap. 55, n. 113 passim collecta (PL 34, 172). [3] Gen. 1, 3.

stantialiter et naturaliter est; et Donum benignitatis eius, qua placuit quod ab eo per Verbum factum est et reconciliatum [a] est auctori, ut non interiret ».

Ecce ostensum est, qualiter in creaturis aliquatenus imago Trinitatis indicatur; non enim per creaturarum contemplationem sufficiens notitia Trinitatis potest haberi vel potuit sine doctrinae vel interioris inspirationis revelatione. Unde illi antiqui philosophi quasi per umbram et de longinquo viderunt veritatem, deficientes in contuitu Trinitatis, ut magi Pharaonis in tertio signo [1]. Adiuvamur tamen in fide invisibilium per ea, quae facta sunt.

Cap. II.

De imagine et similitudine Trinitatis in anima humana.

« Nunc vero iam ad eam perveniamus disputationem, ubi in 39
mente humana, quae novit Deum vel potest nosse, Trinitatis imaginem reperiamus [2] ».

Ut enim ait Augustinus in XIV libro *De Trinitate* [3]: « Licet humana mens non sit eius [b] naturae, cuius Deus est, imago tamen illius, quo nihil melius est, ibi quaerenda et invenienda est, quo natura nostra nihil habet melius, id est in mente. In ipsa enim mente, etiam antequam sit particeps Dei, eius imago reperitur; etsi enim, amissa Dei participatione, deformis sit, imago tamen Dei permanet. Eo enim ipso imago Dei est mens, quo capax eius est, eiusque particeps esse potest. Iam ergo in ea Trinitatem, quae Deus est, inquiramus. Ecce ergo mens meminit sui, intelligit se, diligit se; hoc si cernimus, cernimus trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei ». Hic enim [c] quaedam apparet trinitas memoriae, intelligentiae et amoris. « Haec igitur tria potissimum tractemus, memoriam, intelligentiam [d], voluntatem [4] ».

---

[a] B *conciliatum.* [b] Z *eiusdem.* [c] D *etiam.* [d] V add. *et.*

---

[1] Exod. 8, 18. Quod fuse exponit Abael. I. *Theol. christ.* (PL 178, 1139 et sqq.). [2] August. XIV. *De Trin.* c. 8, n. 11 (PL 42, 1044)*. [3] Ibidem. [4] Aug. o. c. libr. X, cap. 11, n. 17 (PL 42, 982).

40 « Haec igitur tria, ut ait Augustinus in libro X *De Trinitate* [1], non sunt tres vitae, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens, una essentia. Memoria vero dicitur ad aliquid, et intelligentia et voluntas sive dilectio similiter ad aliquid dicitur; vita vero dicitur ad se ipsam et mens et essentia. Haec igitur tria eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia; et quidquid aliud ad se ipsa singula dicuntur, etiam simul, non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo vero tria sunt, quo ad se invicem referuntur.

41 « Aequalia etiam sunt non solum singula singulis, sed etiam singula omnibus; alioquin non se invicem caperent; se autem invicem capiunt. Capiuntur enim [a] et a singulis singula et a singulis omnia. Memini enim me habere memoriam et intelligentiam et voluntatem; et intelligo me intelligere et velle atque meminisse; et volo me velle et meminisse et intelligere, totamque meam memoriam et intelligentiam et voluntatem simul memini. Quod enim memoriae meae non memini, illud non est in memoria mea; nihil autem [b] tam in [c] memoria est, quam ipsa memoria: totam igitur memini. Item, quidquid intelligo, intelligere me scio, et scio, me velle quidquid volo; quidquid autem scio memini. Totam igitur intelligentiam totamque voluntatem meam memini.

« Similiter, cum haec tria intelligo, tota simul intelligo. Neque enim quidquam [d] intelligibilium est, quod non intelligam, nisi quod ignoro. Quod autem ignoro, nec memini nec volo. Quidquid igitur intelligibilium non [e] intelligo, consequenter etiam nec memini nec volo. Quidquid ergo intelligibilium memini et volo, consequenter intelligo.

« Voluntas etiam mea totam intelligentiam totamque memoriam meam capit, dum utor toto eo quod intelligo et memini. Cum itaque invicem a singulis et omnia et tota capiantur, aequalia sunt tota singula totis singulis et tota singula simul omnibus totis; et haec tria unum, una vita, una mens, una essentia ».

« Ecce illius summae Unitatis atque Trinitatis, ubi una est essentia et tres personae [2] », « imago est humana mens, licet impar [3] ».

---

[a] D *etiam.* [b] V om. [c] V add. *me.* [d] V om. [e] U V om.

---

[1] Cap. 11, n. 18 (PL 42, 983). [2] Aug. libr. XV *De Trin.* c. 7, n. 11 (PL 48, 1065). [3] Libr. X *De Trin.* c. 12, n. 19 (PL 42, 984): « Cuius impar imago est humana mens, sed tamen imago ».

Mens autem hic pro animo ipso [a] accipitur, ubi est illa imago Trinitatis; « proprie vero mens dicitur, ut Augustinus [1] ait, non anima ipsa, sed quod in ea est excellentius », qualiter accipitur saepe. Illud etiam sciendum [b], quod memoria non est solum absentium et praeteritorum, sed etiam praesentium, ut ait Augustinus in XIV libro *De Trinitate* [2], alioquin non se caperet [c].

Hic attendendum est diligenter, ex quo sensu accipiendum sit 42
quod supra dixit, illa tria [d], scilicet memoriam, intelligentiam et voluntatem esse unum, unam mentem, unam essentiam. Quod utique non videtur esse verum iuxta proprietatem sermonis. Mens enim, id est spiritus rationalis, essentia est spiritualis et incorporea. Illa vero tria naturales proprietates seu vires sunt ipsius mentis et a se invicem differunt, quia memoria non est intelligentia vel voluntas, nec intelligentia voluntas sive amor.

« Et haec tria etiam [e] ad se ipsa referuntur [3] », ut ait Augustinus in IX libro *De Trinitate* [4]: « Mens enim amare se ipsam vel meminisse non potest, nisi etiam noverit se: nam quomodo amat vel meminit quod nescit » ? Miro itaque modo tria ista inseparabilia sunt a semetipsis; et tamen eorum singulum et simul omnia una essentia est, cum et relative [f] dicantur ad invicem.

Sed iam videndum est, quo modo haec tria dicantur una sub- 43
stantia; ideo scilicet, quia in ipsa anima vel mente substantialiter existunt [g], non sicut accidentia in subiectis, quae possunt adesse et abesse.

Unde Augustinus in libro IX *De Trinitate* [5] ait: « Admonemur, si utcumque videre possumus, haec in animo existere substantialiter, non tanquam in subiecto, ut color in corpore, quia etsi relative dicuntur ad invicem, singula tamen substantialiter sunt in sua substantia ».

Ecce ex quo sensu illa tria dicantur esse unum sive una substantia. « Quae tria, ut ait Augustinus in libro XV *De Tri-*

---

[a] Z om.; D *anima ipsa.* [b] Ed. cum C add. *est.* [c] U add. *totam.* [d] U om. *illa tria.* [e] V om. [f] B *relatione.* [g] U *subsistunt.*

---

[1] Libr. XV *De Trin.* c. 7, n. 11 (PL 42, 1065) *. [2] Cap. 11, n. 14 (PL 42, 1047) ubi longiore discursu hanc sententiam probat. [3] Aug. libr. X *De Trin.* c. 11, n. 18 (PL 42, 983). [4] Cap. 3, n. 3 (PL 42, 962), sed de suo addidit Magister quae ad memoriam referuntur, nempe *vel meminisses* et *vel meminerit.* [5] Cap. 4, n. 5 (PL 42, 963) *.

nitate [1], in mente naturaliter divinitus instituta quisquis vivaciter perspicit, et quam magnum sit in ea, unde potest etiam sempiterna incommutabilisque natura recoli, conspici, concupisci [a] (reminiscitur enim [b] per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem), profecto reperit illius summae Trinitatis imaginem ».

Cap. III.

De similitudine creantis et creatae trinitatis.

44 . « Verumtamen caveat, ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam ita ei comparet, ut omnino aestimet similem, sed potius in qualicumque [c] ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat [2] ».

« Quod breviter ostendi potest. Homo unus per illa tria meminit, intelligit, diligit, qui nec memoria est, nec intelligentia, nec dilectio, sed haec habet. Unus homo ergo est, qui habet haec tria, non ipse est haec tria. In illius vero summae [d] simplicitate naturae, quae Deus est, quamvis unus sit Deus, tres tamen personae sunt, Pater et Filius et Spiritus sanctus [3] », et hae tres unus Deus [e]. « Aliud est itaque Trinitas [f] res ipsa, aliud imago Trinitatis in re alia; propter quam imaginem etiam illud in quo sunt haec tria, imago dicitur, scilicet homo. Sicut imago dicitur et tabula et pictura, quae est in ea; sed tabula nomine imaginis appellatur propter picturam, quae in ea est [4] ».

45 « Rursus ista imago, quae est homo habens illa tria, una persona est. Illa vero Trinitas non una persona est, sed tres personae, Pater Filii et Filius Patris et Spiritus Patris et Filii. Itaque in ista imagine Trinitatis non haec tria unus homo, sed unius hominis sunt. In illa vero summa Trinitate, cuius haec imago est, non unius Dei sunt illa tria, sed unus Deus; et tres sunt illae [g], non una persona [5] ». — « Illa enim tria non homo sunt, sed hominis sunt vel in homine sunt. Sed nunquid possumus dicere, Trinitatem sic esse in Deo, ut aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus [6] » ? Absit ut hoc cre-

---

[a] B add. *remnisci.* [b] V B C D om. [c] B add. *profecto reperit.* [d] Ed. *summa.* [e] U add. *et.* [f] Ed. *Trinitatis.* [g] Z add. *personae.*

---

[1] Cap. 20, n. 39 (P L 42, 1088). [2] Ibid. * [3] Loc. cit. c. 22, n. 42 (P L 42, 1090) *. [4] Ibid. n. 43 (P L 42, 1090). [5] Loc. cit. [6] Loc. cit. c. 7, n. 11 (P L 42, 1065) *.

damus. Dicamus ergo, in mente nostra Trinitatis imaginem [a], sed exiguam et qualemcumque esse, quae summae Trinitatis ita gerit similitudinem, ut ex maxima parte sit dissimilis [1]. Sciendum vero [b], quod « haec Trinitas mentis, ut ait Augustinus in XIV libro *De Trinitate* [2], non propterea tantum imago Dei est, quia sui meminerit [c] mens et intelligit ac diligit se, sed quia potest etiam meminisse et intelligere et amare illum, a quo facta est ».

Potest etiam alio modo aliisque nominibus distingui trinitas 46
in anima, quae est imago illius summae et ineffabilis Trinitatis. Ut enim ait Augustinus in IX libro *De Trinitate* [3]: « Mens et notitia eius et amor tria quaedam sunt. Mens enim novit se et amat se; nec amare se potest, nisi etiam noverit se. Duo quaedam sunt mens et notitia eius; item duo quaedam sunt [d] mens et amor eius ». « Cum ergo se novit mens et amat se, manet trinitas, scilicet mens, amor et [e] notitia [4] ». « Mens autem hic accipitur non pro anima, sed pro eo quod in anima excellentius est [5] ». Haec autem tria, cum sint distincta a se invicem, dicuntur tamen esse unum, quia in animo [f] substantialiter existunt.

Et est ipsa mens quasi parens, et notitia eius quasi proles 47
eius. « Mens enim cum se cognoscit, notitiam sui gignit et est sola parens suae notitiae. Tertius est amor, qui de ipsa mente et notitia [g] procedit, dum mens cognoscens se diligit se; non enim posset se diligere, nisi cognosceret se. Amat etiam [h] placitam prolem, id est notitiam suam; et ita amor quidam complexus est parentis et prolis. Nec minor est proles parente, dum tantam se novit mens, quanta est; nec minor est amor parente et prole, id est mente et notitia, dum tantum se diligit mens, quantum se novit et quanta

---

[a] V B C D et A (prima manu) *imaginis trinitatem.* [b] Ed. cum C add. *est.* [c] Ed. cum D *meminit.* [d] V add. *et.* [e] U om. [f] Ed. *anima.* [g] C add. *eius.* [h] A D *enim.*

---

[1] Haec conclusio Magistri quoad sensum invenitur in Augustino, loc. cit. c. 22, n. 43 (P L 42, 1090)*. [2] Cap. 12, n. 15 (P L 42, 1048). [3] Cap. 4, n. 4 (P L 42, 963): « Sicut autem duo quaedam sunt mens et amor eius, cum se amat; ita quaedam duo sunt mens et notitia eius, cum se novit. Igitur ipsa mens et amor et notitia eius tria quaedam sunt, et haec tria unum sunt, et cum perfecta sunt, aequalia sunt ». Hic Magister sequitur Hugonem, *Summa Sent.* tract. 1, c. 6 (P L 176, 51); cfr. etiam I. *De Sacram.* p. 2, c. 28 et 29 (P L 176, 230 et seq.). [4] Ibid. c. 5, n. 8 (P L 42, 965). [5] Ibid. libr. XV, c. 7, n. 11 (P L 42, 1065).

est [1]. Sunt etiam haec singula in se ipsis, quia et mens amans in amore est, et amor in amantis notitia, et notitia in mente noscente est [2] ».

Ecce in his tribus qualecumque vestigium Trinitatis apparet.

48 Mens itaque rationalis considerans haec tria et illam unam essentiam, in qua ista sunt, extendit se ad contemplationem Creatoris et videt unitatem in trinitate et trinitatem in unitate. Intelligit enim unum Deum esse, unam essentiam, unum principium. Intelligit enim, quia si duo essent, vel uterque insufficiens esset, vel alter superfluerat; quia si aliquid deesset uni, quod haberet alter, non esset ibi [a] summa perfectio; si vero nihil uni deesset, quod haberet alter, cum in uno essent omnia, alter superfluerat. Intellexit ergo, unum esse Deum, unum omnium auctorem, et vidit, quia absque sapientia non sit, quasi res fatua; et ideo intellexit, eum habere sapientiam, quae ab ipso genita est; et quia sapientiam suam diligit, intellexit etiam, ibi esse amorem [3].

Cap. IV.

De Trinitatis unitate.

49 « Quapropter iuxta istam considerationem, ut ait Augustinus in IX libro *De Trinitate* [4], credamus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum, universae creaturae conditorem et rectorem; nec Patrem esse Filium, nec Spiritum sanctum vel Patrem esse vel Filium, sed Trinitatem relatarum ad invicem personarum ».

Ut enim ait ipse in libro *De fide ad Petrum* [5]: « Una est natura sive essentia Patris et Filii et Spiritus sancti, non una persona. Si enim sic esset una persona, sicut est una substantia Patris et Filii et Spiritus sancti, veraciter trinitas non diceretur. Rursus [b]

---

[a] B *sibi.* [b] In hoc textu C D addendo *non* et mutando *sed* in *si* sic legunt: *Rursus quidem Trinitas non esset vera, si unus Deus Trinitas non esset: si quemadmodum... Pater et Filius et Spiritus sanctus personarum sunt ab invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti.* Sed haec lectio duplicem suppositionem et argumentationem confundit.

[1] August., IX. *De Trin.* c. 12, n. 18 (P L 42, 970)*. [2] August., libr. cit. c. 5, n. 8 (P L 42, 965). [3] Cfr. Hugo, *Summa Sent.* tr. 1, c. 6 (P L 176, 51). [4] Cap. 1, n. 1 (P L 42, 961). Cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 3, c. 22 (P L 176, 226). [5] Cap. 1, n. 4 (P L 40, 754) *.

quidem trinitas esset vera, sed unus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater et Filius et Spiritus sanctus personarum sunt ab invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti. Fides autem Patriarcharum, Prophetarum atque Apostolorum unum Deum praedicat esse Trinitatem ». « In illa igitur sancta Trinitate unus est Deus Pater, qui solus essentialiter de se ipso unum Filium genuit; et unus Filius [a], qui de uno Patre solus essentialiter natus; et unus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter [b] a Patre Filioque procedit. Hoc autem totum non potest una persona, id est, gignere se, et nasci de se, et procedere de se [1] ». Ut enim ait Augustinus in I libro *De Trinitate* [2]: « Nulla res est, quae se ipsam gignat, ut sit ».

DISTINCTIO IV.

Cap. I.

Utrum Deus Pater se Deum genuerit.

Hic oritur quaestio satis necessaria. Constat enim [c] et irrefra- 50
gabiliter verum est, quod Deus Pater genuit Filium. Ideo quaeritur, utrum concedendum sit, quod Deus genuit Deum. Si enim Deus genuit Deum, videtur quod aut se Deum, aut alium genuerit; si vero alium Deum genuit, non est tantum unus Deus; si autem se ipsum Deum genuit, aliqua res se ipsam genuit [3].

Ad quod respondentes dicimus, sane et catholice [d] concedi, quod unus unum genuit, et quod Deus Deum genuit, quia Deus Pater Deum Filium genuit. In Symbolo quoque scriptum est: « Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero ». Quod vero additur: Ergo genuit se Deum vel alium Deum, neutrum concedendum dicimus esse. Quod alium Deum non genuit, manifestum est, quia unus tantum Deus est [4]. Quod autem se ipsum non genuit, ostendit Augustinus in I libro *De Trinitate* [5] dicens: « Qui putant

---

[a] Ed. add. *est.* [b] B add. *natus.* [c] U om. [d] V add. *fidei.*

---

[1] Ibid., n. 6 (PL 40, 755). [2] Cap. 1, n. 1 (PL 42, 820). [3] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 11 (PL 176, 60), et Abael. III. et IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1240, ac 1294 et sqq.). [4] Cfr. *Sententiae divin.* tr. 6, pag. 160. [5] Cap. 1, n. 1 (PL 42, 820).

eius [a] potentiae esse Deum, ut se ipsum ipse genuerit, eo plus errant, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis neque corporalis creatura. Nulla enim res est, quae se ipsam gignat, ut sit »; et ideo non est credendum vel dicendum, quod Deus genuit se.

51 Sed adhuc opponunt garruli ratiocinatores dicentes: Si Deus Pater genuit Deum, aut genuit Deum, qui est Deus Pater, aut Deum, qui non est Deus Pater. Si genuit Deum, qui non est Deus Pater, ergo Deus est, qui non est Deus Pater; non ergo unus tantum Deus est. Si vero genuit Deum, qui est Deus Pater, ergo genuit se ipsum.

Ad quod respondemus determinantes illam propositionem, quam sic proponunt: Si Deus Pater genuit Deum, aut Deum, qui est Deus Pater, aut Deum, qui non est Deus Pater. Hoc enim [b] sane et prave intelligi potest; et ideo respondendum est ita: Deus Pater genuit Deum, qui est ipse Pater, hoc dicimus esse falsum; et concedimus alteram, scilicet [c] genuit Deum, qui non est Pater; nec tamen [d] genuit alterum Deum, nec ille qui genitus est, alius Deus est quam Pater, sed unus Deus cum Patre. Si vero additur: Genuit Deum, qui non est Deus Pater, hic distinguimus, quia dupliciter potest intelligi: genuit Deum, qui non est Deus Pater, scilicet Deum Filium, qui Filius [e] non est Pater, qui Deus est; hic sensus verus est. Si vero intelligatur sic: Genuit Deum, qui non est Deus Pater, id est, qui non est Deus, qui est Pater; hic sensus falsus est. Unus enim et idem Deus est Pater, Filius et Spiritus sanctus; et e converso Pater et [f] Filius et Spiritus sanctus est unus Deus [g].

Cap. II.

Utrum Trinitas de uno Deo praedicetur, sicut unus Deus de tribus personis.

52 Quidam tamen veritatis adversarii [1] concedunt, Patrem et Filium et Spiritum sanctum sive tres personas esse unum Deum [h], unam substantiam, sed [i] nolunt concedere, unum Deum sive unam substantiam esse tres personas, dicentes, substantiam divinam praedicari de tribus personis, non tres personas de substantia divina.

---

[a] C D *eiusdem.* [b] Z add. *et.* [c] D add. *Deus.* [d] U add. *inde.* [e] D om. [f] V B C om. [g] Dom. *et e converso..... Deus.* [h] Z add. *sive.* [i] D add. *tamen.*

[1] Hic impugnatur, Gilbert. Porretanus.

Fides autem catholica tenet ac praedicat, et tres personas esse unum Deum, unam substantiam sive [a] essentiam sive naturam divinam, et unum Deum sive essentiam divinam esse tres personas [1].

Unde Augustinus in I libro *De Trinitate* [2] ita ait: « Recte ipse Deus Trinitas intelligitur, beatus [b] et solus potens ». Ecce, quam expresse dixit ipse Deus Trinitas, ut ostenderet, et ipsum Deum esse Trinitatem et Trinitatem [c] ipsum Deum.

Item in eodem [3]: « In verbis, inquit, illis Apostoli, quibus de adventu Christi agens dicit [4]: *Quem ostendet* [d] *beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem* etc., nec Pater proprie nominatus est, nec Filius, nec Spiritus sanctus, sed beatus et solus potens, id est unus et solus verus Deus, qui est ipsa Trinitas ». Ecce et hic aperte dicit, unum solum [e] verum Deum esse ipsam Trinitatem; et si unus Deus Trinitas est, ergo unus Deus est tres personae.

Item in V libro *De Trinitate* [5]: « Non tres deos, sed unum Deum dicimus esse ipsam praestantissimam Trinitatem ».

Item in libro *De fide ad Petrum in expositione Symboli* [f 6] « Satis est christiano, rerum creatarum causam visibilium sive invisibilium non nisi bonitatem credere Creatoris, qui est Deus unus et verus, nullamque esse naturam, quae non aut ipse [g] sit, aut ab ipso, eumque [h] esse Trinitatem, Patrem scilicet et [i] Filium et Spiritum sanctum ».

Item Augustinus in *Sermone de fide* [7]: « Credimus, unum Deum unam esse divini nominis Trinitatem ».

Idem in VI libro *De Trinitate* [8]: « Dicimus, Deum solum esse ipsam Trinitatem ».

Ecce, his et aliis pluribus auctoritatibus evidenter ostenditur, esse dicendum et concedendum [k], quod unus Deus est Trinitas, et una substantia tres personae; sicut e converso Trinitas dicitur esse unus Deus, et tres personae dicuntur esse una substantia.

---

[a] C D *unam.* [b] Z *bonus.* [c] Z add. *esse.* [d] V D *ostendit.* [e] V add. *et.* [f] Ed. *libro qui dicitur Enchyridion ad Laurentium, capitulo nono.* [g] V *ipsa.* [h] V Z B D add. *scil. Deum.* [i] V om. *scilicet et.* [k] Ed. *credendum.*

---

[1] Cfr. Abael. III. *Theol. christ.* (P L 178, 1236 et sqq.). [2] Cap. 6, n. 10 (P L 42, 826). [3] Ibid. * [4] I. Tim. 6, 15. [5] Cap. 8, n. 9 (P L 42, 912). [6] Verba subsequentia non in eo, sed in *Enchyridion* leguntur (P L 40, 236). [7] *Serm. 253 De fide cathol.* n. 1 (P L 39, 2175). [8] Cap. 7, n. 9 (P L 42, 929).

53 Nunc ad praemissam quaestionem revertamur, ubi quaerebatur, an Deus Pater genuerit se Deum, an alium Deum.

Ad quod dicimus, neutrum fore concedendum. Dicit tamen Augustinus in *Epistola ad Maximum*[1], quod Deus Pater se alterum genuit, his verbis: « Pater, ut haberet Filium de se ipso, non minuit se ipsum, sed ita genuit de se alterum se, ut totus maneret in se[a] et esset in Filio tantus, quantus et[b] solus ». Quod ita intelligi potest, id est, de se alterum a se[c] genuit, non utique alterum Deum, sed alteram personam; vel genuit se alterum, id est, genuit alterum, qui hoc est quod ipse[d]. Nam etsi alius sit Pater quam Filius, non est tamen aliud[e], sed unum.

DISTINCTIO V.

Cap. I.

Utrum divina essentia genuerit Filium, vel genita sit a Patre, vel de ipsa natus sit Filius, vel Spiritus sanctus procedens.

54 Post haec quaeritur, utrum concedendum sit, quod Pater genuit divinam essentiam, vel quod divina essentia genuit Filium, vel essentia genuit essentiam, an omnino non genuit nec genita est divina essentia.

Ad quod catholicis tractatoribus consentientes dicimus, quod nec Pater genuit divinam essentiam, nec divina essentia genuit Filium, nec divina essentia genuit essentiam. Hic autem nomine essentiae intelligimus divinam naturam, quae communis est tribus personis et tota in singulis.

55 Ideo non est dicendum, quod Pater genuit divinam essentiam; quia si Pater diceretur genuisse[f] divinam essentiam, essentia divina relative diceretur ad Patrem vel pro relativo poneretur. Si autem relative diceretur vel pro relativo poneretur, non indicaret essentiam. Ut enim ait Augustinus in V libro *De Trinitate*[2]: « Quod relative dicitur, non indicat substantiam ».

---

[a] D om. *in se.* [b] D *est.* [c] V B om. *a se.* [d] Z D add. *est.* [e] Ed. add. *quam Filius.* [f] B *genuisset,* loco *diceretur genuisse.*

---

[1] Epistola 170 *Ad Maximum medicum,* n. 5 (PL 33, 749). [2] Cap. 7, n. 8 (PL 42, 916).

Item, cum Deus Pater sit divina essentia, si eius esset genitor, esset utique genitor eius rei, quae ipse est; et ita eadem res se ipsam genuisset, quod Augustinus negat, ut supra [1] ostendimus.

Item, si Pater est genitor essentiae divinae, cum ipse essentia divina et [a] sit et Deus sit, eo ergo quod generat, et est, et Deus est. Ita ergo non illud quod generatur, est a Patre Deus, sed Pater eo quod generat, et est, et Deus est. Et si ita est, non genito gignens, sed gignenti genitus causa est, ut et sit, et Deus sit.

Simili ratione [b] probat Augustinus in libro VII *De Trini-* 56
tate [2], « quod Pater non est sapiens sapientia, quam genuit, quia si ea sapiens est, ea est; hoc enim est ibi esse quod sapere. Quodsi hoc est ibi esse quod sapere, non per illam sapientiam, quam genuit, sapiens Pater est. Quid enim aliud dicimus, cum dicimus: hoc illi est esse quod sapere, nisi, eo est quo sapiens est? Ergo quae [c] causa illi est, ut sapiens sit, etiam ipsa illi causa est, ut sit. Si ergo sapientia, quam genuit, illi causa est, ut sapiens sit, et causa illi est, ut sit. Sed causam Patri, qua sit, a Patre genitam, nullo modo quisquam dixerit sapientiam. Quid enim est insanius? Ita ergo, si Pater genuit essentiam, qua est, essentia, quam genuit, causa est illi ut sit ». Non igitur ipsam, qua est, essentiam genuit. « Nam in illa simplicitate, inquit Augustinus [3], quia non est aliud sapere quam esse, eadem [d] ibi [e] sapientia quae essentia »; ideoque quod de sapientia, hoc de essentia dicimus. Sicut ergo non genuit sapientiam, qua sapiens est, ita nec essentiam, qua est. Ut enim sapientia sapiens est et potentia potens, ita et essentia ipse est, eademque est sapientia et potentia, quae essentia.

Patet itaque [f] ex praedictis, quia Pater essentiam divinam non genuit.

Huic autem [g] videtur contrarium quod Augustinus ait in 57
libro *De fide ad Petrum* [h 4]: « Deus, cum Verbum genuit, id quod ipse est genuit, nec de nihilo [i] nec de aliqua iam facta conditaque materia, sed de se ipso id quod est ipse ».

---

[a] Ed. om. [b] U *ratiocinatione.* [c] V *quod.* [d] Ita UD; ed. add. *est.* [e] V *sibi.* [f] D *ergo.* [g] Z *tamen.* [h] Ed. *libro unico de Fide et symbolo, capitulo tertio.* [i] V *nullo* quod saepius pro *nihilo* ponit.

---

[1] Dist. IV, c. 1. [2] Cap. 1, n. 2 (PL 42, 934). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 11 (PL 176, 60). [3] Loc. cit. [4] Rectius *De fide et symbolo* n. 4 (PL 40, 183).

Item [1]: « Deus Pater, qui verissime se indicare animis cognituris et voluit et potuit, hoc ad se ipsum [a] indicandum genuit, quod est ipse qui genuit ».

Ecce aperte dicit his verbis, Deum Patrem genuisse illud quod ipse est. Illud autem quod ipse est, non est nisi divina essentia; videtur ergo divinam essentiam genuisse.

58 Ad quod respondemus, illa verba sic intelligenda esse dicentes: Pater de se ipso genuit illud quod ipse est, id est Filium, qui est illud quod Pater est. Nam quod Pater est, et Filius hoc est, sed non qui Pater est, et Filius hic est.

Ita etiam non est dicendum, quod divina essentia genuit Filium, quia cum Filius sit divina essentia, iam esset Filius res, a qua generatur et ita eadem res se ipsam generaret. Ita etiam dicimus, quod essentia divina non genuit essentiam. Cum enim una et summa quaedam res sit divina essentia, si divina essentia essentiam genuit, eadem res se ipsam genuit, quod omnino esse non potest; sed Pater solus genuit Filium, et a Patre et [b] Filio procedit Spiritus sanctus [2].

59 Praedictis autem videtur esse contrarium, quod dicit Augustinus in libro VII *De Trinitate* [3]: « Hoc, inquit, est Deo esse quod sapere; unde Pater et Filius simul sunt una sapientia, quia una essentia: et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia [c] de essentia ». Ecce his verbis [d] aperte dicit Augustinus, sapientiam de sapientia et essentiam de essentia, ubi videtur significare, quod sapientia sapientiam et essentia essentiam genuerit.

Idem in libro *De fide ad Petrum* [4] ait: « Sic Christum Dei Filium, id est unam ex Trinitate personam, Deum verum crede, ut divinitatem eius de natura Patris natam esse non dubites ». Hic videtur dicere, quod natura Filii sit nata de natura Patris.

Idem etiam in XV libro *De Trinitate* [5] ait [e]: « Dicitur Filius consilium de consilio et voluntas de voluntate, sicut substantia de

---

[a] VBD om. [b] VBD add. *a.* [c] VBD add. *est.* [d] VB om. *his verbis.* [e] ZB om.

---

[1] Loc. cit. [2] Cfr. Abael. III. *Theol. christ.* (PL 178, 1240). Haec doctrina Magistri oppugnata est ab abbate Ioachim, sed approbata a Concilio Lateranensi IV; cfr. Bonav. ad hanc dist. a. 1, q. 1 et dub. 4 *Opera omnia* tom. I pag. 111 et 121. [3] Ex cap. 1, n. 2 et c. 2, n. 3 passim excerptum (PL 42, 931 et sqq.). [4] Cap. 2, n. 15 (PL 40, 756). [5] Cap. 19, n. 38 (PL 42, 1087).

substantia et [a], sapientia de sapientia ». Et hic videtur dicere, quod substantia sit genita de substantia et sapientia de sapientia.

Sed haec [b] ita determinamus: « Sapientia de sapientia, et sub- 60
stantia de substantia est », id est Filius, qui est sapientia, qui est substantia, est de Patre, qui est eadem substantia et sapientia; et Filius, qui est divinitas, natus est de Patre, qui est divina natura. Et ut expressius dicamus, dicimus, Filium sapientiam esse de Patre sapientia, et dicimus, Filium substantiam esse genitum de Patre et a Patre substantia.

Quod autem ita intelligi debeat, Augustinus ostendit in VII libro *De Trinitate* [1] dicens: « Pater ipse sapientia est; et dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id est, sicut lumen de lumine et uterque unum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia, et uterque una sapientia et una essentia ».

Item [2]: « Ideo dicitur Christus virtus et sapientia Dei, quia de Patre, virtute et sapientia, etiam ipse virtus et sapientia est, sicut ipse lumen de Patre lumine est, et ipse fons vitae est apud Deum Patrem, fontem vitae. Filius ergo sapientia de Patre sapientia est, sicut Filius lumen de lumine Patre, et Deus Filius de Deo Patre, ut et singulus sit lumen et singulus sit [c] Deus et singulus sit [d] sapientia, et simul unum lumen, unus Deus, una sapientia ».

Ecce his verbis manifeste aperit Augustinus, ex quo sensu accipienda sint praedicta verba et his similia, scilicet cum dicitur: Substantia de substantia, vel substantia genuit substantiam.

Huic vero [e] id etiam [f] contrarium videtur, quod Hilarius 61
ait in IV libro *De Trinitate* [3]: « Nihil, inquit, nisi natum habet Filius; et geniti honoris admiratio in honore generantis est ». Cum ergo Filius essentiam habeat — tota enim in eo est divina essentia — videtur quod ipsa divina essentia nata sit ».

Item in V libro [4] ait [g]: « Nativitas Dei non potest eam ex qua profecta est non tenere naturam, nec enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde quam de Deo subsistit ». Ecce hic dicit nativitatem Dei profectam ex natura, et ita videtur ex his verbis atque praedictis natura Dei et genita et genuisse.

---

[a] Ita U D; ed. om. [b] Ed. *hoc.* [c] Ed. om. [d] Ed. et D om. [e] V *ergo.* [f] V om. [g] D *libro De Trin. ait Augustinus.*

---

[1] Cap. 1, n. 2 (P L 42, 936). [2] Ibid. c. 3, n. 4 (P L 42, 937). [3] Num. 10 (P L 10, 103). [4] Num. 37 (P L 10, 155).

Quod apertius dicit in libro IX *De Trinitate* [1]: « Nos, inquit, unigenitum Deum, in forma servi [a] manentem, in natura Dei [b] mansisse profitemur, nec unitatem formae servilis in naturam divinae unitatis refundimus; nec rursus corporali insinuatione Patrem in Filio praedicamus, sed ex eo eiusdem generis genitam naturam naturaliter [c] in se gignentem habuisse naturam, quae in forma naturae se gignentis manens, formam naturae et infirmitatis corporalis accepit. Non enim defecerat Dei natura, ne [d] esset; sed in se humilitatem terrenae nativitatis manens sibi Dei natura susceperat, generis sui potestatem in habitu assumtae humilitatis exercens ». Ecce hic aperte dicit, et naturam genuisse, et naturam genitam, et naturam assumsisse naturam; quod a plerisque negatur.

Item in eodem [2]: « Nunquid unigenito Deo [e] contumelia est, Patrem sibi innascibilem Deum esse, cum ex innascibili Deo nativitas unigenita in naturam unigenitam subsistat »? Ecce et hic dicit unigenitam naturam.

62 Sed quia haec verba sane vult intelligi, ipse idem [f] dicit in IV libro [g] [3]: « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus ». Haec ergo verba ita intelligi possunt: Nihil habet Filius nisi natum, id est, nihil habet secundum quod Deus est, nisi quod nascendo accepit, et ipse nascendo Patris in se subsistentem habuit naturam.

Unde idem Hilarius addit in libro V [4]: « Eandem naturam habet genitus, quam ille qui genuit, ita tamen, ut natus non sit ille qui genuit (nam quomodo erit [h] ipse, cum genitus sit?), sed in his ipsis subsistat ille qui genitus est, in quibus totus est ipse qui genuit, quia non est aliunde qui genitus est. Et ideo non refertur ad aliud quod in uno subsistit ex uno. Ac si in generatione Filii et naturam suam, ut ita dicam, sequitur indemutabilis [i] Deus indemutabilem gignens Deum, nec naturam suam deserit ex indemutabili Deo indemutabilis Dei perfecta nativitas. Subsistentem

---

[a] V B D *Dei.* [b] Ed. et antiquae Hilarii edd.: *in forma Dei manentem in natura hominis* Ed. Migne habet: *in forma Dei manentem in natura Dei mansisse.* [c] D *generaliter.* [d] D *ut.* [e] U om. [f] D om. [g] A add. *de Trinitate.* [h] Ed. cum Z (interl.) add. *Pater.* [i] V D *immutabilis,* quod saepius deinceps pro *indemutabilis* usurpant.

---

[1] Num. 51 (P L 10, 322). [2] Loc. cit. n. 53 (P L 10, 324). [3] Num. 14 (P L 10, 107). [4] Num. 37 (P L 10, 155) *.

igitur in eo Dei naturam intelligamus, cum in Deo Deus insit; nec praeter eum qui est Deus, quisquam Deus alius sit, quia ipse Deus, et in eo Deus ».

Naturae ergo Dei Patris veritas in Deo Filio esse docetur, cum in eo Deus [a] intelligitur esse, qui Deus est. Est enim unus in uno et unus ab uno.

Dicitur quoque et frequenter in Scriptura sacra legitur, Pa- 63
trem de sua substantia genuisse Filium.

Unde Augustinus in libro *De fide ad Petrum* [1] ait: « Pater Deus, de nullo genitus Deo, semel de sua natura sine initio genuit Filium, Deum sibi aequalem, et eadem, qua ipse naturaliter aeternus est, divinitate coaeternum ». Ecce hic dicit Augustinus, Filium genitum de natura Patris. Est autem una natura Patris et Filii et Spiritus sancti. Si ergo de natura Patris genitus est Filius, genitus est de natura Filii et Spiritus sancti, immo de natura trium personarum.

Idem quoque Augustinus in libro XV *De Trinitate* [2] dicit, Christum esse Filium substantiae Patris et de substantia Patris genitum, tractans illud verbum Apostoli loquentis de Deo Patre sic [3]: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum et transtulit* [b] *in regnum Filii caritatis suae.* « Quod dictum est, inquit [c], *Filii caritatis suae,* nihil aliud intelligatur quam Filii sui dilecti, quam Filii substantiae suae. Caritas quippe Patris, quae in natura eius est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quam ipsa natura atque substantia, ut saepe diximus et saepe iterare non piget, ac per hoc Filius caritatis eius nullus est alius, quam qui de substantia eius est genitus ». Ecce aperte hic dicit Augustinus Filium esse genitum de substantia Patris et Filium substantiae Patris.

Idem quoque Augustinus in libro II *Contra Maximinum haereticum* [4], substantiam Dei genuisse Filium, et Filium genitum de substantia Patris asserit dicens: « Carnalibus cogitationibus pleni, substantiam Dei de se ipsa gignere Filium non putatis [d], nisi hoc patiatur, quod substantia carnis patitur, quando gignit. *Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei* [5]. Nullo enim

---

[a] D *Filius.* [b] In U add. interlinearis *nos.* [c] V om. [d] V *creditis.*

---

[1] Cap. 2, n. 10 (PL 40, 756). [2] Cap. 19, n. 37 (PL 42, 1086).
[3] Col. 1, 13. [4] Cap. 14, n. 2 (PL 42, 771). [5] Matth. 22, 29.

modo verum [a] Dei Filium cogitatis, si eum natum esse de substantia Patris negatis. Non enim iam erat hominis Filius, et Deo donante factus est Dei Filius, ex Deo natus gratia, non natura. An forte, etsi non hominis filius erat, tamen aliqua iam erat qualiscumque creatura, et in Dei Filium, Deo mutante, conversa est? Sed nihil horum est; ergo aut de nihilo, aut de aliqua substantia natus est. Sed ne crederemus, vos [b] putare de nihilo esse Dei Filium, affirmastis, non vos dicere de nihilo esse Dei Filium. De aliqua ergo substantia est; et si non de substantia [c] Patris, de qua sit, dicite; sed non invenietis. Iam igitur unigenitum Dei Filium, Iesum Christum, de Patris esse substantia, non vos nobiscum pigeat [d] confiteri ».

Item in eodem [1]: « Utrique [e] legimus, *ut simus in vero Filio eius* [2], Iesu Christo. Dicite ergo nobis, utrum iste verus Dei Filius, ab eis qui gratia filii sunt, quadam proprietate [f] discretus, de nulla substantia sit, an de aliqua? Non dico, inquis [g], de nulla, nec dicam de nihilo; ergo de aliqua substantia est [h]. Quaero, de qua? Si non de Patris substantia est, aliam quaere. Si aliam non invenis, Patris agnosce substantiam, et cum Patre Filium homousion confitere ».

Item in eodem [3]: « Confiteor, Deum Patrem omnino incorruptibiliter genuisse, sed quod ipse est genuisse. Item dico quod saepe dicendum est: Aut de aliqua substantia natus est Dei Filius, aut de nulla. Si de nulla: ergo de nihilo; quod vos iam non dicitis; si vero de aliqua, nec tamen de Patris substantia, non est verus Filius; si vero de Patris substantia, unius eiusdemque substantiae sunt Pater et Filius. Vos autem nec Filium de Patris substantia genitum vultis; et tamen eum nec ex nihilo nec ex aliqua materia, sed ex Patre esse conceditis; nec videtis, quam necesse sit, ut qui [i] non est ex nihilo nec ex aliqua re alia, sed ex Deo, nisi [k] ex Dei substantia esse non possit, et hoc esse quod Deus est, de quo est, id est Deus de Deo natus; quia non alius prius fuit, sed natura coaeterna de Deo est ».

His verbis praemissis innui videtur, quod divina substantia [l] Filium genuerit, et quod Filius sit genitus de substantia Patris, et quod de [m] Deo est natura coaeterna, et quod Pater id quod ipse

[a] V *nec.* [b] V *nos.* [c] V B D om. [d] U *pudeat.* [e] A B D *utique.* [f] D add. *non.* [g] V *inquit.* [h] V om. [i] D *quod.* [k] D *nec.* [l] C D add. *vel essentia.* [m] V *ex.*

[1] Loc. cit. n. 3. [2] I. Ioan. 5, 20. [3] Loc. cit. n. 4 et 2.

est genuit. Id autem quod ipse est, essentia divina est; et ita putari potest, divinam essentiam genuisse.

Vehementer movent [a] nos haec [b] verba, quae quomodo intelli- 64
genda sint, mallem ab aliis audire quam tradere. Ut tamen sine praeiudicio atque temeritate loquar, ex hoc sensu dicta possunt accipi: Natura coaeterna de Deo est, id est, Filius coaeternus Patri de Patre est, ita quod est eadem cum eo natura vel eiusdem naturae. Quem sensum confirmat [c] Augustinus, ibidem [1] subiiciens et quod dixerat quasi explanans. Dicto enim: « Natura coaeterna de Deo est », addidit: « Non est aliud Filius quam illud de quo est, id est, unius eiusdemque substantiae est ».

Deinde [d] apertius talem intellectum ex praedictis verbis fore habendum aperit in eodem libro *Contra Maximinum* dicens: « Trinitas haec unius eiusdemque substantiae est, quia non de aliqua materia vel de nihilo est [e] Filius, sed de quo est genitus. Itemque Spiritus sanctus non de aliqua materia [f] vel de nihilo est [g], sed inde est unde procedit ».

His utique [h] verbis aperte ostendit, ea ratione dici Filium esse de substantia Patris, quia est de Patre genitus, ita quod est eiusdem substantiae cum eo; et Spiritum sanctum esse de substantia Patris et Filii, quia ab utroque procedit, ita quod est eiusdem substantiae.

Cap. II.

Quod Filius non est de nihilo, sed de aliquo, non tamen de materia, sicut et Spiritus sanctus.

Ostenditur quoque ex illis verbis, Filium et Spiritum sanctum 65
non esse de nihilo, sed de aliquo, nec tamen de aliqua materia [2].

Unde etiam Hilarius in XII libro *De Trinitate* [3] ait: « Unigenitus Deus, cum natus sit, Patrem testatur auctorem; cum ex manente natus est, non est natus ex nihilo; et cum ante tempus natus est, omnem sensum praevenit nascendo ». Hic aperte dicitur, quod Filius non est natus ex nihilo.

---

[a] D *moment.* [b] V add. *tria.* [c] V *affirmat.* [d] V *de substantia.* [e] D add. *sed inde est.* [f] V add. *est.* [g] Z om. [h] D *itaque.*

---

[1] Libr. II *Contra Maxim.* c. 14, n. 2 (PL 42, 771). [2] Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1290). [3] Num. 25 (PL 10, 449).

Similiter et Spiritus sanctus non est dicendus esse vel procedere ex nihilo, « quia Filius de substantia Patris natus est [1] », id est, a Patre [a] est, cum quo est eiusdem substantiae et eadem substantia. Ex quo sensu etiam accipiendum est illud: « Pater [2] genuit id quod est ipse », id est, Filium, qui est hoc quod Pater.

66 Et hoc ita debere intelligi Augustinus aperit, dicens in I libro *Contra Maximinum* [3]: « Hoc genuit Pater quod est; alioquin non est verus Filius, si quod est Pater non est Filius ».

Item [4]: « Substantia Dei genuit Filium », id est, Pater substantia genuit Filium [b], qui est eadem substantia et eiusdem substantiae. Quod sic esse intelligendum Augustinus ostendit, dicens ad Maximinum [5]: « Sicut dicis, spiritus spiritum [c] genuit [d]; ita dic: spiritus eiusdem naturae vel substantiae spiritum genuit. Item, sicut dicis: Deus Deum genuit, ita dic: Deus eiusdem naturae vel substantiae Deum [e] genuit. Hoc si credideris et dixeris, nihil de hac re ulterius accusaberis ». His enim verbis aperit, quomodo praedicta debeant intelligi.

Similiter: « Filius natus est de substantia Patris, vel Pater genuit Filium de sua natura sive essentia », id est, de se natura et essentia genuit Filium eiusdem essentiae ac naturae, et qui est eadem essentia ac natura. Similiter expone illud: « Filius substantiae Patris », id est, Filius Patris substantiae, id est, qui est substantia, cum quo et Filius eadem substantia est, quia consubstantialis est Patri Filius.

67 Et hic sensus iuvatur ex verbis Augustini, qui in libro VII *De Trinitate* [6] ait: « Tres personas eiusdem essentiae, vel tres personas unam essentiam dicimus. Tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est [f], aliud quod [g] persona ». His verbis ostendit [h], non esse dicendum, personam esse ex essentia, nisi ex sensu praedicto.

---

[a] Z add. *natus.* [b] V om. *id est, Pater substantia genuit Filium.* [c] B C *Spiritus sanctus, Spiritum sanctum.* [d] C add. *ita est sicut dicis Deum Deus genuit.* [e] Z *Spiritum.* [f] Z add. *et.* [g] V *quidem.* [h] B C add. *Augustinus.*

---

[1] August. *De fide et symb.* c. 4, n. 6 (P L 40, 185). [2] Ibid. c. 3, n. 4 (P L 40, 183); cfr. supra c. 1. [3] Cap. 18 (P L 42, 756). [4] Libr. II, c. 14 (P L 42, 770 et sqq.); vide supra c. 1 post medium. In eodem cap. 14 occurrunt alii textus, ex quibus propositiones, quae hic explicantur, sumtae sunt. [5] Libr. II. c. 15, n. 3 (P L 42, 779). [6] Cap. 6, n. 11 (P L 42, 945).

Qui sensus confirmatur etiam ex eo quod in XV libro *De Trinitate* [1] [a] idem ait: « Sicut nostra scientia scientiae Dei, sic et nostrum verbum, quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi Verbo Dei, quod natum est de Patris essentia. Tale est autem, ac si dicerem: De Patris scientia, de Patris sapientia, vel quod est expressius, de Patre essentia, de Patre scientia, de Patre sapientia ».

Ex hoc itaque intellectu Verbum Dei Patris, unigenitus Filius, per omnia Patri similis et aequalis, recte dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia; quia est hoc omnino quod Pater, non tamen Pater, quia iste Filius, ille Pater.

Cap. III.

Quare Verbum Patris dicatur Filius naturae.

Inde est, quod solus Unigenitus Dei dicitur natura Filius, 68
quia eiusdem naturae est et eadem natura est [b] cum Patre.

Unde Hilarius in libro [c] *De Trinitate* [2] de Christo loquens ait: « Natura Filius est, quia eandem naturam, quam ille qui genuit, habet ».

DISTINCTIO VI.

Cap. Unicum.

Utrum Pater voluntate genuerit Filium, an necessitate; an volens vel nolens sit Deus.

Praeterea quaeri solet, utrum Pater genuerit Filium voluntate, 69
an necessitate.

De hoc Orosius ad Augustinum [3] ita ait: « Voluntate genuit Pater Filium, vel necessitate? Nec voluntate, nec necessitate, quia necessitas in Deo non est, praeire voluntas sapientiam non potest ».

---

[a] V add. *Augustinus.* [b] ZB om. [c] Ed. add. *quinto.*

---

[1] Cap. 13, n. 22 (PL 42, 1076). [2] Libr. V, n. 37 (PL 10, 155); vide supra c. 1 circa medium. [3] *Quaest. 65 Dialog.* q. 7 (PL 40, 736). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1. c. 7 (PL 176, 53) atque Abael. IV. *Theol. christ.* ac *Sic et non* c. 15 (PL 178, 1292 et 1372). Hic eliditur error Valentini. Cfr. Athanasius, *Oratio III contra Arianos* n. 65 et sqq. (PGL 26, 459 et sqq.).

« Quocirca, ut Augustinus ait in libro XV *De Trinitate* [1], ridenda est dialectica Eunomii, a quo Eunomiani haeretici orti sunt, qui cum non potuisset [a] intelligere nec credere voluisset, unigenitum Dei Verbum Filium Dei esse natura [b], id est de [c] substantia Patris genitum, non naturae vel substantiae dixit esse Filium, sed Filium voluntatis Dei, volens asserere accedentem [d] Deo voluntatem, qua gigneret Filium, sicut nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus, propter quod mutabilis intelligitur nostra natura; quod absit, ut in Deo esse credamus ».

Dicamus ergo, Verbum Dei [e] esse Filium Dei natura, non voluntate, ut docet Augustinus in libro XV *De Trinitate* [2], ubi quendam catholicum haeretico respondentem commendat dicens: « Acute sane quidam respondit haeretico versutissime interroganti, utrum Deus Filium nolens, an volens genuerit, ut si diceret nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur; si autem volens, continuo quod intendebat concluderet, scilicet non naturae esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissime vicissim quaesivit ab eo, utrum Deus Pater volens, an nolens sit Deus, ut si responderet nolens, sequeretur grandis absurditas et miseria, quam de Deo credere magna est insania; si autem diceret volens, responderetur ei: ergo et ipse [f] voluntate sua Deus est, non natura. Quid ergo restabat, nisi ut obmutesceret, sua interrogatione obligatum insolubili vinculo se videns? ». Ex praedictis docetur, non esse concedendum, quod Deus voluntate vel necessitate, vel volens vel nolens sit Deus; item, quod voluntate vel necessitate [g], vel volens vel nolens genuerit Filium.

70 Sed contra hoc opponitur sic: Voluntas Dei est natura sive essentia Dei, quia non est aliud Deo esse, aliud velle; et ideo, sicut una est essentia trium personarum, ita et una voluntas. Si ergo Deus natura Deus est, et voluntate Deus est; et si Verbum Dei natura Filius Dei est, et voluntate Filius Dei est.

Hoc autem facile est refellere. Nam et praescientia Dei sive scientia, qua scit vel praescit bona et mala, divina natura sive essentia est; et praedestinatio sive voluntas eius eadem divina essentia est, nec est aliud Deo scire vel velle quam esse. Et cum sit unum et idem scientia Dei vel voluntas, non tamen dicitur de voluntate, quidquid dicitur de scientia, et e converso. Nec omnia illa sua vo-

[a] V *cum noluissent.* [b] B *natum.* [c] V om. [d] D *antecedentem.* [e] B om. [f] ABCD om. *et ipse.* [g] D om. *vel volens..... necessitate.*

[1] Cap. 20 n. 38 (PL 42, 1087) *. [2] Ibidem.

luntate Deus vult, quae sua scientia scit, cum scientia sua noverit tam bona quam mala, voluntate autem non velit nisi bona. Scientia quippe Dei et praescientia de bonis est et malis, voluntas vero et praedestinatio de bonis est [a] tantum; et tamen unum et idem est in Deo scientia et voluntas, et praescientia et praedestinatio. Ita cum unum sit natura Dei et voluntas, dicitur tamen Pater genuisse Filium natura, non voluntate, et esse Deus natura [b], non voluntate [c].

Praedicta tamen verba, quibus prudenter dictum est, quod 71
Deus Pater nec volens nec nolens est Deus, nec nolens nec volens genuit Filium, sive voluntate vel [d] necessitate, ex tali sensu mihi videntur accipienda, ut [e] voluntatem praecedentem vel accedentem intelligamus, qualiter Eunomius intelligebat. Non enim ipse est Deus voluntate praecedenti vel efficienti, vel volens, priusquam Deus; nec voluntate praecedenti vel accedenti genuit Filium [f], nec prius volens quam generans genuit Filium [g]. Volens tamen genuit, sicut potens genuit, et bonus genuit, et sapiens genuit, et huiusmodi. Si enim Pater sapiens et bonus dicitur genuisse Filium, cur non et volens? cum ita sit Deo idem esse volentem, quod est esse Deum; sicut idem est esse [h] sapientem, quod est esse Deum. Dicamus ergo, quia Pater sicut sapiens, ita volens genuit Filium, sed non voluntate praecedenti vel accedenti. Quem sensum aperit Augustinus [i] et confirmat, ita dicens *Super Epistolam ad Ephesios* [1]: « De Filio Dei, id est Domino nostro Iesu Christo scriptum est, quia cum Patre *semper fuit*, et nunquam eum, ut esset, voluntas paterna praecessit; et ille quidem natura Filius est ».

Hilarius [k] in libro *De Synodo* [2]: « Eos qui dicunt, de non exstantibus 72
esse Filium Dei, similiter qui dicunt, quod neque consilio neque voluntate Pater genuit Filium, anathematizat sancta Ecclesia. Item [3] si quis nolente Patre dicat natum Filium, anathema sit. Non enim, nolente Patre, coactus Pater vel naturali necessitate ductus, cum nollet, genuit Filium, sed mox ut voluit, sine tempore et impassibiliter ex se Unigenitum demonstravit ».

---

[a] D om. *et malis..... bonis est.* [b] Z add. *et.* [c] D om. *et e. D. n. n. voluntate.* [d] Ed. cum D *sive.* [e] A add. *nec;* B add. *non.* [f] Ed. cum B C add. *nec prius generans quam volens genuit Filium.* [g] D post *voluntate* legit: *Sicut idem est esse sapientem quod est esse Deum,* cetera huius propositionis omittens. [h] V om. *volentem, q. e. e. D.; s. i. est esse.* [i] Ita omnes codd.; ed. *Hieronymus.* [k] Haec notula habetur in U V in margine superiori, in aliis vero ut nota collateralis. A respectu huius notulae add. *et quia Magister non probaverat Patrem genuisse Filium voluntate, ideo haec nota posita est;* B D om.

---

[1] Rectius Hieronymus super cap. 1, 5 (P L 26, 448). [2] Num. 39, I (P L 10, 510). [3] Num. 58, XXV (P L 10, 520).

DISTINCTIO VII.

Cap. I.

Utrum Pater potuerit vel voluerit gignere Filium.

73 Hic solet quaeri a quibusdam, utrum Pater potuerit vel voluerit generare [a] Filium.

Si [b] enim, inquiunt, potuit et voluit generare Filium, ergo potuit aliquid et voluit, quod nec potuit nec voluit Filius; nam Filius nec potuit nec voluit generare Filium.

Cui versutiae facile respondemus dicentes: Posse vel velle generare Filium non est aliquid posse vel velle subiectum [c] voluntati vel potentiae. Est tamen aliqua potentia vel voluntas, scilicet posse vel velle gignere Filium; et ideo distinguenda est intelligentia praepositi [d] verbi: posse vel velle gignere Filium [e] est posse vel velle aliquid [f]. Neque [g] generatio Filii aliquid eorum est, quae subiecta sunt divinae potentiae et voluntati, nec est aliquid inter omnia vel de omnibus, sed super omnia et ante omnia. Non enim ante voluit vel potuit, quam genuit; sicut nec ante fuit, quam genuit, quia ab aeterno fuit et ab aeterno genuit.

Ex simili quoque hoc videre possumus. Pater enim potest esse Pater, et vult esse Pater; Filius autem nec potest, nec vult esse Pater; ergo Pater potest vel vult esse aliquid, quod non potest vel vult esse Filius. Non sequitur, quia esse Patrem non est esse aliquid [h], ut in sequenti ostendetur [1].

74 Sed vehementer nos movet quod ait Augustinus in II libro *Contra Maximinum* [2], qui asserebat Patrem potentiorem Filio, eo quod Filium genuit Deum creatorem, Filius autem non; dicebatque Patrem potuisse gignere, non [i] Filium; et ideo potentiorem esse Filio. Ad quod respondens Augustinus dicere videtur, quod Filius potuit etiam gignere, volens ostendere, Patrem non esse potentio-

---

[a] Z *gignere,* quod deinceps quater pro *generare* habet. [b] U *sicut;* D *sic.* [c] A add. *divinae.* [d] Ed. *propositi.* [e] U add. interlin. *non.* [f] D om. *et ideo... verbi.* [g] Ed. add. *enim.* [h] Ed. add. *sed est esse ad aliquid;* D add. *sed potest esse aliquid.* [i] V D om.; in U *non* est add. interlin.

---

[1] Dist. XXVIII, c. 5. [2] Cap. 12, n. 3 (PL 42, 768).

rem Filio, his verbis: « Absit, ut ideo potentior sit Pater Filio, sicut putas, quia Creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit Creatorem; neque enim non potuit, sed non oportuit ». Vide et diligenter attende haec verba: Non enim non potuit, sed non oportuit. Videtur enim dicere, quod Filius potuit gignere, sed non oportuit; et ita potuit quod non oportuit. Quare autem non oportuit, subdit dicens: « Immoderata enim esset divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia et ipse nepos, nisi avo suo pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur. Similiter etiam ille, si nepotem non gigneret avo suo et pronepotem proavo suo, non a vobis [a] appellaretur omnipotens; nec impleretur generationis series, si [b] semper alter ex altero nasceretur; nec eam perficeret ullus, si non sufficeret unus omnipotens. Itaque omnipotentem genuit Filium Patris natura, non fecit ».

Hoc autem videtur quibusdam non posse stare, scilicet quod 75
Filius potuerit gignere.

Si enim Filius potuit gignere, potuit esse pater; et si potuit esse pater, potuit ergo esse pater vel sui, vel Patris, vel Spiritus sancti, vel alicuius alius. Sed alius non, quia nullus alius semper fuit; nec Patris, quia Pater [c] est ingenitus et innascibilis; nec sui, « quia nulla res se ipsam gignere potest »; nec Spiritus sancti, quia nasci non potuit. Si enim nasci potuit, potuit esse filius, et ita mutabilis esse potuit.

Quomodo ergo accipietur quod supra dictum est: Non enim non potuit gignere, sed non oportuit, quasi potuit, sed non oportuit? Non est nobis perspicuum aperire, quomodo sit hoc verum, et ideo sub silentio potius esset praetereundum, nisi me [d] super hoc aliquid loqui cogeret instantia quaerentium [e].

Potest ergo [f] sic intelligi: Non enim non potuit, sed non oportuit, id est, non ex impotentia sui fuit, quod Filius non genuit, sed ei non conveniebat, sicut Deus [g] Filius non est Deus Pater; nec tamen hoc ex impotentia sui est. Nam et Pater similiter non est Filius, nec hoc est ex impotentia Patris. Sed quaerit Maximinus, Arianorum Episcopus: Unde ergo est, quod Pater non potest esse Filius, vel Filius Pater? Non utique ex impotentia, sed Pater ex [h] proprietate generationis Pater est, qua oportet eum non esse

---

[a] V *nobis.* [b] D *ut.* [c] B om. [d] V *mihi.* [e] Z *petentium.* [f] D *autem.* [g] V *Dei.* [h] Ita U Z; ed. om.

Filium, et Filius proprietate nativitatis Filius est, qua oportet eum non esse Patrem. De quibus proprietatibus postea plenius tractabitur [1].

Cap. II.

An posse gignere Filium sit aliqua potentia in Patre, quae non sit in Filio.

76 Item quaeritur a quibusdam, si Pater potens sit natura gignere Filium, et an haec sit aliqua potentia, quae sit in Filio.

Ad quod dicimus, quia [a] non est potens nisi natura; eius enim potentia natura est vel essentia.

77 At, inquiunt illi, si potens est gignere, habet ergo potentiam gignendi; Filius autem non habet potentiam gignendi, si non potest gignere; habet ergo Pater aliquam potentiam, quam non habet Filius [2].

Non sequitur. Eandem enim potentiam penitus habet Filius quam et Pater, qua Pater potuit gignere, et Filius potuit gigni. Eadem enim potentia est in Filio, qua potuit gigni, quae est et [b] in Patre, qua potuit gignere.

78 Sed contra hoc opponitur: Aliud est [c] posse gignere, aliud est posse gigni; quia aliud est gignere, aliud gigni.

Hic distinguendum est. Si enim, cum dicitur: Aliud est posse gignere, et [d] aliud posse gigni, aliam significes potentiam, qua Pater potens est gignere, et aliam, qua Filius potens est gigni, falsus est intellectus. Si autem dicas, Patrem posse habere aliam proprietatem sive notionem, qua genitor est; et Filium aliam, qua genitus est, verus est intellectus. Aliam enim proprietatem habet Pater, qua Pater est, aliam Filius, qua Filius est.

Ita etiam, cum dicitur: Filius non habet potentiam generandi, quam Pater habet, dupliciter intelligi potest.

Si enim dicatur: Non habet Filius potentiam generandi quam et Pater, id est, qua potens sit ad generandum, id est, ut [e] genuerit, vel [f] generet [g] sicut Pater, verum est. Si vero intelligatur sic: Non habet potentiam, qua possit gigni vel genitus esse, qua eadem Pater potens est, ut genuerit vel ut [h] generet, falsum est. Sicut [i]

---

[a] Ed. add. *Pater.* [b] Ed. cum C om. [c] Z om. [d] Ed. cum B C om. [e] D *qua.* [f] Ed. add. *ut.* [g] D add. *Filium.* [h] Z D om. [i] Z add. *cum;* D add. *enim.*

---

[1] Dist. XXVI. [2] Cfr. Hugo, II. *De Sacram.* p. 1, c. 2 (P L 176, 373).

dicitur [a]: Pater habet potentiam, qua potest esse Pater; Filius vero non habet potentiam, qua possit esse Pater; et e converso, Filius habet potentiam, qua potest esse Filius, Pater vero non habet potentiam, qua possit esse Filius; habet ergo [b] aliquam Pater, quam non habet Filius, et e converso. Absit; quia eadem [c] est potentia Patris, qua potest esse Pater, et Filii, qua potest esse Filius. Ita etiam eadem est voluntas, qua Pater vult esse Pater, non Filius, et Filius vult esse Filius, non Pater; et eadem est voluntas Filii, qua vult esse genitus, et Patrem genuisse; et Patris, qua vult esse genitor, et Filium genitum [d].

DISTINCTIO VIII.

Cap. I.

De veritate ac proprietate divinae essentiae.

Nunc de veritate sive proprietate, et incommutabilitate atque 79
simplicitate divinae naturae vel substantiae sive essentiae agendum est.

« Est itaque Deus, ut ait Augustinus in V libro *De Trinitate* [1], sine dubitatione substantia vel, si melius hoc appellatur, essentia, quam Graeci usiam vocant. Sicut enim ab eo quod est sapere dicta est sapientia, et ab eo quod est scire dicta est scientia; ita ab eo quod est esse dicta est essentia. Et quis [e] magis est quam ille, qui [f] dixit famulo suo Moysi [2]: *Ego sum qui sum. Et dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos* ». Ipse vere ac proprie dicitur essentia, cuius essentia non novit praeteritum vel futurum.

Unde Hieronymus *Ad Marcellam* scribens ait [3]: « Deus solus, qui exordium non habet, verae essentiae nomen tenuit [g] quia

---

[a] D *Deus.* [b] U V in marg. add. *potentiam.* [c] V om. [d] Ed. cum A C add. *esse.* [e] D om. [f] Ed. add. *in Exodi tertio.* [g] V *genuit.*

---

[1] Cap. 2, n. 3 (P L 42, 912). Cfr. etiam XII. *De civ. Dei,* c. 2 (P L 41, 350). [2] Exod. 3, 14. [3] Apud Hieron. haec sententia ad verbum non invenitur, sed apud Isidorum, VII. *Etymolog.* c. 1, n. 10-13, ubi in ed. Migne (P L 82, 261) recte observatur, locum istum potius conflatum esse ex Augustini et Gregorii variis locis, et primam partem, scil. usque ad *non sint,* sumtam esse ex August., VIII. *De civ. Dei,* c. 11 (P L 41, 235). — Vide etiam Rabanum, *Comment. in Exod.* libr. I, c. 6 (PL 108, 21).

in eius comparatione, qui vere est, quia [a] incommutabilis est, quasi non sunt, quae mutabilia sunt. De quo enim dicitur fuit, non est; et de quo dicitur erit, nondum est; Deus autem tantum est, qui non novit fuisse vel futurum esse; solus igitur Deus vere est, cuius essentiae [b] comparatum nostrum esse non est».

80 Hic diligenter advertendum est, quomodo intelligi debeant illa verba Hieronymi, scilicet: «Deus tantum est et non novit fuisse [c]», tanquam non possit dici de Deo fuit, vel erit, sed tantum est, cum de eo [d] frequenter scriptum reperiamus: Fuit ab aeterno, fuit semper, et erit in saecula, et huiusmodi; unde videtur, quia non est tantum dicendum de Deo fuit, vel est, vel erit. Si enim diceretur tantum fuit, putaretur, quod desierit [e] esse; si diceretur tantum est [f], putaretur, quod non semper fuerit, sed esse coeperit [g]; si tantum diceretur erit, putaretur non esse modo. Dicatur ergo, quia semper fuit, est et erit, ut intelligatur, quia nec coepit, nec desiit [h], nec desinit [i], nec desinet esse.

De hoc Augustinus *Super Iohannem* [1] ita ait: «Cum de sempiterna re proprie dicatur [k] est, secundum nos bene dicitur fuit et erit [l]; ita [m] fuit, quia nunquam desiit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est; non praeteriit, quasi quod non maneat; non orietur, quasi quod non erat. Cum ergo nostra locutio per tempora varietur, de eo vere dicuntur verba cuiuslibet temporis, qui [n] nullo tempore defuit vel deest vel deerit; et ideo non est mirum, si de Spiritu veritatis Veritas loquens dixit per futurum: *Quaecumque audiet loquetur* [2]. *Audiet*, scilicet ab eo a quo procedit: audire illius est scire, idem est [o] esse; a quo ergo est illi essentia [p], ab illo audientia, id est scientia, quae non est aliud quam essentia. *Audiet* ergo dixit de eo quod audivit et audit, id est, quod semper scivit, scit et sciet». Ecce hic dicit Augustinus, verba cuiuslibet temporis dici de Deo, sed [q] proprie est.

81 Illud ergo [r] quod Hieronymus dicit, ita intelligendum est: Non novit fuisse vel futurum esse, sed tantum esse, id est, cum

---

[a] D *qui*. [b] B *esse*. [c] Ed. continuat *vel futurum esse*. [d] B *Deo*. [e] U *deficeret;* V B D *desineret*. [f] Z *esse*. [g] D om. [h] D om. *nec desiit*. [i] Z om. *nec desinit*. [k] Z add. *ita*. [l] Ed. add. *et est*. [m] B D om. [n] V add. *in*. [o] Ed. *etiam;* A *etiam est*. [p] Z *scientia*. [q] Ed. add. *tamen*. [r] D *quoque*.

---

[1] Tract. 99, n. 4 et 5 (P L 35, 1888)*. [2] Ioan. 16, 13.

dicitur de Deo, quod fuit, vel erit, non est intelligendum, quod praeterierit, vel futurus sit, sed quod existat simpliciter sine aliquo temporali motu. Licet enim verba substantiva diversorum temporum de Deo dicantur, ut fuit, erit, est, erat, non tamen temporales motus tunc distinguunt, scilicet praeteritum vel futurum vel praeteritum imperfectum vel praeteritum perfectum vel praeteritum plus quam perfectum, sed essentiam sive existentiam divinitatis simpliciter insinuant. Deus ergo solus proprie dicitur essentia vel esse.

Unde Hilarius in VII libro *De Trinitate* [1] ait: « Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas [a] et manens causa et naturalis generis proprietas ».

Cap. II.

De incommutabilitate eiusdem.

Dei etiam solius essentia proprie incommutabilis dicitur, quia 82
nec mutatur, nec mutari potest [2].

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [3]: « Aliae, inquit, essentiae vel substantiae capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacumque mutatio; Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest; et ideo sola substantia vel essentia, quae est Deus, incommutabilis est, cui profecto maxime ac verissime competit esse. Quod enim mutatur non servat ipsum esse; et quod mutari potest, etiam si non mutetur, potest, quod fuerat, non esse; ideoque illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, verissime dicitur esse », id est substantia Patris et Filii et Spiritus sancti.

Ideoque Apostolus de Deo loquens ait [4]: *Qui solus habet immortalitatem*. Ut enim ait Augustinus in libro I *De Trinitate* [5]: « Cum anima quodam modo immortalis esse dicatur et sit, non diceret Apostolus: *Solus* [b] *habet immortalitatem*, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est, quam nulla potest habere creatura, quoniam solius Creatoris est ».

---

[a] D add. *et materialis proprietas*, sequentia om. [b] Ed. cum D add. *Deus*.

[1] Num. 11 (PL 10, 208). [2] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9 (PL 176, 55).
[3] Cap. 2, n. 3 (PL 42, 912). [4] I. Timoth. 6, 16; idem textus infra bis occurrit.
[5] Cap. 1, n. 2 (PL 42, 821).

Unde Iacobus ait [1]: *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.*

Et David [2]: *Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es* [a].

Ideo Augustinus *Super Genesim* [3] dicit, quod Deus nec per loca nec per tempora movetur, creatura vero per tempora et loca [b]; per tempora moveri est per affectiones [c] commutari; Deus autem nec loco nec affectione mutari potest, qui per Prophetam ait [4]: *Ego Deus, et non mutor,* qui est immutabilis solus. Unde recte *solus* dicitur *habere immortalitatem.*

83 « In omni enim mutabili natura, ut ait Augustinus *Contra Maximinum* [5], nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse, quod erat. Unde et ipsa anima humana, quae ideo dicitur immortalis, quia secundum modum suum nunquam desinit vivere, habet tamen quandam mortem suam; quia si iuste vivebat et peccat, moritur iustitiae; si peccatrix erat et iustificatur, moritur peccato, ut alias eius mutationes taceam, de quibus modo longum est disputare. Et creaturarum natura caelestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam et Angeli peccaverunt et daemones facti sunt, quorum est diabolus princeps; et qui non peccaverunt peccare potuerunt; et cuicumque creaturae rationabili praestatur, ut peccare non possit, non est hoc [d] naturae propriae, sed Dei gratiae. Et ideo *solus Deus,* ut ait Apostolus, *habet immortalitatem,* qui [e] non cuiusquam gratia, sed natura sua nec potuit nec potest aliqua conversione mutari, nec potuit nec poterit aliqua mutatione peccare [f] ».

« Proinde, ut ait Augustinus in libro I *De Trinitate* [6], substantiam Dei sine ulla sui commutatione mutabilia facientem et sine ullo suo [g] temporali [h] motu temporalia creantem intueri et nosse, licet sit difficile, oportet ».

Vere ergo ac proprie incommutabilis est sola [i] Divinitatis essentia, quae sine sui [k] mutatione cunctas condidit naturas.

---

[a] Z add. *et anni tui non deficient.* [b] Ed. cum A add. *et;* D add. *movetur.* [c] V *accessiones.* [d] B om. [e] V *quam.* [f] D om *nec potuit.... peccare.* [g] D om. [h] V om. [i] BD *illa.* [k] D add. *diminutione et.*

---

[1] Cap. 1, 17. [2] Psalm. 101, 28. [3] *Super Genes. ad litteram* VIII. c. 20, n. 39 (PL 34, 388)*; cfr. etiam c. 21, 22, 23, 26. [4] Malach. 3, 6. [5] Libr. II, c. 12, n. 2 (PL 42, 768). [6] Cap. 1, n. 3 (PL 42, 821).

Cap. III.

De simplicitate eiusdem.

Eademque sola [a] proprie ac vere simplex est, ubi nec partium 84
nec accidentium seu quarumlibet formarum ulla est diversitas sive variatio vel multitudo [1].

Ut autem scias, quomodo simplex sit illa substantia, ut te docet Augustinus in VI libro *De Trinitate* [2], « animadverte primo, quare omnis creatura sit multiplex et nullo modo vere simplex, et primo de corporali, postea de spirituali creatura. Corporalis utique creatura [b] partibus constat, ita ut sit ibi alia pars maior, alia minor, et maius sit totum quam pars quaelibet; et in unoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura. Potest enim, et minuta [c] magnitudine, manere idem color et eadem figura [d]; et colore mutato, manere eadem figura et eadem magnitudo. Ac per hoc multiplex esse convincitur natura corporis, simplex autem nullo modo ».

Cap. IV.

De corporali et spirituali creatura, quomodo sit multiplex, et non simplex.

« Creatura quoque spiritualis, ut est anima, in comparatione 85
quidem [e] corporis est simplex, sine comparatione vero [f] corporis multiplex est, et non simplex. Quae ideo simplex dicitur respectu corporis, quia mole non diffunditur [g] per spatium loci, sed in unoquoque corpore et in toto tota est et in qualibet parte eius tota est [h]. Et ideo, cum fit aliquid in quavis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet. Sed tamen nec in ipsa anima vera simplicitas est. Cum enim aliud sit artificiosum esse, aliud

[a] B om. [b] B add. *ex.* [c] V *mutata.* [d] V om. *et c. m. m. e. figura.* [e] B *quoque;* D om. [f] V om.; D *quoque.* [g] D *distenditur.* [h] B om. *et in... est.*

[1] Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 3, c. 15 et 16 (P L 176, 220 et sq.), et Abael. III. *Theol. christ.* (P L 178, 1239). [2] Cap. 6, n. 8 (P L 42, 928).

inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud laetitia, aliud tristitia, possintque haec et alia huiusmodi innumerabilia in animae natura inveniri, et alia sine aliis, et alia magis, alia minus, manifestum est, non simplicem, sed multiplicem [a] naturam esse. Nihil enim simplex mutabile est; omnis autem creatura mutabilis est [1] »; nulla ergo creatura vere simplex est. « Deus vero, etsi multipliciter [b] dicatur, vere tamen et summe simplex est. Dicitur enim magnus, bonus, sapiens, beatus, verus et quidquid aliud non indigne dici videtur, sed eadem magnitudo eius est, quae sapientia. Non enim mole magnus est, sed virtute [c], et eadem bonitas, quae sapientia et magnitudo et veritas; et non est ibi aliud ipsum beatum esse, et aliud magnum aut sapientem aut verum aut bonum esse aut omnino esse [2] ».

Cap. V.

Quod Deus, cum sit simplex, tamen multipliciter dicitur.

86 Hic diligenter notandum est, cum dicat Augustinus, solum Deum vere simplicem esse, cur dicat, eundem multipliciter dici.

Sed hoc non propter diversitatem accidentium vel partium dicit, sed propter diversitatem ac multitudinem nominum, quae de Deo dicuntur; quae licet multiplicia sint, unum tamen significant, scilicet divinam naturam. Haec enim non ita accipiuntur, cum de illa incommutabili aeternaque substantia incomparabiliter simpliciore, quam est humanus animus, dicuntur, quemadmodum [d] cum de creaturis dicuntur [3].

Unde Augustinus in libro VI *De Trinitate* [4]: « Deo hoc est esse, quod est fortem esse, vel sapientem esse, vel iustum esse, et si quid de illa simplici multiplicitate vel multiplici [e] simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur. Humano autem animo non est hoc esse, quod est fortem esse aut prudentem aut iustum; potest enim esse animus et nullam istarum habere virtutem [f] ».

---

[a] D add. *eius.* [b] Ed. *multiplex.* [c] D *acute.* [d] V *et.* [e] V om. [f] Ed. et B *virtutum.*

---

[1] Ibid. [2] Ibid. c. 6 et 7. [3] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 10 (PL 176, 56 et sqq.), et Abael. III. *Theol. christ.* (PL 178, 1237 et sqq.). [4] Cap. 4, n. 6 (PL 42, 927).

Cap. VI.

Quod Dei simplicitas nulli praedicamentorum subiicitur.

Quod autem in natura deitatis [a] nulla sit accidentium diver- 87
sitas nullaque penitus mutabilitas, sed perfecta simplicitas, ostendit Augustinus in V libro *De Trinitate* [1] dicens: « Intelligamus Deum, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ praesidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnino invenire quid sit, pie tamen caveat, quantum potest, aliquid de illo sentire, quod non sit ».

Ecce, si subtiliter intendas, ex his atque praedictis aperitur, illa praedicamenta artis dialecticae Dei naturae minime convenire, quae nullis subiecta est accidentibus [2].

Cap. VII.

Quod Deus abusive dicitur substantia.

Unde nec proprie dicitur substantia [3], ut Augustinus osten- 88
dit in libro VII *De Trinitate* [4]: « Sicut ab eo quod est esse appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere substantiam dicimus, si tamen dignum est, ut Deus dicatur subsistere. Hoc enim de his rebus recte intelligitur, in quibus subiectis sunt ea quae in aliquo subiecto esse dicuntur, sicut in corpore color aut forma. Corpus enim subsistit, et ideo substantia est. Res ergo mutabiles [b] neque simplices proprie dicuntur substantiae. Deus autem, si subsistit, ut proprie substantia dici possit, inest in eo aliquid tanquam in subiecto, et non est simplex. Nefas est autem dicere, ut subsistat Deus et subsit bonitati suae, atque illa bonitas non substantia sit vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo

[a] Ed. *divina;* A *divinitatis.* [b] B *immutabiles.*

[1] Cap. 1, n. 2 (PL 42, 912). [2] Cfr. Abael. III. *Theol. christ.* et II. *Intr. ad theol.* c. 10 (PL 178, 1242 ac sqq. et 1063). [3] Cfr. Abael. *Sic et non* c. 9 (PL 178, 1364) et III. *Theol. christ.* loc. cit. et II. *Intr. ad theol.* c. 10 (PL 178, 1060 et sqq.). [4] Cap. 4 in fine et c. 5 in principio (PL 42, 942).

sit tanquam in subiecto. Unde manifestum est, Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiori intelligatur essentia, quod vere ac proprie dicitur, ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est ».

Cap. VIII.

Quod non est in Deo aliquid, quod non sit Deus.

89 Huius [a] autem essentiae simplicitas ac sinceritas tanta est, quod non est in ea aliquid, quod non sit ipsa; sed idem est habens et quod habetur [1].

Unde Hilarius in VII libro *De Trinitate* [2] ait: « Non ex compositis Deus, qui vita est, subsistit, neque qui virtus est, ex infirmis continetur, neque qui lux est, ex obscuris coaptatur, neque qui spiritus est, ex disparibus formalis [b] est: totum quod in eo est, unum est ».

Idem in VIII libro *De Trinitate* [3]: « Non humano modo ex compositis Deus est, ut in eo aliud sit quod ab eo habetur, et aliud sit ipse qui habeat, sed totum vita [c] est, natura scilicet perfecta et infinita et non ex disparibus constituta, sed vivens ipsa per totum ».

De hoc eodem Boethius in I libro *De Trinitate* [4] ait: « Quocirca hoc vere unum [d], in quo nullus numerus, nullum in eo aliud praeter id quod est; neque enim subiectum fieri potest ».

Augustinus quoque in libro [e] *De fide ad Petrum* [f] [5] dicit: « In Dei substantia non est aliquid, quod non sit substantia, quasi aliud ibi sit substantia, aliud quod accidat substantiae. Sed quidquid ibi intelligi potest, substantia est. Verum haec dici possunt facile [g] et credi, videri autem nisi puro corde omnino non possunt ».

Idem [h] in libro XV *De Trinitate* [6]: « Sic habetur in natura uniuscuiusque trium, ut qui habet, hoc sit quod habet, sicut immutabilis simplexque substantia [i] ».

---

[a] U *cuius.* [b] A *formatur* et om. *est.* [c] B *una.* [d] Ed. cum D add. *est;* D om. *in.* [e] D om. *in libro.* [f] Ed. correct. *De fide et symbolo.* [g] B *facilius.* [h] Ed. *Item Augustinus.* [i] A *natura.*

---

[1] Cfr. Abael. III. *Theol. christ.* (P L 178, 1233). [2] Num. 27 (P L 10, 223). [3] Num. 43 (P L 10, 269). [4] Cap. 2 (P L 64, 1250). [5] Potius *De fide et symbolo* cap. 9, n. 20 (P L 40, 193). [6] Cap. 17, n. 28 (P L 42, 1080).

Unde Isidorus [1] ait: « Deus [a] simplex dicitur, sive non amittendo quod habet, seu quod aliud non est ipse, et aliud quod in ipso est ». Et cum tantae simplicitatis atque sinceritatis sit natura divina, est tamen in ea personarum Trinitas.

Unde Augustinus [b] in libro XI *De civitate Dei* [2] ait: « Non propter hoc naturam summi boni simplicem dicimus, quia est Pater in ea solus, aut Filius in ea solus, aut Spiritus sanctus [c] solus, id est [d], quia sola est ista nominum trinitas sine subsistentia [e] personarum, sicut Sabelliani putaverunt; sed ideo simplex dicitur, quia est hoc quod habet, excepto quod relative quaeque [f] persona ad alteram dicitur, nec est ipsa. Nam utique habet Pater Filium, ad quem relative dicitur, nec tamen [g] est Filius; et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo vero ad semetipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet, sicut ad semetipsum dicitur vivus, habendo vitam, et eadem vita ipse [h] est. Propter hoc itaque natura haec dicitur simplex, quod non sit aliud habens, et aliud id quod habet, sicut in ceteris rebus est. Non enim habens liquorem liquor est, nec corpus color, nec anima est sapientia ».

Ecce, quanta est identitas, quanta est unitas, immutabilitas, simplicitas, puritas divinae substantiae, iuxta infirmitatis nostrae valitudinem assignavimus [3].

DISTINCTIO IX.

Cap. I.

De distinctione trium personarum.

Nunc ad distinctionem [i] personarum accedamus.

« Teneamus igitur, ut docet Augustinus in libro *De fide* 90
ad Petrum [4], Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum, nec tamen ipsum Patrem esse qui Filius est [k],

---

[a] B add. *ipse;* D *dum.* [b] Z om. [c] Ed. cum Z add. *in ea.* [d] Ed. *aut* pro *id est.* [e] Ed. *substantia.* [f] V D *quoque.* [g] Ed. add. *ipse.* [h] V B D *in se.* [i] Ed. add. *trium.* [k] V B D om.

---

[1] Libr. VII *Etymolog.* c. 1 (P L 82, 262); idem occurrit libr. I *Sent.* c. 1, n. 6 (P L 83, 540). [2] Cap. 10, n. 1 et 2 (P L 41, 325 et seq.). [3] Cfr. Abael. li. *Introd. ad theol.* c. 10 (P L 178, 1059). [4] Cap. 1, n. 5 (P L 40, 755).

nec Filium ipsum esse qui Pater est, nec Spiritum sanctum ipsum esse qui Pater est aut Filius. Una est enim essentia Patris et Filii et Spiritus sancti, in qua non est aliud Pater [a], aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus ».

Cap. II.

De coaeternitate Patris et Filii.

91 Genitus est enim a Patre Filius, et ideo alius, nec tamen ante fuit Pater quam Filius; coaeternae enim sibi sunt tres personae [1].

Sed contra hoc inquit haereticus, ut refert Ambrosius in I libro *De Trinitate* [2]: « Omne [b] quod natum est, principium habet; et ideo, quia Filius est, principium habet et esse coepit; quod haereticorum ore sic dictum est ». « Nam ipse Arius, ut meminit Augustinus in VI libro *De Trinitate* [3], dixisse refertur [c]: Si Filius est, natus est; si natus est, erat quando non erat Filius ». Qui hoc dicit « non intelligit, etiam natum esse [d] Deo sempiternum esse, ut sit coaeternus Patri Filius, sicut splendor, qui gignitur ab igne atque diffunditur, coaevus est illi, et esset coaeternus, si ignis esset aeternus ».

Item: « Si Dei Filius, inquit Augustinus, virtus et sapientia Dei est, nec unquam fuit Deus sine virtute et sapientia, coaeternus est Deo Patri Filius. Dicit autem Apostolus [4]: *Christum esse Dei virtutem et Dei sapientiam;* aut igitur non fuit, quando non fuit Filius, aut aliquando Deus non habuit virtutem et sapientiam, quod dementis est dicere ». Constat enim, quia semper habuit sapientiam, semper igitur habuit Filium.

92 Eidem [e] quoque Arianicae quaestioni Ambrosius [f] [5] in hunc modum respondet: « Ego, inquam [g], Filium natum esse [h] confiteor; quod reliquum est impietatis horresco ». « Scriptum est enim in veteri Testamento [6], ut vel unum e [i] pluribus dicam: *Ante me*

---

[a] V om. *aliud Pater*. [b] D om. [c] Ed. *fertur*. [d] Ed. add. *de*. [e] B *Idem;* D *Item*. [f] B om.; D add. *in eodem*. [g] D *inquit*. [h] D om. [i] V *de*.

---

[1] Cfr. Abael. I. et IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1142 ac 1290 et sqq.). [2] Cap. 11, n. 73 (PL 16, 545). [3] Cap. 1, n. 1 (PL 42, 923), unde et duae auctoritates, quae sequuntur, sumtae sunt. Notum adagium Arii est: Erat quando non erat (ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν). [4] I. Cor. 1, 24. [5] Loc. cit. [6] Isai. 43, 10.

non fuit alius Deus, et post me non erit. Quis ergo hoc dicit? Pater an Filius? Si Filius, ante me, inquit, non fuit alius Deus; si Pater, post me, inquit, non erit: hic priorem, ille posteriorem non habet. Invicem enim in se et Pater in Filio, et Filius in Patre cognoscitur [1]. Cum enim Patrem dixeris, eius etiam Filium designasti, quia nemo ipse sibi pater est; cum Filium nominas, etiam Patrem fateris, quia nemo ipse [a] sibi filius est. Itaque nec Filius sine Patre, nec Pater potest esse sine Filio: semper igitur Pater, semper et Filius [b 2] ».

Item [3]: « Dic, inquam, mihi haeretice, fuitne, quando omnipotens Deus Pater non erat, et Deus erat? Nam si Pater esse coepit, Deus ergo primo [c] erat et postea Pater factus est. Quomodo igitur immutabilis Deus est? Si enim ante Deus, postea Pater fuit, utique generationis accessione mutatus est. Sed avertat Deus hanc amentiam [d] ».

Cap. III.

De ineffabili et inintelligibili generationis modo.

« Sed quaeris a me, inquit Ambrosius [4], quomodo, si Filius 93
sit, non priorem habeat Patrem? Quaero item abs te, quomodo vel quando [e] Filium putes esse generatum? Mihi enim impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non mea tantum sed et Angelorum; supra potestates et supra Angelos et supra Cherubim et supra Seraphim et supra omnem sensum est [f], quia scriptum est [5]: *Pax Christi supra omnem sensum est.* Et si pax Christi supra omnem sensum est [g], quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio? » « Tu ergo *ori manum admove;* scrutari non licet superna mysteria [6]. Licet scire, quod natus sit, non

---

[a] D om. [b] Ed. add. *est.* [c] Z *prior.* [d] V C et A (in margine) add. *quia semper habuit sapientiam, semper habuit Filium.* In U quidem haec habentur, sed deleta sunt per notum illud *va...cat.* Ideo haec verba, tum quia desunt in melioribus codd. tum quia non levi carent interpolationis suspicione, in textum non recepimus. [e] V B C D om. *vel quando.* [f] D om. [g] B om. *Et si... est.*

---

[1] Ioan. 14, 9 et 10. [2] Loc. cit. c. 8, n. 55. [3] Ibid. c. 9, n. 58, 59 et 60 (P L 16, 541, 542). [4] Libr. I *De fide ad Gratian.* c. 10, n. 64 et 65 (P L 16, 543). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 7 (P L 176, 53) et Abael. III. *Theol. christ.* (P L 178, 1226). [5] Philip. 4, 7. [6] Respicitur Eccli. 3, 14 et 3, 22.

licet discutere, quomodo natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quaerere [a] metus est ». Ineffabilis enim est illa generatio; unde Isaias [1]: *Generationem eius quis enarrabit?*

Quidam tamen de ingenio suo praesumentes dicunt, illam generationem posse intelligi et alia huiusmodi, inhaerentes illi auctoritati Hieronymi *Super Ecclesiasten* [2]: « In sacris Scripturis *quis* saepissime non pro impossibili, sed pro difficili ponitur, ut ibi: *Generationem eius quis enarrabit* »? Sed hoc non dixit Hieronymus ideo, quod generatio Filii aeterna plene intelligi vel explicari possit a quoquam mortalium, sed quia de ea aliquid intelligi vel dici potest. Quidam tamen hoc accipiunt dictum [b] de temporali Christi generatione.

Cap. IV.

Utrum debeat dici: Semper gignitur Filius, vel semper genitus est.

94 Hic quaeri potest, cum generatio Filii a Patre nec principium habeat nec finem, quia aeterna est, utrum debeat dici: Filius semper gignitur, vel semper genitus est, vel semper gignetur [3].

De hoc Gregorius *Super Iob* [4] ait: « Dominus Deus [c] Iesus in eo, quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est, vel potius, quia nec coepit nasci nec desiit, dicamus verius semper natus; non autem possumus dicere semper nascitur, ne imperfectus [d] esse videatur. At vero, ut aeternus designari valeat perfectus et semper dicamus et natus, quatenus [e] et natus ad perfectionem pertineat et semper ad aeternitatem; quamvis per hoc ipsum, quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expressione deviamus, quia quod factum non est, nec potest dici proprie perfectum »; sed balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonamus. « Et [5] Dominus, nostrae infirmitatis verbis condescendens, *Estote,* inquit, *perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* [6] ».

---

[a] D add. *mihi.* [b] A add. *esse;* D om. [c] A C D om. [d] V B D *imperfectum.* [e] V add. *dicamus.*

---

[1] Cap. 53, 8. [2] Cap. 3 (P L 23, 1042). Cfr. Hugo, loc. cit. et Abael. *Sic et non* c. 18 (P L 178, 1377). [3] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 7 (P L 176, 54) et Abael. IV. *Theol. christ.* ac *Sic et non* c. 16 (P L 178, 1296 et 1374) et *Sententiae divinitatis* pag. 166. [4] Libr. XXIX *Moral.* c. 1, in principio (P L 76, 477). [5] Ibidem. [6] Matth. 5, 48.

Super illum locum etiam Psalmi: *Ego hodie genui te,* de hac generatione Filii ita loquitur Augustinus [1]: « Quamquam per hoc, quod dicit *hodie,* possit etiam intelligi dies ille, quo Christus secundum hominem natus est [a]; tamen quia *hodie* praesentiam significat, atque in aeternitate neque praeteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed praesens tantum, quia quidquid aeternum est, semper est [b]; divinius [c] accipitur de sempiterna [d] generatione sapientiae Dei ». Ecce, his verbis ostendit Augustinus, quod generatio Filii semper est nec praeteriit nec futura est, quia aeterna est. Ideo enim dixit *genui,* ne novum putaretur, scilicet ne videretur incepisse; *hodie* dixit, ne praeterita generatio videretur.

« Ex his ergo verbis Prophetae, ut ait Ioannes Chrysostomus [2], nihil aliud manifestatur, nisi quia ex ipsa essentia Patris semper genitus est Filius ».

Origenes [e] vero *Super Ieremiam* [3] dicit, quod Filius semper generatur a Patre, his verbis: « Salvator noster est sapientia Dei; sapientia vero est splendor aeternae lucis: Salvator ergo noster splendor est claritatis. Splendor autem non semel nascitur et desinit, sed quoties ortum fuerit lumen, ex quo splendor oritur, toties oritur etiam splendor claritatis [f]: sic ergo Salvator semper nascitur. Unde ait in libro Sapientiae [g 4]: *Ante omnes colles generat me* [h], non, ut quidam male legunt, generavit [i] ». His verbis aperte [k] ostendit Origenes sane dici posse et debere: *Filius semper nascitur,* quod videtur contrarium illi verbo Gregorii praemisso, scilicet, « non possumus dicere: *semper nascitur* ».

Augustinus [l] in libro *83 Quaest.* [5] de semper nato disserens ait: « Melior est natus [m], quam qui semper nascitur, quia qui semper nascitur, nondum 95

---

[a] V om. [b] Z add. *ideo.* [c] Ed. add. *tamen.* [d] V *aeterna.* [e] D om. [f] V om. *toties oritur etiam splendor claritatis.* [g] Ed. *Sapientis.* [h] Ed. add. *Dominus.* [i] U add. *me.* [k] D om. [l] Hanc notulam V Z habent in tertia columna; A C in margine; U in pleno textu et quidem hic; D item in pleno textu, sed post verba *semper genitus est Filius;* B eam omittit; ed. inter notas ad imam paginam reiecit, pag. 177, nota 12. [m] D add. *semper.*

---

[1] *Enarrat. in Psalm.* 2, v. 6 (P L 36, 71). Cfr. Abaelard. *Sic et non* c. 19 (P L 178, 1378). [2] Homil. 2 *In Epist. ad Hebr.* n. 4 (P G L 63, 25). [3] Homil. 6, in c. 11, circa finem (P L 25, 637) *. [4] Prov. 8, 25. [5] Quaest. 37 (P L 40, 27); cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* ac *Sic et non* c. 16 (P L 178, 1297 et 1375).

natus et nunquam natus est aut natus erit, si semper nascitur. Aliud est enim nasci, aliud natum esse, ac per hoc nunquam Filius est, si nunquam natus est; Filius autem est, quia natus, et semper Filius, quia aeternus [a]; semper ergo natus ».

96 Sed ne tanti auctores sibi contradicere in re tanta videantur, illa verba Gregorii benigne interpretemur. « Dominus, inquit, Iesus ante tempora de Patre natus est, vel potius, quia nec coepit nasci nec desiit, dicamus verius: semper natus ».

Sed quomodo verius dicitur hoc, scilicet, quod Filius semper natus est, quam illud, scilicet quod de Patre ante tempora natus est [b]? Illud enim sincera et catholica fides tenet ac praedicat ut istud. Quare ergo ait [c]: « Dicamus verius », cum utrumque pariter sit verum, nisi [d] quia volebat intelligi, hoc ad maiorem evidentiam et expressionem veritatis dici quam illud? His etenim verbis omnis calumniandi versutis haereticis obstruitur aditus, quibus Christi secundum deitatem generatio sine initio et sine fine esse ac perfecta monstratur. Non autem adeo aperte [e] manifestatur [f] veritas, cum dicitur: Filius ante tempora genitus est de Patre, vel Filius semper nascitur de Patre [g]. Et ideo dicit Gregorius, quod « non possumus dicere, semper nascitur »; non, inquam, ita convenienter, non ita congrue ad explanationem veritatis; potest tamen dici, si sane intelligatur. « Semper enim nascitur Filius de Patre », ut ait Origenes; non quod quotidie iteretur illa generatio, sed quia semper est. Semper ergo nascitur, id est, nativitas eius sempiterna est.

Hilarius quoque dicit, Filium nasci ex Patre, in libro VII *De Trinitate* [1] his verbis: « Vivens Deus et naturae aeternae viventis potestas est; et quod cum sacramento scientiae suae ex eo nascitur, non potuit aliud esse quam vivens. Nam cum ait [2]: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo per* [h] *Patrem*, docuit, vitam in se per viventem Patrem inesse ». Ecce hic habes, quia Filius nascitur ex [i] Patre.

Item in eodem [3]: « Cum dicit Christus [4]: *Sicut Pater habet vitam in se* [k], *sic et Filio dedit vitam habere in semetipso*, omnia viva sua [l] ex vivente [m] testatus est. Quod autem ex vivo vivum natum est, habet nativitatis perfectum sine novitate naturae. Non

---

[a] D om. *quia aeternus.* [b] B om. *quam... est.* [c] D *dicit.* [d] V Ż B C add. *forte.* [e] V B C *semper.* [f] D *monstratur.* [g] B om. *vel F. s. n. d. Patre.* [h] D *propter.* [i] D *de.* [k] D *semetipso.* [l] A *omnino vitam suam.* [m] D add. *Patre.*

---

[1] Num. 27 (P L 10, 223). [2] Ioan. 6, 58. [3] Ibidem. [4] Ioan. 5, 26.

enim novum est quod ex vivo generatur in vivum [a], quia nec ex nihilo est; et vita, quae nativitatem sumit ex vita, necesse est per naturae unitatem et perfectae nativitatis sacramentum, ut [b] in vivente vivat et in se habeat vitam viventem ». Ecce et hic habes, quia generatur ex vivo vivens Filius.

Item in eodem [c] [1]: « In Deo [d] totum quod est vivit; Deus enim vita est, et ex vita non potest quidquam esse nisi vivum; neque ex derivatione, sed ex virtute nativitas est. Ac sic, dum totum quod est vivit, et dum totum quod ex eo nascitur virtus est, habet nativitatem Filius, non demutationem ». Et hic dicit, quia nascitur [e].

Item in IX libro *De Trinitate* [2] [f]: « Donat Pater Filio tantum esse, quantum est ipse, cui innascibilitatis esse imaginem sacramento nativitatis impertit, quem ex se in forma sua generat ». Hic dicit, quia generat Pater Filium.

Dicamus ergo, Filium natum de Patre ante tempora et semper 97
nasci de Patre, sed congruentius semper natum; et eundem fateamur ab aeterno esse et Patri coaeternum, id est auctori. Pater enim generatione auctor Filii est, ut in sequenti [3] ostendetur. Ut ergo Pater est aeternus, ita et Filius aeternus est [g], sed Pater sine auctore, Filius vero non, quia Pater innascibilis, Filius natus.

Et ut ait Hilarius in XII libro *De Trinitate* [4]: « Aliud est sine auctore semper esse aeternum, aliud Patri, id est auctori, esse coaeternum. Ubi autem [h] Pater auctor est, ibi et nativitas est; quia sicut nativitas ab autore est, ita et ab aeterno auctore aeterna nativitas est. Omne autem, quod semper est, etiam aeternum est; sed tamen non omne, quod aeternum est, etiam innatum est; quia quod ab aeterno nascitur, habet aeternum esse, quod natum est. Quod autem non [i] natum est, id cum aeternitate non natum est; quod vero ex aeterno natum est, id, si non aeternum natum est, iam non erit et [k] Pater auctor aeternus. Si quid igitur ei, qui ab aeterno Patre natus est, ex aeternitate defuerit, id ipsum auctori non est ambiguum defuisse, quia si gignenti est infinitum gignere,

---

[a] B om. *in vivum*. [b] Ita U D; ed. add. *et*. [c] C add. *Hilarius*. [d] C *Attende quod* pro *In Deo*. [e] D add. *Filius*. [f] D om. *De Trinitate*. [g] Z B om. [h] Z om. [i] V om. [k] D *eius*.

---

[1] Loc. cit. n. 28 (PL 10, 224). [2] Num. 54 (PL 10, 325). [3] Immediate post, et Dist. XV circa finem. [4] Num. 21 (PL 10, 446).

et nascenti etiam est infinitum nasci. Medium enim [a] quid inter [b] nativitatem Filii Dei et generationem Dei Patris [c] nec sensus admittit, quia et in generatione nativitas est, et in nativitate generatio est, quia sine utroque neutrum est; utrumque ergo sine intervallo sui est ».

Cap. V.

De obiectionibus haereticorum nitentium probare, Filium non esse coaeternum Patri.

98 « Sed inquiet haereticus: Omne quod natum est, non fuit semper, quia in id [d] natum est, ut esset.

« Nemo ambigit, quin [e] quae in rebus humanis nata sunt, aliquando non fuerint. Sed aliud est ex eo nasci, quod non semper [f] fuit, aliud [g] ex eo natum esse, quod semper est. Ibi nec semper fuit, qui pater est, nec semper pater est; et qui non semper pater est, non semper genuit. Ubi autem semper pater est, semper filius est. Quod si semper Deo Patri proprium est [h], quod semper est Pater, necesse est, semper Filio proprium esse, quod semper est Filius. Quomodo ergo cadet in intelligentiam nostram, ut non fuerit semper cui proprium est, semper esse quod natum est? Natum igitur unigenitum Deum confitemur [i], sed natum ante tempora nec ante esse quam natum, nec ante natum quam esse; quia nasci [k] quod erat, iam non [l] nasci esset, sed se ipsum demutare nascendo. Hoc autem humanum sensum et intelligentiam mundi excedit. Non hoc capit [m] ratio humanae intelligentiae, sed prudentiae fidelis professio [n] est [1] ».

---

[a] D *igitur.* [b] D add. *generationem vel.* [c] Ed. add. *nec ratio.* [d] D *ideo,* pro *in id.* [e] Ed. add. *ea.* [f] B om. [g] B om. [h] D add. *esse.* [i] D *confiteor.* [k] V om. [l] C D add. *tantum.* [m] V om. [n] D *confessio.*

---

[1] Ex Hilario loc. cit. n. 22-26 (PL 10, 446 et seq.) *.

DISTINCTIO X.

Cap. I.

De Spiritu Sancto, quod amor Patris et Filii proprie dicitur, cum sit in Trinitate amor, qui est Trinitas, sicut Verbum proprie dicitur sapientia, et tamen tota Trinitas dicitur sapientia.

« Nunc [a] post Filii aeternitatem de Spiritu sancto, quantum 99
Deo donante videre conceditur, disseramus ». Spiritus sanctus [b] amor est sive caritas sive dilectio [c] Patris et Filii [1].

Unde Augustinus in XV libro *De Trinitate* ait: « Spiritus sanctus nec Patris est solius, nec Filii est [d] solius, sed amborum, et ideo communem qua invicem se diligunt Pater et Filius nobis insinuat caritatem ». Ioannes autem in Epistola canonica [2] ait: *Deus caritas est.* « Non dixit: [e] Spiritus sanctus caritas est; quod si dixisset, absolutior esset sermo, et non parva pars quaestionis decisa; sed quia dixit: *Deus caritas est,* incertum est, et ideo quaerendum [f], utrum Deus Pater sit caritas, an Filius, an Spiritus sanctus, an Deus ipsa Trinitas, quia et ipsa non tres dii, sed unus est Deus ».

Ad quod Augustinus in eodem libro ita dicit [g]: « Nescio cur, 100
sicut sapientia et Pater dicitur et Filius et Spiritus sanctus, et simul omnes non tres, sed una sapientia, non ita et caritas dicatur Pater et Filius et Spiritus sanctus, et simul omnes una caritas. Non ideo tamen quisquam nos inconvenienter aestimet caritatem appellare Spiritum sanctum, quia et Deus Pater et Deus [h] Filius potest caritas nuncupari, sicut proprie Verbum Dei etiam sapientia Dei dicitur, cum et Pater et Spiritus sanctus [i] sit [k] sapientia ». « Si ergo proprie aliquis horum trium caritas nuncupari debet [l], quis aptius

---

[a] D add. *vero.* [b] Z add. *scilicet.* [c] U (interlin.) B D *delectatio.* [d] D *nec.* [e] V *sed si,* pro *non dixit.* [f] A add. *est.* [g] B *ait.* [h] C om. [i] D om. [k] V B C D *sint.* [l] V *solet.*

---

[1] Haec et omnia quae sequuntur in hoc cap. et in cap. seq. excerpta sunt ex Augustino, *De Trin.* libr. XV, c. 17, n. 27-31 (P L 42, 1080)*. Cfr. Abael. I. et IV. *Theol. christ.* (P L 178, 1134, 1311). [2] I. Ioan. 4, 16.

quam Spiritus sanctus? ut scilicet in illa simplici summaque natura non sit aliud substantia, et aliud caritas, sed substantia ipsa sit caritas, et caritas ipsa sit [a] substantia, sive in Patre sive in Filio sive in Spiritu sancto, et tamen Spiritus sanctus proprie caritas nuncupetur ».

Ecce his verbis aperte [b] ostendit Augustinus, quoniam [c] in Trinitate caritas aliquando refertur ad substantiam, quae est communis trium personarum et tota in singulis, aliquando specialiter ad personam Spiritus sancti; sicut sapientia Dei aliquando pro substantia divina, aliquando pro Filio proprie accipitur; et hoc in multis fieri reperitur.

Cap. II.

Quod eadem nomina proprie et universaliter accipiuntur.

101 « Pluribus enim exemplis doceri potest, multa rerum vocabula et universaliter poni, et proprie quibusdam rebus adhiberi, sicut Legis nomine aliquando simul omnia veteris Instrumenti significantur eloquia, aliquando autem proprie vocatur Lex, quae data est per Moysen ». Multa alia suppetunt exempla, sed in re aperta vitanda est longitudo sermonis [1].

« Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiae, cum sit universaliter et Spiritus sanctus et Pater ipsa sapientia; ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo caritatis, cum sit et Pater et Filius universaliter caritas. Sed Dei Verbum, id est unigenitus Dei Filius, aperte dictus est Dei [d] sapientia ore Apostoli dicentis: [2] *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Spiritus autem sanctus ubi sit dictus [e] caritas, invenimus, si diligenter Ioannis Apostoli eloquium [3] scrutemur, qui cum dixisset: *Diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est,* adiunxit: *Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, quia Deus dilectio est.* Hic manifestavit se dixisse, eam dilectionem esse Deum, quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio; sed quia et Filius ex Deo Patre natus est, et Spiritus sanctus ex Deo Patre procedit,

---

[a] B *aut.* [b] V om. [c] B D *quod.* [d] B om. [e] V om.

---

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 10 (P L 176, 56 et seq.) et Abael. I. *Theol. christ.* c. 5 (P L 178, 1134). Plura exempla adducunt Augustin. et Abael.
[2] I. Cor. 1, 24. [3] I. Ioan. 4, 7.

quem potius eorum hic debeamus accipere dictum esse dilectionem, merito quaeritur. Pater enim solus ita Deus est, ut ex Deo non sit; et ideo dilectio, quae ita est Deus, ut ex Deo sit, non ipse Pater est, sed aut Filius, aut Spiritus sanctus. Sed in consequentibus cum Dei dilectionem commemorasset Ioannes[1], qua *dilexit nos,* et hinc hortatus esset, ut et[a] *nos invicem diligamus,* atque[b] ita[c] *in nobis Deus maneat,* quia utique dilectionem Deum dixerat, statim, volens de hac re apertius aliquid eloqui, inquit[2]: *In hoc cognoscimus, quia in ipso*[d] *manemus, et ipse in nobis, quia*[e] *de spiritu suo*[f] *dedit nobis.* Sanctus itaque Spiritus, de quo[g] dedit nobis, facit nos in Deo manere, et ipsum in nobis: hoc autem facit dilectio. Ipse est igitur Deus dilectio. Deus igitur Spiritus sanctus, qui procedit ex Deo, significatur ubi legitur: *Deus dilectio est,* et *dilectio ex Deo est* ».

Ecce his verbis aperte dicit Augustinus, Spiritum sanctum esse caritatem Patris et Filii; et in tantum quoque sermonem produxit, ut videatur dixisse, Spiritum sanctum non solum esse dilectionem[h] Patris et Filii[i], qua se invicem et nos diligunt, sed etiam dilectionem, qua diligimus Deum. Sed utrum ipse sit caritas, qua nos diligimus Deum, in sequenti[3] explicabitur.

Nunc vero quod incepimus, ostendere curemus, scilicet Spiri- 102
tum sanctum dilectionem esse sive amorem Patris et Filii, quo scilicet Pater diligit Filium et Filius Patrem.

De hoc Hieronymus *Super* XII *Psalmum*[4] ait: « Spiritus sanctus nec Pater est nec Filius, sed dilectio, quam habet Pater in Filium et Filius in Patrem ».

Augustinus quoque in VI libro *De Trinitate*[5] ait: « In omnibus aequalis est Patri Filius et est unius eiusdemque substantiae. Quapropter etiam Spiritus sanctus in eadem unitate substantiae[k] et aequalitate consistit[l] ». « Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive caritas, manifestum est, quod non aliquis duorum est quo uterque coniungitur, quo genitus a gignente diligatur

---

[a] U om. [b] V om. [c] D *ideo.* [d] Z *Christo.* [e] D add. *ipse.* [f] Z A *sancto.* [g] D add. *ipse.* [h] V add. *Dei.* [i] D om. *et in tantum ... et Filii.* [k] V om. [l] D *subsistit.*

---

[1] Ibid. v. 11. [2] Ibid. v. 13. [3] Infra dist. XVII. [4] Vers. 1. Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1311). [5] Cap. 4 et 5, n. 6 et 7 (PL 42, 1061); ex ultimo cap. etiam sequentes huius capituli textus excerpti sunt.

genitoremque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio, *servantes unitatem spiritus in vinculo pacis* [1] ». Ecce hic habes [a] Spiritum sanctum esse quo Filius diligitur a Patre et Pater a Filio, et quo illi duo servant unitatem pacis.

« Sanctus ergo [b] Spiritus, ut ait Augustinus in eodem, commune est aliquid Patris et Filii, quidquid illud est. At ipsa communio consubstantialis [c] et coaeterna est, quae si amicitia convevenienter dici potest, dicatur, sed aptius [d] dicitur caritas; et haec quoque substantia, quia Deus substantia est [e], et *Deus caritas est* [2]. Tria [f] ergo sunt et non amplius: unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo [g] est, et ipsa dilectio, quae si nihil est, quomodo Deus dilectio est? Si non est substantia, quomodo Deus substantia est? ».

Cap. III.

Quod Spiritus sanctus, sicut Patri et Filio est communis, ita commune nomen habet proprium.

103 Hic notandum est, quod sicut Spiritus sanctus in Trinitate specialiter dicitur caritas, quae est Patris et Filii unio, ita et nomen tenet proprie, quod Patri et Filio communiter quodam modo congruit.

Unde Augustinus ait [h] in XV libro *De Trinitate* [3]: « Si caritas, inquit [i], qua Pater diligit Filium, et Patrem diligit [k] Filius, ineffabiliter [l] communionem demonstrat amborum, quid convenientius, quam ut [m] ille proprie dicatur caritas, qui spiritus est communis ambobus? Hoc enim sanius creditur et intelligitur, ut non solum Spiritus sanctus caritas sit in illa Trinitate, sed non frustra proprie caritas nuncupetur, propter illa quae dicta sunt; sicut non solus in illa Trinitate vel spiritus est vel sanctus, quia et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus, et tamen ipse non frustra dicitur Spiritus sanctus. Qui enim est com-

---

[a] D *habemus.* [b] A C *quoque.* [c] V add. *est.* [d] C D *apertius.* [e] D om. [f] A *tres.* [g] A add. *ipse.* [h] Ed. om. [i] D om. [k] C om. [l] Ed. *ineffabilem.* [m] B *si.*

---

[1] Ephes. 4, 8. [2] I. Ioan. 4, 16. [3] Cap. 19, n. 37 (PL 42, 1086). Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1311).

munis ambobus, id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter. Alioquin si in illa Trinitate solus Spiritus sanctus [a] est caritas, profecto et Filius non solius Patris, sed etiam Spiritus sancti Filius invenitur. Ait enim Apostolus[1] de Deo Patre: *Transtulit nos in regnum Filii caritatis suae.* Si ergo non est in illa Trinitate caritas Dei [b] nisi Spiritus sanctus, Filius est etiam Spiritus sancti. Sed quia hoc absurdissimum est, restat ut non solus [c] ibi sit caritas Spiritus sanctus, sed propter illa, de quibus satis disserui, proprie sic vocatur ».

DISTINCTIO XI.

Cap. I.

Quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, quem tamen Graeci a Filio procedere diffitentur.

Hic dicendum est, Spiritum sanctum esse a Patre et Filio et 104
procedere a Patre et Filio, quod multi haeretici negaverunt.

Quod autem de utroque procedat, « multis divinorum eloquiorum testimoniis comprobatur [d 2] ».

Dicit enim Apostolus[3]: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra.* Ecce hic dicitur Spiritus Filii [e]. Et ibi [4 f]: *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Ipse etiam Filius de Spiritu sancto dicit in Evangelio [5]: *Quem ego mitto [g] vobis a Patre.* Patris autem Spiritus dictus est, ubi legitur [6]: *Si Spiritus eius, qui suscitavit Christum [h] a mortuis, habitat in vobis.* Et ipse Christus dicit [7]: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis [i].*

---

[a] D om. [b] D om. [c] B C *solum.* [d] C *probatur.* [e] D add. *sui.* [f] Ed. *alibi.* [g] Ed. et D *mittam.* [h] Ed. cum A C *Iesum.* [i] Ed. cum V A C om. *in vobis.*

---

[1] Col. 1, 13. [2] August. *De Trin.* XV, c. 26, n. 45 (P L 42, 1092). — Plerique textus s. Scripturae, qui sequuntur, apud eundem exhibentur, sed alio ordine et multis interpositis verbis. Textus sequentes quasi omnes apud Abael. occurrunt III. *Theol. christ.* (P L 178, 1304 et sqq.). [3] Gal. 4, 6. [4] Rom. 8, 9. [5] Iona. 15, 26. [6] Rom. 8, 11. [7] Matth. 10, 20.

Et [a] alio loco [1]: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et alibi ipse Filius de Spiritu sancto ait [2]: *De Patre procedit.*

His et aliis pluribus auctoritatibus ostenditur, quod Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit.

105 « Graeci tamen dicunt, Spiritum sanctum tantum procedere a Patre, et non a Filio [3] ».

Quod ideo dicunt, quia Veritas in Evangelio fidem integre continente, de processione Spiritus loquens, solum Patrem commemorat dicens: *Spiritus, qui a Patre procedit* [4]. Et etiam ideo, quia in principalibus Conciliis, quae apud eos celebrata sunt [5], ita Symbola eorum subiunctis anathematibus sancita sunt, ut nulli de Trinitatis fide aliud docere vel aliter praedicare, quam ibi continetur, liceat. In quibus quidem Symbolis cum Spiritus [b] commemoretur procedere a Patre, et non a Filio, quicumque, inquiunt, a Filio eum procedere addunt, anathema incurrunt; unde et nos arguunt [c] anathematis reos.

Addunt [d] etiam ad assertionem suae opinionis et in testimonium nostrae damnationis de Symbolo fidei, quod secundum traditionem praedictorum Conciliorum Leo tertius Romae transcriptum in tabula argentea post altare beati Pauli posita posteris reliquit, pro amore, ut ipse ait, et cautela fidei orthodoxae. In quo quidem Symbolo in processione Spiritus solus commemoratur Pater his verbis [6]: « Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum [e] » etc. Illud [f] est Symbolum, quod in Missa cantatur, editum in Nicaeno [7] Concilio, in fine cuius subiunctum est: « Qui

---

[a] Ed. et B add. *in.* [b] Ed. add. *sanctus.* [c] D *addunt.* [d] V B add. *enim.* [e] Ed. et B D *glorificandum.* [f] V add. *autem.*

---

[1] Ioan. 14, 26. [2] Ibid. 15, 26. [3] Ita verbotenus Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 6 (P L 176, 52), qui tamen praesens argumentum non tam diffuse tractat. — Quae occurrunt in hoc et in sequenti cap. vel ad sensum vel saepius etiam ad litteram desumuntur ex Abael. IV. *Theol. christ.* et II. *Intr. ad theol.* c. 15 (P L 178, 1300 ac sqq. et 1075). [4] Ioan. 15, 26. [5] Haec Concilia sunt Nicaenum (a. 325), Constantinopolitanum I (a. 381), Ephesinum (a. 431) et Chalcedonense (a. 451). [6] Textus vulgo receptus est: « Dominum *et vivificantem* (in graeco, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιόν), qui ex Patre procedit (ἐκπορευόμενον), qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur ». [7] Magister erronee vocat hoc Symbolum Nicaenum, cum sit Concilii Constantinopolitani I.

aliud docuerit vel aliter [a] praedicaverit, anathema sit ». Ideoque Graeci nos anathematizatos dicunt, quia dicimus, Spiritum sanctum procedere a [b] Filio, quod ibi non continetur. Quod enim secundum nos ibi dicitur: « Qui a Patre Filioque procedit », alterum a Latinis est [c] additum, scilicet Filioque.

Nos autem illa verba ita [d] determinamus: « Qui aliud docuerit, 106
vel aliter [e] praedicaverit », id est, contrarium docuerit vel contrario modo praedicaverit, anathema sit. Aliud ergo posuit pro opposito, qualiter [f] Apostolus in Epistola ad Galatas [1]: *Si quis aliud evangelizaverit,* id est contrarium, *anathema sit.* Non dicit: Si quis addiderit. « Nam si illud diceret, sibi ipsi, ut ait Augustinus [2], praeiudicaret, qui cupiebat venire ad quosdam, quibus scribebat, sicut ad Thessalonicenses [3], ut *suppleret, quae illorum fidei deerant.* Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit. Qui autem praetergreditur [g] fidei regulam, non accedit in via, sed recedit a via ».

Ad illud autem, quod de Evangelio opponunt, respondemus ita: Quia cum dicat in eo Veritas [4], *Spiritum sanctum a Patre procedere,* non addit [h] solo, et ideo etiam a se procedere non negat; sed ideo Patrem tantum nominat, quia ad eum solet referre etiam quod ipsius est, quia ab illo habet.

Cap. II.

De convenientia Latinorum et Graecorum in sensu, et differentia in verbis.

Sciendum tamen est, quod Graeci confitentur, Spiritum san- 107
ctum esse Filii, sicut [i] Patris, quia et Apostolus dicit [5] *Spiritum Filii,* et Veritas in Evangelio [6] *Spiritum veritatis.* Sed cum non sit aliud Spiritum sanctum esse Patris vel Filii, quam esse a Patre et Filio, etiam in hoc in eandem nobiscum fidei sententiam convenire videntur, licet [k] verbis dissentiant.

---

[a] D om. [b] U add. *Patre et.* [c] Ed. om. [d] D om. [e] D *aliud.* [f] Ed. cum A add. *et.* [g] V *progreditur.* [h] U *addidit.* [i] Ed. add. *est.* [k] Ed. add. *in.*

---

[1] Gal. 1, 8. [2] Tract. 98. *In Ev. Ioan.* n. 7 (PL 35, 1884). [3] I. Thess. 3, 10. [4] Ioan. 15, 26. [5] Gal. 4, 6. [6] Ioan. 16, 13.

Unde etiam quidam eorum catholici doctores, intelligentes, unam eandemque fore sententiam praedictorum verborum, quibus dicitur Spiritus sanctus procedere a Filio et esse Filii, professi sunt, Spiritum sanctum etiam a Filio procedere.

Unde Athanasius in *Symbolo* [a] *fidei* [1]: « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens ». Ecce Spiritum sanctum aperte dixit procedere a Patre et Filio.

Didymus etiam, eorum maximus doctor, in libro *De Spiritu sancto* [2], Spiritum sanctum a Filio procedere dicit: « Salvator, inquit, qui et Veritas [b]: *Non enim loquetur a semetipso* [3], hoc est, non sine me et sine meo et Patris arbitrio, quia inseparabilis est a me et a Patris voluntate, quia ex se non est, sed ex Patre et [c] me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit et loquitur, a Patre et a me illi est ».

Item [4]: « Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis Spiritusque sapientiae, non potest audire a Filio loquente [d] quae nescit, cum ipsum sit hoc, quod profertur a Filio, id est, procedens Deus de Deo, Spiritus Veritatis procedens a Veritate, consolator manans ex [e] consolatione [f] ».

Item Cyrillus episcopus in *Epistola Nestorio* directa, ait [5]: « Spiritus intelligitur per se, secundum quod Spiritus est, et non Filius; sed tamen non est alienus ab eo. Spiritus enim Veritatis nominatur et profluit ab eo, sicut ex Deo Patre ».

Ioannes quoque Chrysostomus in homilia quadam *De Expositione Symboli* [6] sic ait: « Iste est Spiritus sanctus procedens de Patre et Filio, qui *dividit* dona propria, *prout vult* ».

---

[a] B add. *Quicumque vult.* [b] Ed. cum B add. *dicit.* [c] Z add. *ex.* [d] D om. [e] Z *a.* [f] Ed. *consolatore.*

---

[1] Symbolum: *Quicumque,* sub nomine Athanasii notissimum. [2] Num. 34 (PGL 39, 1063). [3] Ioan. 16, 13. [4] Loc. cit. n. 36. [5] Epist. 17 (PGL 77, 118). [6] Hae homiliae in ed. Maurinorum Chrysostomi non inveniuntur. Eodem modo citantur et eadem verba utriusque textus referuntur ab Abaelardo, IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1303). — Impressae autem sunt istae homiliae in ed. latina omnium operum S. Ioan. Chrysostomi, Antwerpiae apud Ioan. Keebergium 1614. tom. V. p. 287: *In Symbolum Apostolorum expositio.* Homil. I. incipit: Universalis gaudet... p. 288. col. 1. sic legitur: « *Credo in Spiritum sanctum.* Iste Spiritus ubique totus est, ubi vult spirat. Ipse est qui dixit: Separate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumsi eos. Iste est Spiritus procedens de Patre et Filio, qui dividit propria dona singulis prout vult.

Idem [a] in alia homilia: « Credendum est, Spiritum sanctum Patris esse et Filii. Istum Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio coaequalem et procedentem de Patre et Filio. Hoc credite, ne *colloquia mala corrumpant bonos mores* [1] ».

Ecce a doctoribus Graecorum aperta habemus testimonia, quibus Spiritus sanctus a Patre et Filio procedere ostenditur. *Omnis* ergo *lingua confiteatur* [2], Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio.

DISTINCTIO XII.

Cap. I.

Utrum Spiritus sanctus prius vel plenius procedat a Patre quam a Filio.

Item quaeritur, cum Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio, 108
utrum prius vel magis processerit a Patre quam a Filio; quod nititur haereticus ostendere ita dicens: Si processit Spiritus sanctus de [b] Patre, processit utique aut nato iam Filio, aut [c] non nato Filio. Si vero iam nato Filio processit, ante natus est Filius [d], quam processerit Spiritus sanctus [e]: praecessit igitur nativitas Filii processionem Spiritus sancti. Si autem processit a Patre non genito Filio, ante processit quam Filius genitus fuerit.

His et huiusmodi quaestionibus magis laboriosis quam fructuosis respondet Augustinus in XV libro *De Trinitate* [f 3] dicens: « In illa summa Trinitate, quae Deus est, intervalla temporum nulla sunt, per quae possit ostendi aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, et postea de ambobus processerit Spiritus sanctus ». « Nunquid [4] ergo possumus quaerere, utrum iam pro-

---

[a] V *deinde*. [b] Ed. *a*. [c] Ed. *ante*. [d] B om. [e] V B D om. [f] Z add. *ita*.

Ergo iste Spiritus consecrat, sanctificat etc. ». Ibid. Homil. II. incipit: « Super fabricam totius » etc.; ubi circa med. legitur: « *Natus de Spiritu sancto*. Istum Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio esse coaequalem et procedentem de Patre et Filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant mores vestros bonos. Sunt enim haeretici » etc. In fine alluditur ad I. Cor. 12, 11. [1] I. Cor. 15, 33. [2] Philip. 2, 11. [3] Cap. 26, n. 45 (PL 42, 1092). [4] Ibid. n. 47.

cesserat Spiritus sanctus, de Patre quando natus est Filius, an nondum processerat et, illo nato, de utroque processit? Non possunt prorsus ista ibi quaeri, ubi nihil ex tempore inchoatur, ut consequenti perficiatur in tempore. Ideo qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de utroque ».

Ecce his verbis absoluta est quaestio illa, qua quaerebatur, utrum prius processerit Spiritus sanctus a Patre quam a Filio.

Cap. II.

Quod Spiritus sanctus principaliter et proprie dicitur procedere a Patre.

109 Nunc tractandum est [a] quod secundo quaerebatur, scilicet an plenius vel magis procedat Spiritus sanctus a Patre quam a Filio [1].

Ad quod dicimus, quia sicut non ante procedit a Patre quam a Filio, ita non magis vel plenius procedit a Patre quam a Filio. Augustinus tamen in XV libro *De Trinitate* [2] dicit, quod Spiritus sanctus principaliter procedit de [b] Patre. « Non frustra, inquit, in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum, et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater ». Ecce audisti [c], quia Spiritus sanctus principaliter procedit a Patre.

Sed ne hoc te turbaret, ipse continuo ex quo sensu dixerit aperit, subdens [d 3]: « Ideo addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam existenti et nondum habenti. Sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet, et Spiritus sanctus Spiritus esset amborum ». Ecce exposuit ipsemet, quomodo Spiritus principaliter procedat a Patre, non quia prius vel magis procedat a Patre quam a Filio, sed quia [e], cum procedat a Filio, hoc ipsum habet Filius a Patre.

110 Ex eodem sensu etiam dicitur proprie procedere de [f] Patre.

---

[a] D add. *de eo.* [b] V D *a.* [c] Ed. *audistis.* [d] D *dicens.* [e] D om. [f] V D *a.*

---

[1] Pro toto hoc cap. cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* et II. *Intr. ad theol.* c. 15 (PL 178, 178, 1304 ac 1078 et sqq.). [2] Cap. 17, n. 29 (PL 42, 1081). [3] Ibidem.

Unde Hieronymus in *Expositione catholicae fidei Nicaenique Symboli*[1] ait: « Credimus in Spiritum sanctum, qui de Patre procedit proprie ». Item: « Spiritum sanctum verum Deum invenimus in Scriptura, et de Patre [a] proprie esse ». Et item: « De Patre Filius, et Spiritus [b] proprie et vere [c] de Patre procedit ».

Ecce aperte dicit, Spiritum sanctum proprie esse de Patre et proprie procedere a Patre. Quod non ita est intelligendum, tanquam prius vel plenius a Patre procedat quam a Filio, sed quia hoc habet Pater a se, non ab alio, ut de [d] ipso sit et procedat Spiritus sanctus; Filius autem non a se, sed a Patre hoc habet, ut de [e] ipso sit et procedat Spiritus sanctus.

Forte etiam [f] iuxta hanc intelligentiam dicitur Spiritus sanctus 111
a Patre [g] mitti per Filium et a Patre esse per Filium.

Unde Hilarius ad Deum Patrem de Spiritu sancto et Filio loquens in XII libro *De Trinitate*[2] ait: « In sancto Spiritu tuo ex te profecto et per eum misso ».

Item[3]: « Ante tempora Unigenitus tuus ex te natus manet, ita quod [h] ex te per eum sanctus Spiritus tuus est; quod etsi sensu non percipiam, tamen teneo conscientia [i]. In spiritualibus enim rebus tuis hebes sum ».

Item in eodem[4]: « Conserva hanc, oro, fidei meae religionem, ut quod in regenerationis meae Symbolo professus sum, semper obtineam: Patrem scilicet te et Filium tuum una tecum adorem; sanctum Spiritum tuum, qui ex te per Unigenitum tuum est, promerear ».

Ecce aperte dicit, Spiritum sanctum a Patre per Filium et mitti et esse; quod non est intelligendum, quasi a Patre per Filium minorem mittatur vel sit, sed [k] quia ex Patre et Filio est et mittitur ab utroque. Sed hoc ipsum habet Filius a Patre, ut ab ipso et sit et mittatur Spiritus sanctus. Hoc ergo voluit significare Hilarius, distinctionem faciens in locutione, ut ostenderet in Patre esse [l] auctoritatem.

---

[a] V om. *de Patre.* [b] Ed. add. *sanctus.* [c] V *item.* [d] C add. *se.* [e] D add. *se.* [f] V om. [g] Ed. om. *a Patre.* [h] V *quoque.* [i] V *conscientiam.* [k] B om. [l] D om.

---

[1] Epist. 17. *Ad Cyrillum* c. 1 et 3 (PL 30, 176 et sqq.). [2] Num. 55 (PL 10, 469). [3] Num. 56. [4] Num. 57.

112 Inde est etiam, quod Veritas ostendens, Patrem esse auctorem processionis, qua procedit Spiritus [a] a Filio, dixit in Evangelio [1]: *De Patre procedit,* cum de Patre et Filio procedat Spiritus sanctus [b].

Unde Augustinus quaerit [c 2]: « Si de Patre et Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit: *De Patre procedit?* Cur putas, nisi quia solet ad eum referre etiam quod ipsius est, de quo et ipse est, sicut [d] ait [3]: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me?* Si igitur hic intelligitur eius doctrina, quam tamen non dixit suam, sed Patris, quanto magis illic intelligendus est Spiritus sanctus de ipso procedere, ubi sic ait: *De Patre procedit,* ut non diceret: De me non procedit. A quo autem habet Filius, ut sit Deus — est enim de Deo Deus — ab illo utique habet, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus. Et ideo Spiritus sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre ». « Quapropter, qui potest intelligere in eo, quod ait Filius [4]: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit* [e] *Filio vitam habere in semetipso,* non sine vita existenti iam Filio vitam Patrem dedisse, sed ita eum sine tempore genuisse, ut vita, quam Pater Filio gignendo dedit, coaeterna sit vitae Patris, qui dedit; intelligat etiam, sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Spiritus sanctus, sic dedisse Filio, ut etiam de illo [f] procedat idem Spiritus sanctus, et utrumque sine tempore. Ita ergo dictum est, Spiritum sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio [g] de Patre esse Filio. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet utique, ut et de illo procedat Spiritus sanctus. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quae habeant prius et posterius, quia ibi omnino nulla sunt [5] ».

---

[a] Ed. et D add. *sanctus.* [b] D om. [c] Ed. om. *quaerit* et cum D add. *in decimo quinto de Trinitate.* [d] D add. *ipse.* [e] Ed. add. *et.* [f] Z om. *de illo.* [g] D add. *quia.*

---

[1] Ioan. 15, 26. [2] XV. *De Trinitate,* c. 27, n. 48 (PL 42, 1095) *. [3] Ioan. 7, 16. [4] Ioan. 5, 26. [5] Aug. op. cit. n. 47.

DISTINCTIO XIII.

Cap. I.

Quare Spiritus sanctus, cum sit de substantia Patris, non dicatur genitus, sed tantum procedens.

Post haec considerandum est, quantum a talibus, quales nos 113
sumus, intelligi potest, cum Spiritus sanctus procedat de Patre et sit de substantia Patris, cur [a] non dicatur esse [b] natus, sed potius procedere; et cur non dicatur filius.

Quare autem Spiritus sanctus non dicatur vel sit natus, et ideo non sit filius, Augustinus ostendit in XV libro *De Trinitate* [1] ita dicens: « Si Spiritus sanctus filius diceretur, amborum utique filius diceretur, quod absurdissimum [c] est. Filius quippe nullus est duorum nisi patris et matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem et [d] Deum Filium tale aliquid suspicemur [e] ». Absurdissime ergo filius diceretur amborum, id est Patris et Filii. « Amborum enim filius diceretur, si eum ambo genuissent, quod abhorret ab [f] omnium sanorum sensibus [g]. Non igitur ab utroque est genitus, sed procedit ab utroque amborum Spiritus [2] ». His verbis ostenditur, cur Spiritus sanctus, cum sit de Patre, non tamen dicatur genitus vel filius [3].

Cap. II.

Cur Filius dicatur procedere, cum Spiritus sanctus non dicatur gigni.

Cum autem Spiritus sanctus non dicatur genitus, sed tantum 114
procedens, quaeri solet, cur Filius non dicitur tantum genitus, sed

---

[a] D add. *etiam.* [b] D om. [c] B *absurdum.* [d] V add. *inter.* [e] A C D *suspicetur.* [f] Ed. cum A C D om. [g] Ed. et D *sensus.*

---

[1] Cap. 27, n. 48 (P L 42, 1095); et Tract. 99. *In Ioan.* n. 9 (P L 35, 1890). — Etiam verba praecedentia secundum sensum ex eodem loco excerpta sunt. [2] August. ibid. c. 26, n. 47 (P L 42, 1095). [3] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 7 (P L 176, 53), et Abael. III. et IV. *Theol. christ.* (P L 178, 1230 et 1300 et 1306).

et procedens; sicut ipse [a] in Evangelio Ioannis [1] ait: *Ego ex Deo processi* vel *exivi, et veni in mundum.* Non ergo tantum Spiritus sanctus procedit a Patre, sed etiam Filius.

Ad quod dicimus, quod cum a Patre uterque procedat, dissimiliter tamen.

Nam « Spiritus sanctus, ut ait Augustinus in V libro *De Trinitate* [2], procedit a Patre non quomodo natus, sed quomodo datus » vel Donum. Filius autem processit [b] nascendo, exiit ut genitus. Ac per hoc illud elucescit, ut potest, scilicet cur Spiritus sanctus etiam non sit filius, cum et ipse a Patre exeat, « ideo scilicet non dicitur filius, quia neque [c] natus est, sicut Unigenitus, neque factus, ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicut nos [3] ».

Cap. III.

Quod non potest mortalis distinguere inter generationem Filii et processionem Spiritus sancti.

115 Inter generationem vero Filii et processionem Spiritus sancti, dum hic vivimus, distinguere non sufficimus.

Unde Augustinus Maximino praemissam [d] quaestionem refricanti, scilicet quaerenti, cur Spiritus sanctus non diceretur filius, cum de Patris esset substantia, respondens sic ait [4]: « Quaeris a me, si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris etiam [e] est Spiritus sanctus, cur unus filius [f], et alius [g] non sit filius. Ecce respondeo, sive capias sive non capias: De Patre est Filius, de Patre est [h] Spiritus sanctus, sed ille genitus est, iste procedens; ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus [i] utriusque, quoniam de utroque procedit. Sed ideo, cum de illo loqueretur, ait [5]: *De Patre procedit,* quoniam Pater processionis eius est

---

[a] V om. [b] V add. *a Patre.* [c] C add. *ipse.* [d] D *praedictam.* [e] B om. [f] Ed. et D add. *sit.* [g] D *unus.* [h] A C add. *etiam.* [i] Ed. et B D add. *est.*

---

[1] Cap. 16, 27 et 28. *Ego a Deo exivi;* et ibid. 8, 42: *Ex Deo processi;* unde Magister dicit: *processi vel exivi.* Cfr. Hugo, loc. cit. et Abael. IV. *Theol. christ.* (P L 178, 1299). [2] Cap. 14, n. 15 (P L 42, 921). [3] Ibid. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. I, c. 7 (P L 176, 53) et Abael. IV. *Theol. christ.* (P L 178, 1309). [4] Libr. II, c. 14, n. 1 (P L 42, 770). Cfr. Abael. *Sic et non* c. 18 (P L 178, 1378). [5] Ioan. 15, 26.

auctor, qui talem Filium genuit et gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus. Nam nisi procederet etiam de ipso, non diceret discipulis [1]: *Accipite Spiritum sanctum,* eumque insufflando daret, ut, a se quoque procedere significans, aperte ostenderet flando, quod spirando dabat occulte. Quia ergo, si nasceretur, non tantum de Patre nec tantum de Filio, sed de ambobus utique nasceretur; sine dubio filius diceretur amborum. Ac per hoc, quia filius amborum nullo modo esset, non oportuit nasci eum de ambobus. Amborum est ergo Spiritus, procedendo de ambobus ».

« Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excel- 116
lentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur; sicut non omne quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis qui homo est. Hoc scio; distinguere autem inter illam [a] generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc, quia et illa et ista est ineffabilis, sicut Propheta de Filio loquens ait [2]: *Generationem eius quis enarrabit?* ita de Spiritu sancto verissime dicitur: Processionem eius quis enarrabit? Satis ergo sit nobis, quia non est a se ipso Filius, sed ab illo de quo natus est, non est a se ipso Spiritus sanctus, sed ab illo de quo procedit, et quia de utroque procedit, sicut iam ostendimus [3] ».

De Spiritu sancto, quomodo ipse de [b] Deo sit, nec tamen ipse filius sit, quoniam procedendo, non nascendo, legitur esse de Deo [c], iam superius [4], quantum visum est, disputavimus.

Cap. IV.

Utrum Spiritus sanctus debeat dici ingenitus, cum non sit genitus.

Nunc considerandum est, cum Spiritus sanctus non sit geni- 117
tus, utrum debeat dici ingenitus [5].

Ad quod dicimus, Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum debere dici.

---

[a] V add. *Verbi.* [b] D *cum.* [c] V add. *ut.*

---

[1] Ioan. 20, 22. [2] Isai. 53, 8. [3] Loc. cit. Cfr. Abael. *Sic et non* c. 18 et III. *Theol. christ.* (PL 178, 1378, 1227). [4] Hac dist., cap. 1. [5] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 7 (PL 176, 53) et Abael. *Sic et non* c. 17, ac I. et III. *Theol. christ.* (PL 178, 1375, 1137 et 1230).

Unde Augustinus *Ad Orosium*[1] ait: « Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum fides certa declarat; quia si dixerimus ingenitum, duos patres affirmare videbimur; si autem genitum, duos filios credere culpamur ». Sicut enim [a] solus Filius dicitur genitus, ita et solus Pater dicitur ingenitus, eo quod ab alio non sit.

Unde Augustinus [b] in XV libro *De Trinitate*[2]: « Pater, inquit [c], solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium et de re tanta sermonem qualem valuerint proferentium. Filius autem de Patre natus est, et Spiritus sanctus de Patre principaliter et communiter de utroque procedit. Ideoque cum Spiritum sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo vel duos patres in illa Trinitate, vel duos, qui non sunt de alio, quispiam suspicetur ». Ecce his verbis aperte ostendit, Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum debere dici.

Hieronymus tamen in *Regulis definitionum*[3] contra haereticos, Spiritum sanctum dicit esse ingenitum, his verbis: « Spiritus sanctus Pater non est, sed ingenitus atque infectus. Pater non est, quia Patris est et in Patre est; processionem habet ex [d] Patre, et non nativitatem; Filius autem [e] non est, quia genitus non est ».

Ecce his verbis dicitur Spiritus sanctus esse ingenitus; quod videtur adversari praemissis [f] verbis Augustini.

---

[a] V om. [b] D *idem.* [c] D *ait.* [d] D *a.* [e] B om. [f] D *praedictis.*

---

[1] In dialogo nempe quaestionum sub titulo *Ad Orosium,* quaest. 2. Sed suppositititium est hoc opus (PL 40, 734). Cfr. *Sentent. divin.* tr. 6, pag. 459. [2] Cap. 26, n. 47 (PL 42, 1094 et seq.). [3] Hic liber non est S. Hieronymi, nec in appendicibus editionum eiusdem invenitur. In appendice ad opera S. Ambrosii (PL 17, 510) impressum est opusculum anonymum sub titulo: *De Trinitate,* alias, *In Symbolum Apostolorum tractatus,* ex quo (c. 3, c. 512) textus secundus, paulo infra citatus, integre desumtus est, paucis tantum verbis deficientibus vel mutatis. Locus vero hic citatus tantum quoad sensum ibi exhibetur. Cum autem hoc opusculum, ut putant editores, sit mutilum et iam antiquitus interpolatum, fortasse Lombardus etiam primum textum ad verbum inde accepit. In praevia admonitione, Benedictini editores huius libelli censent, ipsum contra Priscillianistas et ad vindicandam Toletanam fidei regulam esse editum, atque Concilio, si minus Toletano, saltem Braccarensi secundo, quod a. 564 vulgo ponitur, supparem esse. — Alcuinus (*De fide Ss. Trinitatis* libr. II, c. 9 (PL 101, 28)* totum reportat.

Sed ut istam quae videtur repugnantiam de medio abigamus, 118
dicimus, quod Hieronymus aliter acceperit nomen ingeniti, et aliter Augustinus. Accepit [a] enim Augustinus ingenitum, qui vel quod [b] ab alio non est; et secundum hoc de solo Patre dicitur; Hieronymus vero ingenitum dicit non-genitum; et secundum hoc potest dici de Spiritu [c], cum Spiritus sanctus non sit genitus.

Quod autem Hieronymus ita acceperit, ostenditur ex verbis suis, quibus in eodem tractatu [1] utitur, faciens talem divisionem: « Omne quod est, aut ingenitum est, aut genitum, aut factum. Est ergo quod nec natum nec factum est; et est quod natum est, et factum non est; et est quod nec natum est, nec factum est; et est quod factum est, et natum non est; et est quod factum est, et natum est, et renatum est; et est quod factum est, et natum est, et renatum non est. Nunc [d] praepositorum singulis rebus subsistentiam destinemus. Quod ergo nec natum nec factum est, Pater est; non enim ab aliquo est; quod autem natum est, et factum non est, Filius est, qui a Patre genitus est, non factus; quod iterum nec natum nec factum est, Spiritus sanctus est [e], qui a Patre procedit; quod etiam factum est et natum non est, caelum et terra ceteraque, quae sunt insensibilia; quod autem factum et natum et renatum est, homo est; quod vero factum est [f], et natum, est et renatum non est, animalia sunt ». Ecce his verbis [g] ostendit Hieronymus, se ingenitum accipere non-genitum. Aliter enim non esset praemissa divisio vera, scilicet omne quod est aut ingenitum est, aut genitum, aut factum. Atque in divisionis huius prosecutione in assignatione ingeniti, ubique ponit non-natum.

DISTINCTIO XIV.

Cap. I.

De gemina processione Spiritus sancti, temporali et aeterna.

Praeterea diligenter adnotandum [h] est, quod gemina est proces- 119
sio Spiritus sancti, aeterna videlicet, quae ineffabilis est, qua a Pa-

[a] Ed. cum B *accipit.* [b] D om. [c] Ed. cum B D add. *sancto.* [d] D add. *ergo.* [e] D om. [f] V om. [g] C add. *aperte.* [h] D *notandum.*

[1] Cap. 3 (P L 17, 512). — Vide notam 3 pag. 88.

tre et Filio aeternaliter [a] et sine tempore processit; et temporalis, qua a Patre et Filio ad sanctificandam creaturam procedit. Et sicut ab aeterno communiter ac simul procedit a Patre et Filio, ita et in tempore communiter et simul [b] ab utroque procedit ad creaturam, non divisim a Patre in Filium et a Filio ad creaturam [1] [c].

Unde Augustinus in XV libro *De Trinitate* [2] ait: « Spiritus sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit [d] ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit; quamvis hoc Filio Pater dederit, ut sicut de se, ita etiam de illo procedat ».

120 De temporali autem processione Beda in homilia dominicae primae post Ascensionem [3] ita loquitur: « Cum Spiritus sancti [e] gratia datur hominibus, profecto mittitur Spiritus a Patre, mittitur et a Filio; procedit a Patre, procedit et a Filio, quia et eius missio est ipsa processio ». His verbis aperte ostendit, donationem gratiae Spiritus sancti dici processionem vel missionem eiusdem. Sed cum donatio vel datio non sit nisi temporalis, constat, quia et haec processio sive missio temporalis est.

Hanc quoque temporalem Spiritus sancti [f] processionem Augustinus in XV libro [g] *De Trinitate* [4] insinuat dicens [h], Spiritum sanctum processisse a Christo, quando post resurrectionem insufflavit [i] in discipulos his verbis: « Cum resurrexisset Christus [k] a mortuis et apparuisset discipulis, insufflavit [l] et ait [5]: *Accipite Spiritum sanctum,* ut eum etiam de se procedere ostenderet. Et ipse est [m] *virtus,* quae *de illo exibat,* ut legitur in Evangelio [n], *et sanabat omnes* [6] ».

Et ut ostenderet, hanc processionem Spiritus sancti non esse aliud quam donationem vel dationem [o] ipsius Spiritus [p], addit [7] [q]. « Post resurrectionem Dominus Iesus bis [r] dedit Spiritum sanctum: semel in terra propter dilectionem proximi, et iterum de caelo propter

---

[a] V *ab aeterno.* [b] D om. *a Patre... simul.* [c] D add. *sanctificandam.* [d] D om. [e] B om. [f] B D om. [g] U om. [h] D *insinuans ait.* [i] V *inflavit.* [k] V om. [l] D om. *his verbis... insufflavit.* [m] D om. [n] D om. *in Evangelio.* [o] D om. *vel dationem.* [p] Ed. add. *sancti.* [q] Ed. *addidit.* [r] V *bis.*

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 4, c. 6 et 1. *De Sacram.* p. 3, c. 24 (P L 176, 52 et 226) et Abael. IV. *Theol. christ.* (P L 178, 1309). [2] Cap. 27, n. 48 (P L 42, 1093). [3] Libr. II, homil. 10 (P L 94, 182). [4] Cap. 26, n. 45 (P L 42, 1093). [5] Ioan. 20, 22. [6] Luc. 6, 19. [7] Loc. cit. n. 46 *.

dilectionem Dei; quia per ipsum Donum *diffunditur caritas in cordibus nostris,* qua diligimus Deum et proximum ».

Cap. II.

Quod non solum dona Spiritus sancti, sed etiam ipse Spiritus sanctus Deus datur hominibus et mittitur.

Sunt autem [a] aliqui [b], qui dicunt, Spiritum sanctum ipsum 121
Deum [c] non dari, sed dona eius, quae non sunt ipse Spiritus. Et, ut aiunt, Spiritus sanctus dicitur dari, cum gratia eius, quae tamen [d] non est ipse, datur homini [e]. Et hoc dicunt, Bedam sensisse in superioribus verbis, quibus dicit, Spiritum sanctum procedere, cum ipsius gratia datur hominibus, tanquam non ipsemet detur, sed eius gratia.

Sed quod ipse Spiritus sanctus, qui Deus est et tertia in Trinitate persona, detur, aperte ostendit Augustinus in XV libro *De Trinitate* [1] ita dicens: « Eundem Spiritum sanctum datum, cum insufflasset [f] Iesus, de quo mox ait [2]: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,* ambigere non debemus. Ipse igitur est, qui etiam de caelo datus est [g] die Pentecostes [3]. Quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritum sanctum? Immo quantus est Deus qui dat Deum »? Ecce his verbis aperte dicit, Spiritum sanctum, ipsum scilicet Deum, dari hominibus a Patre et [h] Filio.

Et quod ipse Spiritus sanctus, qui Deus est ac tertia in Tri- 122
nitate persona, nobis detur, nostrisque infundatur atque illabatur mentibus, aperte ostendit Ambrosius in I libro *De Spiritu sancto* [4] dicens; « Licet multi dicantur spiritus, quia legitur [5]: *Qui facit angelos suos spiritus* [i], unus tamen Dei est Spiritus. Ipsum igitur unum Spiritum [k] et Apostoli et Prophetae sunt consecuti; sicut etiam vas electionis dicit [6], quia *unum Spiritum potavimus,* quasi eum, qui non queat scindi, sed infundatur animis et

---

[a] D om. [b] A C *alii;* B om. [c] A om. *sanctum ipsum Deum.* [d] D om. [e] Ed. cum B C *hominibus.* [f] Z add. *Dominus.* [g] D add. *in.* [h] C D add. *a.* [i] U add. *et m*[inistros] *s*[uos] *i*[gnem]. [k] B add. *et angeli.*

---

[1] Loc. cit. n. 46. [2] Matth. 28, 19. [3] Act. 2. [4] Cap. 4, n. 60-62 (PL 16, 719). [5] Psalm. 103, 4. [6] I. Cor. 12, 13.

sensibus illabatur, ut saecularis sitis restringat ardorem; qui Spiritus sanctus [a] non est de substantia corporalium nec de substantia invisibilium creaturarum ». His verbis aperte dicit, Spiritum sanctum ipsum, qui creatura non est, infundi mentibus nostris.

Item in eodem [1]: « Omnis mutabilis est creatura, sed non mutabilis Spiritus sanctus ». « Quid autem dubitem dicere, quia datus est et Spiritus sanctus, cum scriptum sit [2]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* »? « Qui cum sit inaccessibilis natura, receptabilis [b] tamen propter bonitatem suam nobis est, complens virtute [c] omnia, sed qui [d] solis participetur iustis, simplex substantia, opulens virtutibus, unicuique praesens, *dividens* de suo *singulis* [3] et ubique totus ». « Incircumscriptus igitur et infinitus Spiritus sanctus, qui discipulorum sensus separatorum infundit [e], quem nihil potest fallere. Angeli ad paucos mittebantur, Spiritus autem sanctus populis infundebatur. Quis igitur dubitet, quin divinum sit quod infunditur simul [f] pluribus nec videtur [g]? Unus est [h] Spiritus sanctus, qui datus est omnibus licet separatis Apostolis ». Et hic aperte dicit Ambrosius, quod Spiritus sanctus, qui est substantia simplex, cum sit unus, datur pluribus. Alia quoque auctoritate hoc idem astruitur, scilicet quod Spiritus sanctus, qui est aequalis Filio, hominibus detur.

Ait enim Augustinus [4] de verbis Apostoli sic [i]: « *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* A quo datur? Ab illo, qui *dona dedit hominibus* [5]. Quae dona? Spiritum sanctum, qui tale dat donum, qualis ipse est. Magna est misericordia eius: donum dat aequale sibi, quia donum eius Spiritus sanctus est ».

Praemissis et aliis pluribus auctoritatibus aperte monstratur, quod Spiritus sanctus aequalis Patri et Filio nobis datur; nec ideo tamen minor est [k] Patre et Filio. Unde Augustinus in IV libro

---

[a] D om. [b] Ed. *receptibilis.* [c] V *veritate.* [d] V *si.* [e] V Z *infudit.* [f] V om. [g] D *dividitur.* [h] D add. *ergo.* [i] Ed. *si.* [k] D om.

---

[1] Quae sequuntur conflata sunt ex Ambros. op. cit. c. 4, n. 64, 66, 72, et c. 7, n. 82 et 84 (PL 16, 720 et sqq. ac 724 et sqq.). [2] Rom. 5, 5. [3] I. Cor. 12, 11. [4] Serm. 128, n. 4 (olim 43) (PL 38, 715)*. [5] Rom. 5, 5 et Eph. 4, 8.

De Trinitate [1]: « Non ideo, inquit, minorem Spiritum sanctum, quia et eum Pater misit et Filius, arbitrandum est ».

Cap. III.

An viri sancti possint dare Spiritum sanctum.

Hic quaeritur, utrum et sancti viri dent vel possint dare aliis 123
Spiritum sanctum. Quem si aliis dant, cum eius donatio sit supradicta processio, videtur ab eis procedere Spiritus sanctus vel mitti; sed Creator a creatura non procedit vel mittitur; restat ergo, ut ipsi non dent Spiritum sanctum, nec dare possint.

Unde Augustinus in XV libro *De Trinitate* [2]: « Non aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum sanctum. *Orabant* quippe, *ut veniret in eos* [3], quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia. Denique et Simon magus, offerens Apostolis pecuniam, non ait: Date et mihi hanc potestatem, ut dem Spiritum sanctum; sed, *cuicumque,* inquit, *imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum* [a]; quia nec Scriptura superius dixerat: Videns autem Simon, quia Apostoli darent Spiritum sanctum, sed dixerat: *Videns autem Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus* ». Ecce his verbis ostendit Augustinus, nec Apostolos nec alios praelatos Ecclesiae dedisse vel dare Spiritum sanctum.

Et quod plus est, non posse etiam dare, dicit [b] in eodem libro [c] [4] subdens: « De Christo scriptum est [5], quod *acceperit a Patre promissionem Spiritus sancti et effuderit* [d]; in [e] quo utraque natura monstrata est, humana scilicet et divina. Accepit quippe ut homo, effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc Donum possumus pro modulo nostro, effundere super alios vero non utique possumus, sed ut hoc fiat, Deum super eos, a quo id efficitur, invocamus ». His verbis expresse dicit [f], nos Spiritum sanctum non posse super alios effundere, id est aliis dare.

---

[a] D om. [b] V om. [c] D add. *Augustinus.* [d] D add. *in alios.* [e] D om. [f] D add. *Augustinus.*

---

[1] Cap. 21, n. 32 (PL 42, 910). [2] Cap. 26, n. 46 (PL 42, 1093). [3] Respicitur hic et infra ad Act. 8, 15-19. [4] August. ibid. parum infra (PL 42, 1094). [5] Act. 2, 33.

124 Sed huic videtur contrarium quod Apostolus Ad Galatas [1] de se loquens ait: *Qui tribuit vobis* [a] *Spiritum, et operatur virtutes in vobis.* Ecce evidenter [b] dicit, se tribuisse Spiritum. Sed intelligendum est, Apostolum dixisse [c] hoc, non quia haberet potestatem et auctoritatem dandi Spiritum sanctum [d], sed quia ministerium habuerit, in quo dabatur a Deo Spiritus sanctus.

Ut enim ait Augustinus [2] super eundem locum, exponens illud Apostoli verbum: « Ab Apostolo praedicata est eis [e] fides, in qua praedicatione adventum et praesentiam sancti Spiritus senserant, sicut [f] illo tempore in novitate invitationis ad fidem etiam sensibilibus miraculis praesentia sancti Spiritus apparebat, ut in Actibus Apostolorum [3] legitur ». Aperte hic ostendit, quomodo illis Spiritum sanctum Apostolus [g] tribuerit, non utique ipsum mittendo in eos; sed praedicando eis fidem Christi, quam illis recipientibus [h], quod Spiritus sanctus in eis esset, aliquibus signis visibilibus monstrabatur. Non ergo homines, quantumcumque sancti, dare possunt Spiritum sanctum.

DISTINCTIO XV.

Cap. I.

Quod Spiritus sanctus a se ipso datur et Filius a se ipso mittitur.

125 Hic considerandum est, cum Spiritus sanctus detur hominibus a Patre et Filio, quod est ipsum temporaliter procedere ab utroque vel mitti, utrum etiam a se ipso detur. Si datur [i] a se, et procedit vel mittitur a se.

Ad quod dicimus, quia Spiritus sanctus et Deus est et donum sive datum: et ideo et [k] dat et datur. Dat quidem in quantum Deus, et datur in quantum donum. Cum autem donatio sive datio Spiritus sancti sit operatio Dei, et communis sit et indivisa opera-

---

[a] B D hic et infra *nobis.* [b] U *videtur.* [c] V *dedisse.* [d] B om. [e] D om. [f] Z add. *in.* [g] V *apostolis.* [h] V *percipientibus.* [i] V *dicatur.* [k] Ed. et B D om.

---

[1] Cap. 3, 5. [2] *Exposit. ad Gal.* n. 20 (PL 35, 2117). [3] Act. 2.

tio [a] trium personarum, donatur itaque [b] Spiritus sanctus non tantum a Patre et Filio, sed etiam a se ipso.

Unde Augustinus in XV libro *De Trinitate* [1] dicit, quod se ipsum dat: « Sicut, inquit, corpus carnis nihil est aliud quam caro, sic donum Spiritus sancti nihil est aliud quam Spiritus sanctus. In tantum ergo donum Dei est, in quantum datur eis quibus datur. Apud se autem Deus est, etsi nemini datur, quia Deus erat Patri et Filio coaeternus, antequam cuiquam daretur. Nec quia illi dant et ipse datur, ideo minor est illis. Ita enim datur sicut Dei donum, ut etiam se ipsum det, sicut Deus. Non enim dici potest, non esse suae potestatis, de quo dictum est [2]: *Spiritus ubi vult spirat* ». Ecce aperte dicit, quod Spiritus sanctus se ipsum dat. Si enim Spiritus sanctus se ipsum dare non potest, et eum Pater dare potest et Filius [c], potest itaque [d] Pater [e] aliquid et Filius, quod non potest Spiritus sanctus.

Item, si Pater et Filius dant Spiritum sanctum, nec ipse dat, aliquid ergo Pater operatur et Filius, quod non operatur Spiritus sanctus; dat ergo Spiritus sanctus se ipsum. Si autem se ipsum dat, tunc et a se ipso procedit et mittitur; quod utique verum est. Nam processio temporalis Spiritus sancti vel missio ipsius est donatio, et ipsa [f] est Dei operatio. Procedit ergo Spiritus sanctus temporaliter a se, et mittitur a se, quia datur a se.

Ne autem mireris, quod Spiritus sanctus dicitur mitti [g] vel pro- 126
cedere a se. Nam et de Filio Dei dicit Augustinus in II libro *De Trinitate* [3], quod non tantum a Patre missus est, sed etiam [h] a se ipso et a Spiritu sancto, quaerens, quo modo Filius vel Spiritus sanctus sit missus, cum uterque sit ubique tanquam Deus. Nam uterque, inquit Augustinus, legitur missus.

De Spiritu sancto enim legitur [4]: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et item [i]: *Si abiero, mittam eum ad vos* [5]. Et Filius de se dicit [6]: *Exivi a Patre et veni in mundum.* Et Apostolus dicit [7]: *Misit Deus Filium suum.* In Propheta autem scriptum est ex [k] persona Dei [8]: *Caelum et terram ego impleo.*

---

[a] B *opera.* [b] D *utique.* [c] B add. *potest.* [d] D *utique.* [e] Ed. add. *dare.* [f] D add. *mittitur et.* [g] Z add. *a se.* [h] B om. [i] Ed. *iterum.* [k] V *in.*

---

[1] Cap. 19, n. 36 (PL 42, 1086). [2] Ioan. 3, 8. [3] Cap. 5, n. 7 (PL 42, 849)*. [4] Ioan. 14, 26. [5] Ibid. 16, 7. [6] Ibid. v. 28. [7] Gal. 4, 4. [8] Ierem. 23, 24.

Itaque ubique Deus est, ubique ergo est Filius, ubique etiam est Spiritus sanctus. Illuc ergo missus est Filius et Spiritus sanctus, ubi erant [a].

Cap. II.

Quomodo intelligenda sit missio utriusque.

127 « Quocirca quaerendum est, quomodo intelligatur missio Filii vel Spiritus sancti. Pater enim solus, inquit Augustinus in eodem [1], nusquam legitur missus », sed Filius et Spiritus sanctus. Et de Filio primum videamus, quomodo missus? « Apostolus dicit [2]: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere,* ubi satis ostendit, eo ipso missum Filium, quo factum ex muliere. Proinde mitti a Patre sine Spiritu sancto non potuit, quia Pater intelligitur misisse eum, cum fecit ex femina; quod utique non fecit sine Spiritu sancto [b] ». Ecce hic dicit, Filium missum a Patre et [c] Spiritu sancto.

Cap. III.

Quod a Spiritu sancto etiam Filius sit missus.

128 Et quod a Spiritu sancto [d] missus sit, ut ait Augustinus in eodem [3], auctoritatibus confirmatur.

Ipse Christus dicit per Isaiam [4]: *Nunc misit me Dominus et Spiritus eius.* De hoc Ambrosius in libro III *De Spiritu sancto* [5] ita ait: « Quis est, qui dicit: *Misit me Dominus et Spiritus eius,* nisi qui venit a Patre, ut salvos faceret peccatores », id est Christus? « Ergo et Pater Filium misit et Spiritus [e] ».

Idem in eodem [6]: « Datus est a [f] Patre, ut Isaias dicit [7]: *Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis.* Datus est [g], audeo dicere, et a Spiritu, quia et a Spiritu missus est ». « Dicit [8] enim Filius Dei [9]: *Spiritus Domini super me, propter* [h] *quod unxit me:*

---

[a] B *erat.* [b] V *suo.* [c] D add. *a.* [d] Ed. add. *Filius.* [e] D add. *sanctus.* [f] D om. [g] D *autem.* [h] D *eo.*

---

[1] Loc. cit. n. 8, ubi etiam quae sequuntur. [2] Gal. 4, 4. [3] Loc. cit. n. 8. [4] Cap. 48, 16. [5] Cap. 1, n. 7 et 8 (PL 10, 778). [6] Ibid. c. 2, n. 9. [7] Isai. 9, 6. [8] Ibid. c. 1, n. 1, 2, 6, passim. [9] Luc. 4, 18.

evangelizare pauperibus misit me, praedicare captivis remissionem etc. Quod cum de libro Isaiae legeret, ait in Evangelio [1]: *Hodie completa est haec Scriptura in auribus vestris*, ut de se dictum esse significaret. Bene autem dixit, *super me;* quia quasi filius hominis et unctus est et missus ad praedicandum. Nam secundum divinitatem non super Christum est Spiritus, sed in Christo ».

Ecce [a] his verbis ostendit Ambrosius [b], Filium esse missum et datum nobis non tantum a Patre, sed etiam a Spiritu sancto.

Cap. IV.

Quod Filius etiam sit datus a se ipso.

Deinde ostendit, esse [c] datum etiam a se ipso, ita dicens in eodem 129
libro [2]: « Cum non definitum fuerit per Prophetam, a quo datus sit Filius, ostenditur datus gratia Trinitatis, ut etiam ipse Filius [d] dederit ». Ecce hic dicit, quod Filius se dedit, quia [e] Trinitas eum dedit. Si autem Filius a se datus est, a se igitur missus est [f], a se processit. Et hoc utique verum est et concedi oportet, cum eius missio sit divina operatio.

Quod autem a se mittatur, Augustinus astruit in libro II 130
De Trinitate [3] dicens: « Forte aliquis cogat, ut dicamus, etiam a se ipso missum esse [g] Filium; quia Mariae conceptus et partus operatio Trinitatis est. Sed, inquit aliquis, quomodo Pater eum misit, si ipse se misit? Cui respondeo [h] quaerens, ut dicat, quomodo eum Pater sanctificavit, si ipse se sanctificavit? Utrumque enim Dominus ait [4]: *Quem Pater,* inquit, *sanctificavit et misit in hunc mundum.* Et alibi [i] [5]. *Ego pro eis sanctifico me ipsum.* Item quaero, quomodo Pater eum tradidit, si ipse se tradidit? Utrumque enim legitur [6]. Credo, respondebit, si probe sapit, quia una voluntas est Patris et Filii et inseparabilis operatio. Sic igitur intelligat, illam incarnationem et ex Virgine nativitatem, in qua Filius intelligitur [k] missus, una eademque operatione Patris et Filii inseparabiliter esse factam, non

---

[a] V add. *ex.* [b] Z add. *aperte.* [c] D om. [d] Ed. et D add. *se.* [e] D add. *tota.* [f] Ed. add. *et.* [g] D om. [h] V add. *ut;* D add. *ita.* [i] V *ibi.* [k] D add. *esse.*

---

[1] Ibidem v. 21. [2] Cap. 2, n. 9. [3] Cap. 5, n. 9 (PL 42, 850).
[4] Ioan. 10, 36. [5] Ioan. 17, 19. [6] Rom. 8, 32 et Gal. 2, 20.

inde separato Spiritu sancto; ergo a Patre et Filio missus est idem Filius, quia a Patre et [a] Verbo eius factum est, ut mitteretur, id est, incarnatus hominibus appareret: non enim missus est mutando locum, quia in mundo erat. Quapropter Pater invisibilis una cum Filio secum invisibili eundem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est; qui si ita visibilis fieret, ut cum Patre invisibilis esse desisteret, id est si substantia invisibilis Verbi in creaturam visibilem mutata et transiens verteretur, ita missus a Patre intelligeretur Filius, ut tantum missus, non etiam cum Patre mittens inveniretur. Cum vero [b] sic accepta est *forma servi*, ut maneret incommutabilis *forma Dei* [1], manifestum est, quod a Patre et Filio non apparentibus factum sit, quod appareret in Filio, id est, ab invisibili Patre cum invisibili Filio idem ipse Filius visibilis [c] mitteretur ».

Ex supradictis [d] aperte monstratur, quod Filius missus est a Patre et a Spiritu sancto et a se ipso, et quae sit ipsa missio, scilicet incarnatio, id est, quod factus est homo, per quod visibilis apparuit, quod est opus commune [e] Patris et Filii et Spiritus sancti [f].

Cap. V.

Quomodo intelligendum sit: A me ipso non veni.

131 Sed ad hoc opponitur: Si Filius a se ipso missus est, cur ergo ait [2]: *A me ipso non veni?*

Ad hoc Augustinus respondet in II libro *De Trinitate* [3] dicens: « Hoc dictum esse [g] secundum formam servi [h], secundum quam non fecit, ut mitteretur », id est, non est operatus incarnationem, sed secundum formam Dei.

Cap. VI.

Utrum semel tantum sit missus Filius, an saepe.

132 Hic quaeritur, utrum semel tantum missus sit Filius, an saepe mittatur. Si enim missio Filii ipsius tantum incarnatio est, cum

---

[a] Ed. cum C om.; B add. *a*. [b] Z *ergo*. [c] B *invisibilis*; D *visibiliter*. [d] Ed. *praedictis*. [e] B om. [f] B verba *Ex supradictis... sancti* ponit post sequens cap. [g] U *est*. [h] D add. *id est*.

---

[1] Phil. 2, 6, 7. [2] Ioan. 7, 28 et 8, 42. [3] Cap. 5, n. 9 (PL 42, 851).

semel tantum incarnatus sit, et semel tantum videtur missus. At si saepe mittitur, est et alia eius missio quam incarnatio. Sed quae est illa? Nunquid aeterna genitura missio eius dicenda est, an etiam alia missio [a] quaerenda est?

Cap. VII.

De duobus modis missionis Filii.

Ad quod dicimus, quod duobus modis dicitur Filius mitti [b] 133
praeter illam aeternam [c] genituram, quae ineffabilis est, secundum quam etiam missus posset dici, ut videtur quibusdam, sed melius ac verius secundum eam dicitur genitus. Praeter eam igitur duobus modis dicitur mitti, scilicet vel cum visibiliter mundo apparuit carne indutus, vel cum *se in animas pias* [d] *sic transfert* [1], ut ab eis percipiatur ac cognoscatur.

Hos duos missionis modos Augustinus aperte distinguit in IV libro *De Trinitate* [2] dicens: « Non eo ipso quod [e] de Patre natus est, missus dicitur [f] Filius, sed vel [g] eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum [h]; unde dicit [3]: *A Patre exivi et veni in mundum;* vel eo quod ex tempore cuiusquam mente percipitur, sicut dictum est de Sapientia [4]: *Emitte illam de caelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit, et mecum laboret,* id est [i], doceat me laborare. Et tunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur [k] atque percipitur, quantum cognosci et percipi potest pro captu vel proficientis in Deum, vel perfectae in Deo animae rationalis ».

Cap. VIII.

Quod secundum alterum modum sit semel missus, secundum alterum saepe; et secundum alterum modum dicitur missus in mundum, secundum alterum non.

Ecce distincti sunt duo modi missionis Filii, et secundum al- 134
terum semel tantum missus est Dei Filius, secundum alterum saepe

---

[a] D add. *eius.* [b] C *missus.* [c] B om. [d] B om. [e] A D *quo.* [f] D *est.* [g] D *in.* [h] Z add. *est.* [i] D add. *ut.* [k] D *agnoscitur.*

---

[1] Sap. 7, 27. [2] Cap. 20, n. 28 et aliqua verba n. 27 (P L 42, 997). [3] Ioan. 16, 28. [4] Sap. 9, 10.

missus est et mittitur quotidie: nam secundum alterum missus est, ut sit homo, quod semel tantum factum est; secundum alterum vero mittitur, ut sit cum homine, quo modo [a] quotidie mittitur [b] ad Sanctos, et missus est etiam [c] ante incarnationem [d] ad omnes Sanctos, qui ante fuerunt, et etiam ad Angelos.

Unde Augustinus de Filio, id est de [e] Sapientia Patris [f] loquens in IV libro *De Trinitate* [1] ait: « Aliter Sapientia mittitur, ut sit cum homine; aliter missa est, ut sit homo. *In animas enim sanctas se transfert, et amicos Dei et Prophetas constituit* [2]; sicut etiam implet sanctos Angelos. Sed cum venit plenitudo temporis, missa est, non ut impleret Angelos, nec ut esset Angelus, nec ut esset cum hominibus vel in hominibus, ut antea in Patribus erat et in Prophetis, sed ut ipsum Verbum fieret caro, id est homo ».

135 Praeterea notandum est, quod cum his duobus modis mittatur Filius, secundum alterum dicitur missus in mundum, secundum alterum vero non. Eo enim modo missus in mundum dicitur, quo visibilis mundo apparuit.

Unde Augustinus in eodem libro [3] ait: « Cum ex tempore cuiusquam [g] mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum [h]. Non enim sensibiliter apparet, id est, corporeis sensibus praesto est. Nam et nos etiam [i] secundum quod mente aliquid aeternum capimus, non in hoc mundo sumus, et omnium iustorum spiritus etiam in carne viventium, in quantum divina sapiunt, non sunt in hoc mundo ».

Ex praedictis liquet, quod praeter ineffabilem genituram duobus modis mittitur Filius, scilicet cum visibiliter apparuit, vel invisibiliter percipitur mente.

Cap. IX.

Quare Pater non dicitur missus.

136 Hic quaeritur, cur Pater non dicitur missus, cum ex tempore a [k] quoquam cognoscitur, sicut Filius [4].

[a] C add. *per gratiam.* [b] B om. [c] D *non.* [d] Ed. add. *et.* [e] B om. [f] V *Dei.* [g] B D *cuiusque.* [h] B *modum.* [i] Ed. cum B om. [k] D *ex.*

[1] Cap. 20, n. 27. [2] Sap. 7, 27. [3] Cap. 20, n. 28. [4] Cfr. Alcuinus, III. *De fide Ss. Trin.* c. 6 (PL 101, 11) et Hugo, II. *De Sacram.* p. 1, c. 2 (PL 176, 371) ac Abael. IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1290).

Ad quod dicimus, quia in eo est principii auctoritas, qui non habet de quo sit, a quo Filius est et Spiritus sanctus. « Pater enim est, ut ait Augustinus in eodem libro [1], principium totius divinitatis [a], vel, si melius dicitur, deitatis [b] », quia principium est Filii et Spiritus sancti. Nam, ut ait Augustinus in eodem [2]: « Si voluisset etiam Deus Pater per subiectam creaturam visibiliter apparere, absurdissime tamen aut a Filio, quem genuit, aut a sancto Spiritu, qui de illo procedit, missus diceretur ». Congruenter autem ille missus dicitur, qui in carne apparuit; misisse autem ille, qui in ea [c] non apparuit.

Cap. X.

Quod Filius et Spiritus sanctus non sunt quasi minores Patre, quia missi.

Ideoque putaverunt quidam haeretici, cum Pater non sit mis- 137
sus, sed Filius et Spiritus sanctus [d], Patrem maiorem esse [e] ac Filium minorem et Spiritum sanctum; atque Patrem quasi maiorem misisse utrumque quasi minorem [f].

Quod Augustinus improbat in IV libro *De Trinitate* [3], illis contradicens: « Non ideo, inquit, arbitrandum est, minorem esse Filium, quod missus est a Patre, nec ideo minorem Spiritum sanctum, quia et Pater eum misit et Filius; sive enim propter visibilem creaturam, sive potius propter principii commendationem, non propter inaequalitatem vel imparilitatem vel dissimilitudinem substantiae in Scripturis haec posita intelliguntur ». Non ergo ideo Pater dicitur misisse Filium vel Spiritum sanctum, quod ille esset maior et illi minores, sed maxime propter auctoritatem principii commendandam, et quia in visibili creatura non, sicut illi, apparuit.

Ecce ostensum est, quae sit missio Filii, et quibus modis mittatur.

---

[a] V *Trinitatis.* [b] V *divinitatis.* [c] D *carne.* [d] D add. *scilicet.* [e] V om. [f] D om. *quasi minorem.*

---

[1] Libr. IV, c. 20, n. 29 (PL 42, 908). [2] Cap. 21, n. 32. [3] Cap. 21, n. 32.

DISTINCTIO XVI.

Cap. I.

De missione Spiritus sancti, quae fit duobus modis, visibiliter et invisibiliter.

138 Nunc de Spiritu sancto videndum est, praeter illam ineffabilem et aeternam processionem, qua procedit a Patre et [a] Filio, et non a se ipso, quae sit eius temporalis processio, quae dicitur missio sive donatio [b].

Ad quod dicimus, quia sicut Filius duobus modis dicitur mitti: uno, quo visibiliter apparuit, altero, quo invisibiliter castis mentibus percipitur; ita et Spiritus sanctus a Patre et Filio ac [c] se ipso duobus modis procedere sive mitti [d] sive dari dicitur: uno visibiliter, altero invisibiliter. Datus est enim visibilis creaturae demonstratione, sicut in die Pentecostes aliisque vicibus, et datur quotidie invisibiliter illabendo mentibus fidelium.

Et primo agamus de illo missionis modo, qui fit visibili specie.

De hoc [e] Augustinus in II libro *De Trinitate* [1] ita ait: « In promptu est intelligere de Spiritu sancto, cur missus et ipse dicatur. Facta est enim quaedam creaturae species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus [f], sive cum in ipsum Dominum corporali specie columbae descendit, sive cum [g] die Pentecostes factus est subito de caelo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visae sunt illis linguae divisae sicut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum. Haec operatio visibiliter expressa, et oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est, non ut appareret eius [h] ipsa substantia, qua et ipse invisibilis et incommutabilis est, sicut Pater et Filius, sed ut, exterioribus visis, corda hominum commota a temporali manifestatione venientis, ad occul-

---

[a] A B add. *a*. [b] B *dilectio*. [c] Ed. cum A D add. *a*. [d] D om. *sive mitti*. [e] D *hac*. [f] D add. *scilicet*. [g] Ed. add. *in*. [h] Ita U V; ed. et B *eis*; A *eis eius*.

---

[1] Cap. 5, n. 10 (PL 42, 851).

tam aeternitatem semper praesentis converterentur ». Ecce his verbis aperit [a] Augustinus illum modum missionis, qui visibiliter exhibetur, cum tamen ipse [b] Spiritus in sui natura non videatur, qui nec in illis creaturis magis erat quam in aliis, sed ad aliud. In illis enim erat, ut per eas ad homines venientes [c] ostenderetur esse in illis, ad quos illae creaturae veniebant. Non enim Spiritus sanctus temporali motu tunc venit vel descendit in homines, sed per temporalem motum creaturae significata est spiritualis et invisibilis Spiritus sancti infusio. Et ut apertius dicam, per illum modum missionis Spiritus sancti corporaliter exhibitum, monstrata est spiritualis et interior missio Spiritus sancti sive donatio, de qua agendum est.

Sed prius quaerendum est, cum Filius dicatur minor Patre 139
secundum missionem, qua in forma creata apparuit, cur et Spiritus sanctus non dicatur similiter minor Patre, cum in forma creata apparuerit.

Nam de Filio, quod minor sit Patre secundum formam, qua missus apparuit, aperte ostendit Augustinus in IV libro *De Trinitate* [1] dicens: « *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* [2], usque adeo parvum, ut factum; eo itaque missum, quo factum. Fateamur ergo factum minorem, et in tantum minorem, in quantum factum [d], et in tantum factum, in quantum missum ». Ecce habes, quia Filius, in quantum est missus, id est factus, minor est Patre.

Cur ergo Spiritus sanctus [e] non dicitur minor Patre, cum et 140
ipse creaturam assumserit in qua apparuit?

Quia aliter Spiritus [f] assumsit creaturam, in qua apparuit, aliter Filius: nam Filius accepit per unionem, Spiritus vero non. Filius enim accepit hominem ita, ut fieret homo; Spiritus vero sanctus non ita accepit columbam, ut fieret columba.

De hoc Augustinus in II libro *De Trinitate* [3] ita ait: « Ideo nusquam scriptum est, quod Deus Pater maior sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor [g] Patre, quia non sic est assumpta crea-

---

[a] D *ostendit.* [b] D om. [c] U *veniens.* [d] D om. *eo itaque.. factum.* [e] D om. [f] Z D add. *sanctus.* [g] V add. *sit.*

---

[1] Cap. 19, n. 26 (P L 42, 905). [2] Gal. 4, 4. [3] Cap. 6, n. 11 (P L 42, 851). Cfr. Alcuin. III. *De fide Ss Trin.* c. 8 (P L 101, 42).

tura, in qua appareret Spiritus sanctus [a], sicut assumtus est Filius hominis, in qua forma ipsius Dei Verbi persona praesentaretur, non ut haberet Verbum Dei, sicut alii Sancti sapientes, sed quod ipsum Verbum erat. Aliud est enim Verbum in carne, aliud Verbum caro, id est, aliud est Verbum in homine, aliud [b] Verbum homo. Caro enim pro homine posita est in eo quod ait [1]: *Verbum caro factum est.* Non ergo sic assumta est creatura, in qua apparuit Spiritus sanctus, sicut assumta est caro illa et humana forma ex virgine Maria. Non enim columbam vel illum flatum vel ignem illum beatificavit, sibique in unitatem personae coniunxit in aeternum ».

Ex praedictis aperte ostensum est, secundum quid Filius dicatur minor Patre, et quare Filius dicatur minor Patre, et non Spiritus sanctus.

Cap. II.

Quod Filius, secundum quod homo, non modo Patre sed Spiritu sancto minor etiam est.

141 Notandum autem, quod Filius, secundum quod homo factus est, non tantum Patre, sed Spiritu sancto et etiam se ipso minor dicitur.

Et quod etiam [c] se ipso minor dicatur secundum formam servi, Augustinus ostendit in I libro *De Trinitate* [2] dicens: « Erraverunt homines, ea quae de Christo secundum hominem dicta sunt ad eius substantiam, quae sempiterna est, transferentes, sicut illud quod ipse Dominus dicit: *Pater maior me est* [3]; quod propter formam servi Veritas dicit, secundum quem modum etiam se ipso minor est Filius. Quomodo enim non etiam se ipso minor factus est, qui *se ipsum exinanivit, formam servi accipiens* [4]? Non enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat aequalis Patri. In forma ergo Dei Unigenitus Patris aequalis est Patri. In forma servi etiam se ipso minor est. Non igitur immerito Scriptura dicit utrumque, scilicet et aequalem Patri Fi-

[a] U om. [b] D add. *est.* [c] D *autem.*

[1] Ioan. 1, 14. [2] Cap. 7, n. 14 (PL 42, 828)*. [3] Ioan. 14, 28. [4] Phil. 2, 7.

lium, et Patrem maiorem [a] Filio; illud enim propter Dei formam, hoc autem propter formam servi intelligitur ».

De hoc eodem in II libro *De Trinitate* [b] [1] ait: « Dei Filius [c] aequalis Patri secundum Dei formam, in qua est, et minor Patre secundum formam servi, quam accepit, in qua non modo [d] Patre, sed etiam Spiritu sancto, nec hoc tantum, sed etiam se ipso minor inventus est ». « Propter quam, ut idem [e] ait in libro *Contra Maximinum* [f] [2], non tantum Patre, sed etiam se ipso et Spiritu sancto minor factus est, et etiam *minoratus paulo minus ab Angelis* [3] ». « Est ergo Dei Filius, ut ipse ait in I libro *De Trinitate* [4], Deo Patri natura aequalis, habitu minor, id est [g] in forma servi, quam accepit ».

His auctoritatibus aperte ostenditur Filius secundum formam servi minor Patre et se ipso et Spiritu sancto.

Hilarius autem [h] dicere videtur, quod Pater sit maior Filio, 142
nec tamen Filius sit minor Patre. Pater enim [i] dicitur maior propter auctoritatem, quia in eo est auctoritas generationis, secundum quam dicit [5]: *Pater maior me est;* et Apostolus [6]: *Donavit ei nomen, quod est super omne nomen.* Cum ergo ait: *Pater maior me est,* hoc est ac si diceret, donavit mihi nomen [k]. « Si ergo, inquit Hilarius in libro IX *De Trinitate* [7], donantis auctoritate Pater maior est, nunquid per doni confessionem Filius minor est? Maior itaque donans est, sed minor iam non est, cui unum esse donatur; ait enim [8]: *Ego et Pater unum sumus.* Si non hoc donatur Iesu, ut [l] confitendus sit [m] in gloria Dei Patris, minor Patre est [n]. Si autem in ea gloria ei donatur esse, qua Pater est, habes et in donantis auctoritate, quia maior est, et in donati confessione, quia unum sunt. Maior itaque Pater Filio est et plane maior, cui tantum donat esse, quantus est ipse; cui innascibilitatis esse ima-

---

[a] B om. [b] Ed. et D add. *Augustinus;* Z add. *ita Augustinus.* [c] Ed. cum C D add. *est.* [d] V *tantum.* [e] D add. *Augustinus.* [f] Ed. *in epistola ad Maximum.* [g] C om. *id est.* [h] D *tamen.* [i] V *autem.* [k] B add. marg. *quod est super omne nomen.* [l] D *quod.* [m] D om. [n] D add. *Pater enim dicitur maior propter auctoritatem.*

---

[1] Cap. 1, n. 2 (PL 42, 845). [2] Potius *In epistola ad Maximum medicum,* Epist. 170 (olim. 66) n. 9 (PL 33, 750). [3] Hebr. 2, 9. [4] Cap. 7, n. 14 (PL 42, 829). [5] Ioan. 14, 28. [6] Phil. 2, 7. [7] Num. 54 (PL 10, 325). [8] Ioan. 10, 30.

ginem sacramento nativitatis impertit, quem ex se in forma sua generat». Audisti lector, quid super hoc dicat Hilarius, cuius verba, ubicumque occurrerint, diligenter nota pieque intellige.

DISTINCTIO XVII.

Cap. I.

Quod Spiritus sanctus est caritas, qua diligimus Deum et proximum.

143 Iam nunc accedamus ad assignandam missionem Spiritus sancti, qua invisibiliter mittitur in corda fidelium. Nam ipse Spiritus sanctus, qui Deus est ac tertia in Trinitate persona, ut supra ostensum est[1], a Patre et Filio ac se ipso temporaliter procedit, id est, mittitur ac donatur fidelibus. Sed quae sit ista missio sive donatio, vel quomodo fiat, considerandum est.

Hoc autem ut intelligibilius doceri ac plenius perspici valeat, praemittendum est quiddam ad hoc valde necessarium [a]. Dictum quidem est [b] supra, et sacris auctoritatibus ostensum[2], quod [c] Spiritus sanctus amor est Patris et Filii, quo se invicem amant et nos. His autem addendum est, quod ipse idem Spiritus sanctus est amor [d] sive caritas, qua nos diligimus Deum et proximum. Quae caritas [e], cum ita est in nobis, ut nos faciat diligere Deum ac proximum, tunc Spiritus sanctus dicitur mitti vel dari [f] nobis; et qui diligit ipsam dilectionem, qua diligit proximum, in eo ipso Deum diligit, quia ipsa *dilectio Deus est*[3], id est Spiritus sanctus.

144 Ne autem in re tanta aliquid de nostro influere videamur, sacris auctoritatibus quod dictum est corroboremus.

De hoc Augustinus in VIII libro *De Trinitate*[4] ait: «Qui proximum diligit, consequens est, ut ipsam praecipue dilectionem

[a] V add. *est.* [b] B om. [c] D add. *scilicet* [d] V add. *Patris.* [e] Z om. [f] A C *donari.*

[1] Dist. XV, c. 1. [2] Dist. X. [3] Ioan. 4, 8, 16. — Hic incipit Magister exponere suam sententiam, ut falsam communiter reprobatam, quae caritatem ut habitum creatum negat. [4] Cap. 7, n. 10 (P L 42, 957). Pro hoc et duobus sequentibus capitulis cfr. Paschas. Radbert. III. *De fide, spe et charitate* (P L 120, 1459 et sqq.).

diligat; *Deus* autem *dilectio est*. Consequens ergo est, ut praecipue Deum diligat ».

Item in eodem [1]: « *Deus dilectio est* [2], ut ait Ioannes Apostolus. Ut quid ergo imus et currimus in sublimia caelorum et ima terrarum, quaerentes eum qui est apud nos, si nos esse velimus apud eum »? « Nemo dicat: non novi, quid diligam. Diligat fratrem et diligat [a] eandem dilectionem. Magis enim novit dilectionem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit. Ecce iam potest [b] notiorem Deum habere quam fratrem, plane notiorem, quia praesentiorem, quia interiorem, quia certiorem. Amplectere dilectionem Deum [c] et dilectione amplectere Deum. Ipsa est dilectio, quae omnes bonos Angelos et omnes Dei servos consociat vinculo sanctitatis. Quanto igitur sanctiores [d] sumus, quanto a tumore superbiae inaniores [e], tanto sumus dilectione pleniores: et quo nisi Deo plenus est [f], qui plenus est dilectione [3] ».

His verbis satis ostendit Augustinus, quod dilectio ipsa, qua diligimus Deum vel proximum, Deus est.

Sed adhuc apertius [g] in eodem libro [4] subdit dicens: « Dilectionem fraternam [h] quantum commendet Ioannes Apostolus, attendamus. *Qui diligit,* inquit [5], *fratrem in lumine* [i] *manet, et scandalum in eo non est.* Manifestum est, quod institiae perfectionem in fratris dilectione posuerit. Nam in quo scandalum non est, utique perfectus est. Et tamen videtur, dilectionem Dei [k] tacuisse, quod nunquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum. Apertissime enim in eadem Epistola [6] paulo post dicit ita: *Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est: et omnis qui diligit, ex Deo natus est et cognovit Deum. Qui non diligit non cognovit Deum, quia Deus dilectio est.* Ista contextio satis aperte declarat, eandem ipsam fraternam dilectionem (nam fraterna dilectio est qua diligimus invicem) non solum ex Deo, sed etiam Deum esse, tanta auctoritate, scilicet Ioannis, praedicari. Cum ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus 145

---

[a] D add. *ipsam.* [b] Ed. et D *potes.* [c] U *Dei.* [d] Ed. cum A B D *saniores;* C *fortiores.* [e] Ed. cum A om.; C *saniores.* [f] D om. [g] U in marg. add. *testimonium.* [h] D add. *in.* [i] D add. *est et.* [k] B om.

---

[1] Num 11. [2] I. Ioan. 4, 16. [3] Loc. cit. et c. 8, n. 12. [4] Loc. cit. paulo infra. [5] I. Ioan. 2, 10. [6] Cap. 4, 7, 8.

fratrem [a]; nec fieri potest, ut eandem dilectionem non praecipue diligamus, qua fratrem diligimus, quoniam *Deus dilectio est* ».

Item [1]: « Qui non diligit fratrem non est in dilectione; et qui non est in dilectione non est in Deo, quia *Deus dilectio est* ».

Ecce apertissime dixit [b], fraternam dilectionem Deum esse.

Cap. II.

Quod fraterna dilectio est Deus, non Pater nec Filius, sed tantum Spiritus sanctus.

146 Cum autem fraterna dilectio sit Deus, nec Pater est, nec Filius est [c], sed tantum Spiritus sanctus, qui proprie dilectio in Trinitate vel caritas dicitur.

Unde Augustinus in libro XV *De Trinitate* [2]: « Si in donis Dei nihil maius est caritate, et nullum est [d] maius donum Dei quam Spiritus sanctus, quid consequentius est, quam ut ipse sit caritas, quae dicitur et Deus et ex Deo [e] »? « Ita enim ait Ioannes [3]: *Dilectio ex Deo est;* et paulo post: *Deus dilectio est.* Ubi manifestat, eam se dixisse dilectionem *Deum,* quam dixit *ex Deo.* Deus; ergo ex Deo est dilectio [4] ».

Item in eodem [f 5]: « Ioannes volens de hac re apertius loqui inquit [6]: *In hoc cognovimus* [g], *quia in ipso manemus et ipse* [h] *in nobis, quia de Spiritu suo* [i] *dedit nobis.* Spiritus itaque sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere et ipsum in nobis; hoc autem facit dilectio; ipse est igitur Deus dilectio; ipse ergo significatur, ubi legitur: *Deus dilectio est* ».

Ex his apparet, quod Spiritus sanctus caritas est.

Cap. III.

Quod non est dictum per causam illud: Deus est caritas, sicut illud: Tu es patientia et spes mea.

147 Sed ne forte aliquis dicat, illud dictum esse per expressionem causae: *Deus caritas est,* eo scilicet quod caritas sit ex Deo et

---

[a] V om. *de D. d. fratrem.* [b] Ed. et D *dicit.* [c] Ed. et D om. [d] U om. [e] D *quae dicitur Deus ex Deo.* [f] A C add. *Augustinus.* [g] Ed. et D *cognoscimus.* [h] D add. *est.* [i] B *sancto.*

[1] Loc. cit. [2] Cap. 19, n. 37 (PL 42, 1086). Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* ac *Sic et non* c. 24 (PL 178, 1311, 1384). [3] I. Ioan. 4, 7-8. [4] Loc. cit. c. 17, n. 31 (PL 42, 1082)*. [5] Cap. 17, n. 31. [6] Loc. cit. v. 13.

non sit ipse Deus, sicut dicitur: Deus nostra patientia [a] et spes, non quod ipse sit ista, sed quia ista ex eo [b] sunt, occurrit Augustinus ostendens, non hoc esse dictum per causam, sicut illa, in XV libro *De Trinitate* [1] ita dicens: « Non dicturi sumus, caritatem non propterea esse dictam Deum, quod ipsa caritas sit ulla [c] substantia, quae Dei digna sit nomine, sed quod donum sit Dei, sicut dictum est Deo [d 2]: *Tu es patientia mea.* Non utique ideo dictum est, quod Dei substantia est nostra patientia, sed quia ab ipso nobis est. Unde alibi [3]: *Ab ipso est patientia mea.* Hunc enim sensum facile refellit [e] Scripturarum ipsa locutio. Tale enim est: *Tu es patientia mea,* quale est: *Domine* [f] *spes mea* [4], et: *Deus meus misericordia mea* [5 g] et multa [h] similia. Non est autem [i] dictum: Domine caritas mea, aut: Tu es caritas mea, aut: Deus caritas mea; sed ita [k] dictum est [6]: *Deus caritas est,* sicut dictum est [7]: *Deus spiritus est.* Hoc qui non discernit intellectum a Domino, non expositionem a nobis quaerat; non enim apertius quidquam possumus dicere. *Deus* ergo *caritas est* ».

Ex praedictis [l] clarescit, quod Spiritus sanctus caritas est, qua diligimus Deum et proximum; unde facilius est nobis ostendere, quomodo Spiritus sanctus mittatur sive detur nobis.

Cap. IV.

Quomodo Spiritus sanctus mittatur vel detur nobis.

Tunc enim [m] mitti vel dari nobis [n] dicitur, cum ita in nobis 148
est, ut faciat nos diligere Deum et proximum, per quod manemus in Deo et Deus in nobis.

Unde Augustinus hunc missionis modum insinuans, in XV libro *De Trinitate* [8] ait: « Deus Spiritus [o] sanctus, qui procedit ex [p] Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum et proximum, et ipse dilectio est. Non enim habet homo,

---

[a] Ed. add. *est.* [b] Ed. et B *Deo.* [c] Ed. *una;* Z *illa.* [d] V *de Deo;* B *de eo.* [e] D *repellit.* [f] D *Tu es, Domine.* [g] Z et D add. *et fortitudo mea.* [h] Z add. *alia.* [i] D om. [k] Z om. [l] U add. *ergo.* [m] V *vero.* [n] Ed. om.; D add. *Spiritus sanctus.* [o] V add. *est.* [p] D *a.*

---

[1] Cap. 17, n. 27 (PL 42, 1080). [2] Psalm. 70, 5. [3] Psalm. 61, 6. [4] Psalm. 90, 9. [5] Psalm. 58, 18. [6] I. Ioan. 4, 16. [7] Ioan. 4, 24. [8] Cap. 17, n. 31.

unde Deum diligat, nisi ex Deo ». Ecce quomodo datur vel mittitur nobis [a] Spiritus sanctus, secundum quod dicitur datum sive donum.

149 Quod donum Augustinus commendat explanans apertius quomodo detur, in eodem libro [1]: « *Dilectio,* inquit, *Dei diffusa est* [b] *in cordibus nostris,* ut ait Apostolus [2], *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum est, quod dividit inter filios regni et filios perditionis. Dantur et alia per Spiritum [c] munera, sed sine caritate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuiquam Spiritus sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra [d] non transfertur ad [e] dexteram. Nec Spiritus sanctus proprie dicitur donum [f] nisi propter dilectionem, quam qui non habuerit, etsi *loquatur omnibus linguis, et habuerit prophetiam et omnem scientiam et omnem fidem, et distribuerit* [g] *substantiam suam, et tradiderit corpus suum* [h], *ut ardeat, nihil ei prodest* [3]. Quantum ergo bonum est, sine quo ad aeternam vitam neminem tanta bona perducunt? Ipsa vero dilectio vel caritas — nam unius rei nomen est utrumque — perducit ad regnum [i]. Dilectio igitur, quae ex Deo est et Deus, proprie Spiritus sanctus est, per quem *diffunditur in cordibus nostris* Deus caritas, [k] per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissime Spiritus sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum proprie quid nisi caritas intelligendum est, quae perducit ad Deum, et sine qua quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum »? Ecce hic aperitur, quod supra dictum erat [4], scilicet quod caritas sit Spiritus sanctus et donum excellentius, et quomodo hoc donum, id est Spiritus sanctus, detur nobis, scilicet cum ita impertitur alicui, id est, ita habet esse in aliquo, ut eum faciat Dei et proximi amatorem. Quod cum facit, tunc dari dicitur sive mitti alicui, et tunc ille dicitur proprie habere Spiritum sanctum.

---

[a] D om. [b] D om. [c] B add. interl. *sanctum.* [d] V B add. *ille.* [e] D *in.* [f] U add. *Dei.* [g] Ed. add. *omnem.* [h] Ed. add. *ita.* [i] D add. *caelorum.* [k] B add. *est.*

---

[1] Loc. cit. et cap. 18, n. 32. [2] Rom. 5, 5. [3] I. Cor. 13, 1. [4] Hic, cap. 1 et 2.

Cap. V.

Utrum Spiritus sanctus augeatur in homine vel minus vel magis habeatur vel detur et an detur habenti et non habenti.

Hic quaeritur, si caritas Spiritus sanctus est, cum ipsa au- 150
geatur et minuatur in homine et magis et minus per diversa tempora habeatur, utrum concedendum sit, quod Spiritus sanctus augeatur vel minuatur in homine, et magis vel minus habeatur.

Si enim in homine augetur et magis vel minus datur et habetur, mutabilis esse videtur; Deus autem omnino immutabilis [a] est. Videtur ergo, quod vel [b] Spiritus sanctus non sit caritas, vel caritas non augeatur vel minuatur in homine.

Item, caritas et non habenti datur, ut habeat, et habenti, ut plenius habeat [1]. Si ergo Spiritus sanctus [c] caritas est, et non habenti datur, ut habeat, et habenti, ut plenius habeat.

Sed quomodo datur non habenti, cum ipse, ut Deus, sit ubique 151
et in omnibus creaturis totus? Et quomodo plenius datur vel habetur sine sui mutatione?

His ita respondemus dicentes, quod Spiritus sanctus sive caritas penitus immutabilis est, nec in se augetur vel minuitur, nec in se recipit magis vel minus, sed in homine vel potius homini augetur et minuitur, et magis vel minus datur vel habetur; sicut [d] Deus dicitur magnificari et exaltari in nobis, qui tamen in se nec magnificatur nec exaltatur.

Unde Propheta [2]: *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Super quem locum ait [e] auctoritas [3]: « Deus non in se, sed in corde hominis grandescit ». Sic [f] igitur Spiritus sanctus [g] homini datur, et datus amplius datur, id est augetur, et magis ac minus habetur, et tamen immutabilis existit.

Cumque ubique sit et in omni creatura totus, sunt tamen multi, qui eum non habent. Non enim omnes Spiritum sanctum habent, in quibus est; alioquin et irrationabiles creaturae haberent Spiritum sanctum, quod fidei pietas non admittit.

---

[a] D *mutabilis non.* [b] B add. *nec.* [c] D om. [d] D *sic cum.* [e] B *habet.* [f] V *si.* [g] B add. *datur.*

---

[1] Luc. 19, 26. [2] Psalm. 63, 7, 8. [3] Scilicet Cassiodorus *Super Psalm.* 63, 6 (PL 70, 441).

152 Ut autem certius fiat quod diximus, auctoritate firmamus [a].

Quod Spiritus sanctus magis ac minus percipiatur et homini augeatur et non habenti detur, et habenti, ut plus [b] habeatur, Augustinus ostendit *Super Ioannem* [1] dicens: « Sine Spiritu sancto constat Christum nos non [c] diligere, et eius mandata servare non posse, et id nos posse atque agere tanto minus, quanto illum percipimus minus; tanto vero amplius, quanto illum percipimus amplius. Ideoque non solum non habenti, verum etiam habenti non incassum promittitur: non habenti quidem, ut habeatur, habenti autem, ut amplius habeatur. Nam si ab alio minus et ab alio amplius non haberetur, sanctus Eliseus sancto Eliae non diceret [2]: *Spiritus, qui est in te, duplo sit in me.*

153 In [d] libro Regum [e] sic [3]: *Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis, et faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus: Obsecro, ut fiat spiritus tuus duplex in me.* Quod ibidem sic exponitur: Elias spiritu prophetali et operatione miraculorum excellenter pollebat. Geminam ergo gratiam, quam Eliseus in Magistro vigere cognoscebat [f], sibi tribui rogavit. Unde patet, quod non esse discipulus super Magistrum postulavit.

154 Christo autem, qui est Dei Filius, *non ad mensuram datus est Spiritus* [g] [4]. Neque enim sine gratia Spiritus sancti est *Mediator Dei et hominum, homo Christus* [h] [5]; quod enim est unigenitus Filius aequalis [i] Patri, non est gratiae, sed naturae; quod autem in unitatem personae Unigeniti assumtus est homo, gratiae est, non naturae. Ceteris autem ad mensuram datur et datus additur, donec unicuique pro modo [k] suae perfectionis propria mensura compleatur ».

---

[a] Ita U D; ed. *confirmamus.* [b] Z *amplius.* [c] V B D om. [d] Ed. (pag. 289 nota 8) hanc notulam extra textum posuit. In codicibus autem variis modis ipsi textui innectitur. Omnes, excepto U, illa verba habent in tertia columna. In U autem, et quidem in ipso textu, sequuntur post verba *est Spiritus.* Ast super vocem *In libro* inter lineas invenies scriptum *ve* et super *postulavit* invenies *lis* (legas igitur: *velis*); deinde duplici signo indicatur hanc notam ponendam esse post verba: *duplo sit in me.* Etiam a S. Thoma in suo commentario hoc loco citatur. [e] Ed. et B add. *legitur.* [f] D *sciebat.* [g] B (interl.) et D add. *sanctus.* [h] V add. *Iesus.* [i] D add. *est.* [k] Z *modulo.*

---

[1] Tract. 74. *In Evang. Ioan.* n. 2 et 3 (P L 35, 1827). [2] IV. Reg. 2, 9. [3] Loc. cit. [4] Ioan. 3, 34. [5] I. Tim. 2, 5.

Ecce expressum habes, quod Spiritus sanctus magis et minus datur vel accipitur, et homini datus augetur, et habenti et non habenti datur, quia Spiritus sanctus est caritas, quae non habenti datur, et in habente augetur et proficit. Immo, ut verius et magis proprie loquar, homo in ea proficit et deficit aliquando; et tunc ipsa dicitur proficere [a], quae tamen nec proficit nec deficit in se, quia Deus est.

Unde Augustinus in homilia IX *Super Epistolam Ioannis* [1] ait: « Probet se quisque, quantum in illo profecerit caritas, vel potius quantum ipse in caritate profecerit. Nam si caritas Deus est, nec proficit, nec deficit. Sic ergo dicitur proficere in te caritas, quia tu in ea proficis ».

Ecce quomodo intelligendum sit, cum dicitur Spiritus sanctus augeri [b] nobis, quia nos in eo scilicet proficimus; sic et alia huiusmodi.

Cap. VI.

Quod aliqui dicunt, caritatem Dei et proximi non esse Spiritum sanctum.

Supra dictum est, quod Spiritus sanctus caritas est Patris et 155
Filii, qua se invicem diligunt et nos, et ipse idem est caritas, quae [c] diffunditur in cordibus nostris ad diligendum Deum et proximum. Horum alterum omnes catholici concedunt, scilicet quod Spiritus sanctus sit caritas Patris et Filii; quod autem ipse [d] idem sit caritas, qua diligimus Deum et proximum, a plerisque negatur. Dicunt enim: Si Spiritus sanctus caritas est Patris et Filii et nostra [e], eadem ergo caritas est, qua Deus diligit nos [f], et qua nos diligimus eum [g].

Hoc autem Sanctorum auctoritates negare videntur. Dicit enim Augustinus in libro *De spiritu et littera* [h] [2]. « Unde est dilectio, nisi unde et [i] ipsa fides, id est a Spiritu sancto? Non enim esset in nobis, nisi *diffunderetur in cordibus* [k] *per Spiritum* [3].

---

[a] Ita U V; ed. add. *vel deficere.* [b] Ed. cum Z (interl.) et D add. *in.* [c] D *qua.* [d] D om. [e] B add. *est,* quod U expunxit. [f] V om. [g] Z *Deum.* [h] D *De spiritu sancto,* pro *De sp. et litt.* [i] D *est.* [k] Ita U B; ed. add. *nostris.*

---

[1] Sive Tract. 9 *In Epist. Ioan.* n. 2 (P L 35, 2045). [2] Cap. 32, n. 56 (P L 44, 237). Cfr. Paschas. Radbert. *De fide* etc. (P L 120, 1460). [3] Rom. 5, 5.

Caritas autem Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non [a] qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos. Sicut [b] iustitia Dei dicitur, qua nos iusti eius munere efficimur; et Domini salus, qua nos salvat; et fides Christi, qua nos fideles facit ». His verbis videtur monstrari distinctio inter caritatem, qua Deus [c] diligit, et qua nos diligimus. Et sicut iustitia nostra dicitur Dei, non quod ipse sit ea iustus, sed quia ea nos iustos facit, similiter et fides et salus; sic videtur dicta caritas Dei, quae est in nobis, non quod ipse ea diligat, sed quia ea nos diligere facit.

De hoc etiam idem Augustinus in libro XV *De Trinitate* [1] ait: « Cum Ioannes commemorasset Dei dilectionem, non qua nos eum, sed qua *nos ipse dilexit, et misit Filium suum litatorem* [d] *pro peccatis nostris* [2] » etc. Ecce et hic videtur manifeste dividere dilectionem, qua nos [e] diligimus Deum, ab ea, qua ipse diligit nos. Si ergo, inquiunt, Spiritus sanctus dilectio est, qua Deus diligit, et qua nos diligimus [f], dilectio [g] est duplex, immo duo diversa est, quod absurdum et a veritate longe est. Non est ergo dilectio, qua [h] diligimus, sed qua Deus tantum diligit nos [i].

156 His respondemus praedictarum auctoritatum verba determinantes hoc modo: Caritas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua ipse diligit nos, sed qua nos diligere facit etc. Ilis verbis non dividitur nec divisa [k] ostenditur caritas, qua Deus [l] diligit, ab ea, qua nos diligimus, sed potius, cum sit una et eadem caritas et dicatur ipsa Dei caritas [m], diversis de causis et rationibus Dei caritas appellari in Scriptura ostenditur. Dicitur enim Dei caritas, vel quia ea Deus diligit nos, vel quia nos ea sui dilectores facit.

Cum ergo ab Apostolo dicitur *caritas Dei diffundi in cordibus nostris,* non est dicta caritas Dei, qua diligit nos, sed qua [n] facit nos diligere; id est, non ibi [o] appellatur caritas Dei, eo quod Deus nos ea diligit, sed eo quod nos ea sui dilectores [p] facit. Et quod ea ratione posset [q] dici caritas Dei, quia nos ea diligere facit,

---

[a] Z add. *illa.* [b] D add. *enim.* [c] Ed. cum C add. *nos.* [d] Ita U et Z (interl.); Graece ἱλασμόν; ed. *liberatorem.* [e] D om. [f] U add. *Deum scilicet.* [g] U add. *Dei.* [h] D add. *nos.* [i] V B C om. [k] Ed. cum D *diversa.* [l] Ed. add. *nos.* [m] V om. *et d. i. D. caritas.* [n] U add. interl. *ipse.* [o] D *illic.* [p] D *amatores.* [q] Ed. *possit.*

---

[1] Cap. 17, n. 31 (P L 42, 1082). [2] I. Ioan. 4, 10.

ex simili genere locutionis ostenditur [a]; sicut dicitur iustitia Dei, qua nos iustificat, et Domini salus, qua nos salvat, et fides Christi [b], qua nos fideles facit.

Similiter et aliam exponimus auctoritatem, ubi ait, dilectionem Dei commemorari, non qua nos eum, sed qua ipse dilexit nos, ac si diceret, commemorat dilectionem Dei, non secundum quod ea nos diligimus Deum, sed secundum quod ipse ea diligit nos.

Sed aliud est, inquiunt, quod magis urget. Dixit enim [c] Au- 157
gustinus supra [1], quod dilectio est a Spiritu sancto, a quo [d] fides. Sicut ergo fides non est Spiritus sanctus, a quo est, ita nec caritas. Quomodo enim caritas Spiritus sanctus est, si ab ipso est? Nam si ab ipso est, et ipse est, ergo Spiritus sanctus a se ipso est.

Ad quod dicimus: Spiritus sanctus quidem a se ipso non est, sed tamen et [e] a se ipso datur nobis, ut supra dictum est [2]. Dat enim se ipsum nobis Spiritus sanctus. Et ex hoc sensu dictum est, quod caritas ab ipso est in nobis, et tamen ipsa Spiritus sanctus est. Fides autem est a Spiritu sancto, et non est Spiritus sanctus, quia donum vel datum solummodo [f] est, non [g] Deus dans.

Alias quoque inducunt rationes [h] ad idem ostendendum, sci- 158
licet [i] quod caritas non sit Spiritus sanctus, quia caritas affectio mentis est et motus animi; Spiritus sanctus vero non est affectio animi vel motus mentis, quia Spiritus sanctus immutabilis est et increatus; non est ergo caritas.

Quod autem caritas sit affectio animi et motus mentis, auctoritatibus confirmant. Dicit enim Augustinus in III libro *De doctrina christiana* [3]: « Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum et se ac proximo propter Deum ».

Idem in libro *De moribus Ecclesiae catholicae* [4], tractans illud verbum Apostoli [5]: *Nec mors nec vita poterit nos separare a caritate Dei:* « Caritas Dei, inquit, hic [k] dicta est virtus, quae animi nostri rectissima affectio est, quae coniungit nos Deo, qua eum diligimus ». Ecce his verbis exprimitur, quod caritas est affectio [l] et motus animi, ac per hoc non videtur esse Spiritus sanctus.

---

[a] Ita UVD; ed: *ostendit.* [b] D om. [c] D om. [d] Ed. et D add. *et.* [e] Ed. cum Z om. [f] D om. [g] D add. *ipse.* [h] D add. *et auctoritates.* [i] D om. [k] D *haec* [l] D add. *mentis.*

---

[1] In principio huius cap. [2] Dist. XV. [3] Cap. 10, n. 16 (PL 34, 72). [4] Libr. I, c. 11, n. 19 (PL 32, 1319). [5] Rom. 8, 38, 39.

Ad quod dicimus, hoc ita dictum esse, sicut dicitur *Deus esse* [a] *spes nostra* [b], *et patientia nostra* [c], quia facit nos sperare et pati; ita caritas dicitur esse motus sive affectio animi, quia per eam movetur et afficitur animus ad diligendum Deum. Non autem mireris, si caritas, cum sit Spiritus sanctus, dicatur motus mentis, cum etiam in libro Sapientiae [1] dicatur de Spiritu Sapientiae, *quae* [d] *attingit a fine usque ad finem* [e], qui [f] est actus mobilis, certus, incoinquinatus. Quod non ideo dicitur, quod Sapientia sit mobile aliquid vel actus aliquis, sed quia sui immobilitate omnia attingit non locali motu, sed ut ubique semper sit, et nusquam inclusa teneatur. Sic ergo caritas dicitur motus animi, non quod ipsa [g] sit [h] motus vel affectio vel virtus animi, sed quia per eam, quasi esset virtus, afficitur mens et movetur.

159 Sed si caritas Spiritus sanctus est, *qui operatur in singulis, prout vult* [2], cum per eum mens hominis afficiatur et moveatur ad credendum vel sperandum et huiusmodi, sicut ad diligendum; quare non sic dicitur caritas motus vel affectio mentis ad credendum vel sperandum, sicut ad diligendum?

Ad quod sane dici potest, quia alios actus atque motus virtutum operatur caritas, id est Spiritus sanctus, mediantibus virtutibus, quarum actus sunt, utpote actum fidei, id est credere fide media, et actum spei, id est sperare media spe; per fidem enim et spem praedictos operatur actus. Diligendi vero actum per se tantum sine alicuius virtutis medio operatur, id est diligere; aliter ergo hunc actum operatur quam alios virtutum actus. Ideoque differenter de hoc et de aliis loquitur Scriptura, quae istum specialiter caritati tribuit; est ergo caritas vere Spiritus sanctus.

Unde Augustinus, praemissum Apostoli verbum tractans, in eodem libro [3] caritatem dicit esse bonum, quo [i] nil melius est [k], et per hoc ipsam esse Deum significat, dicens: « Si nulla res ab eius caritate nos separat, quid esse non solum melius, sed etiam certius hoc bono potest »? Ecce dicit, quia caritate nihil est melius. Caritas ergo Spiritus sanctus est, qui est Deus et donum Dei sive

---

[a] Ita UZB; ed. *est.* [b] D om. [c] Z om. [d] D *quod.* [e] D add. *fortiter.* [f] Ed. et BD *quod.* [g] D *ipse.* [h] D om. [i] B *quod.* [k] Ita U (interl.) et D; alii om.

---

[1] Cap. 8, 1; et c. 7, 22. [2] I. Cor. 12, 11. [3] *De moribus Eccl.* I. cap. 11, n. 18 (PL 32, 1319).

datum, qui dividit singulis fidelibus dona, nec ipse dividitur, sed indivisus singulis datur.

Unde Augustinus[1], ubi Ioannes dicit, *non ad mensuram Christo dari Spiritum,* ait: « Ceteris vero dividitur, non quidem ipse Spiritus [a], sed dona eius [b].

DISTINCTIO XVIII.

Cap. I.

Utrum concedendum sit, per donum dari dona.

Hic quaeritur, cum Spiritus sanctus, per quem dividuntur 160
dona, ipse sit donum, utrum concedendum sit, quod per donum dividantur ac dentur dona.

Ad quod dicimus, quia per donum, quod est Spiritus sanctus, singulis propria dividuntur, et ipsum communiter omnes boni habent.

Unde Augustinus in XV libro *De Trinitate*[2] ait: « Per donum, quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona, quae sunt quibusque propria, dividuntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, alii alia, quamvis ipsum donum, a quo cuique propria dividuntur, omnes habeant, id est Spiritum sanctum. Aperte [c] dicit, per donum dona dari [d].

Cap. II.

Utrum Spiritus sanctus eadem ratione dicatur donum, qua datum sive donatum.

Praeterea diligenter considerandum est, cum Spiritus sanctus 161
dicatur donum et datum, utrum eadem ratione utrumque nomen ei conveniat. Quod utique videri potest: Cum enim idem sit Spi-

[a] D add. *sanctus.* [b] Huic distinctioni pleraeque edd. coniungunt sequentis dist. primum capitulum scil. verba: *Hic quaeritur* usque ad *donum dona donari* inclusive. Sed codd. meliores recte hic incipiunt dist. XVIII, sicut etiam antiqui Commentatores, praesertim S. Bonaventura, S. Thomas, B. Albertus, Richardus a Mediavilla, quod apparet ex divisione textus, quam faciunt. [c] Ed. *Ecce aperte.* [d] Ed. *donari.*

[1] Tract. 74. *In Evang. Ioan.* n. 3. *Ad Ioan.* 3, 34 (PL 35, 1828).
[2] Cap. 19, n. 34 (PL 42, 1084).

ritum sanctum dari et Spiritum sanctum donari, ex eadem ratione videtur Spiritus sanctus dici datum et donum [a].

Hoc etiam videtur Augustinus significare in XV libro *De Trinitate* [1], cum ait: « Spiritus sanctus in tantum donum Dei est, in quantum datur eis quibus datur; apud se autem Deus est, etsi nemini detur ». Ecce aperte dicit, Spiritum sanctum donum appellari, quia datur. Si autem ex eo tantum appellatur donum, quia datur, non ab aeterno fuit donum, quia non datur nisi ex tempore.

Ad quod dicimus, quia Spiritus sanctus et donum dicitur et datum sive donatum; sed datum sive donatum ex eo tantum dicitur, quia datur vel donatur, quod habet tantum ex tempore. Donum vero dicitur non ex [b] eo tantum quod donetur, sed ex proprietate, quam habuit ab [c] aeterno; unde et ab aeterno fuit donum. Sempiterne enim donum fuit, non quia daretur, sed quia processit a Patre et Filio [d].

Unde Augustinus in IV libro *De Trinitate* [e 2]: « Sicut natum esse est Filio a Patre esse, ita Spiritui sancto donum Dei esse est a Patre procedere et [f] Filio ». Hic aperte ostenditur, quod Spiritus sanctus eo donum est, quod procedit a Patre et [g] Filio, sicut Filius eo est a Patre, quod natus est ab [h] eo. Non enim idem est Filio esse a Patre et Spiritui sancto, id est, non ea proprietate Filius dicitur esse a Patre, qua Spiritus sanctus. Nam Filius dicitur esse a Patre, quia genitus est [i] ab eo; Spiritus sanctus vero dicitur esse a Patre et a [k] Filio, quia Spiritus [l] est donum Patris et Filii, id est, quia procedit ab utroque. Eo enim [m] dicitur Spiritus sanctus [n] quo donum; et eo donum, quo procedens.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [3] ait: « Spiritus sanctus, qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relative dicitur, cum et ad Patrem et ad Filium refertur, quia Spiritus sanctus et Patris et Filii Spiritus est. Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine [o]; apparet

---

[a] D *donatum*. [b] V om. [c] D *ex*. [d] D om. *et Filio*. [e] Ed. et D add. *ait*. [f] Ed. et B add. *a*. [g] Ed. cum A add. *a*. [h] D *ex* et om. *est*. [i] D om. [k] D om. [l] Ita U B; ed. add. *sanctus*. [m] A B C D om. [n] V om. [o] V *homine*.

[1] Cap. 19, n. 36. Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* et II. *Introd. ad theol.* (PL 178, 1310, 1084). [2] Cap. 20, n. 29 (PL 42, 908). [3] Cap. 11, n. 12 (PL 42, 919) *.

autem, cum dicitur donum Dei: donum est enim Patris et Filii, quia [a] a Patre procedit et a Filio ». Ecce his verbis aperte ostenditur, eadem relatione dici Spiritum sanctum et donum; donum autem, quia procedit a Patre et Filio. Proprietas ergo, qua dicitur Spiritus sanctus vel donum, processio ipsa est, de qua post [1] plenius agemus cum aliis. Cum ergo ab aeterno processerit ab utroque, et ab aeterno donum fuit, non ergo Spiritus sanctus eo tantum dicitur donum, quia donatur; nam et ante fuit donum quam donaretur.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [2]: « Semper procedit Spiritus sanctus, et non ex tempore, sed ab aeternitate procedit; sed quia sic procedebat, ut esset donabile, iam donum erat, antequam esset cui daretur. Aliter enim intelligitur, cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum: nam donum potest esse etiam antequam detur; donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest ». « Sempiterne ergo Spiritus [b] est donum, temporaliter autem donatum [3] ». His verbis aperte ostenditur, quod sicut Spiritus sanctus [c] ab aeterno procedit, ita ab aeterno donum est; non quia donaretur a Patre Filio, vel a Filio Patri, sed quia ab aeterno [d] processit donabilis.

Sed quaeritur, cui donabilis: Utrum Patri et Filio, an tantum 162
nobis, qui nondum [e] eramus? Si autem non erat donabilis Patri et Filio, sed tantum nobis, et ex eo donum erat, quia sic donabilis procedebat, videtur quod Filius eadem ratione semper donum fuerit; quia processit a Patre ab aeterno, donabilis nobis in tempore. Nam et de Filio legitur [4], quod *datus est nobis*.

Ad quod dicimus, quia Spiritus sanctus nobis tantum, non Patri vel Filio, donabilis processit, sicut et nobis tantum datus est. Et Filius vere datus est nobis et ab aeterno processit a Patre, non ut donabilis tantum, sed ut genitus, qui etiam [f] donari posset [g]. Processit ergo ut genitus et donabilis; sed Spiritus sanctus non procedit ut genitus, sed tantum ut donum. Donum autem semper fuit, non solum [h] quia donabilis, sed quia ab utroque processit, et quia donabilis fuit.

---

[a] Ed. et D add. *et.* [b] Ed. et B (interl.) add. *sanctus.* [c] D om. [d] V add. *Patre.* [e] D *non.* [f] D *quoque,* pro *qui etiam.* [g] D om. [h] D om.

---

[1] Hic et dist. XXVI, XXVIII, XXIX. [2] Cap. 15, n. 16 (PL 42, 921). [3] Ibid. c. 16, n. 17. [4] Isai. 9, 6.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [a] [1]: « Eo ipso, quod daturus erat eum Deus, iam donum erat, etiam antequam daretur », et ideo donabilis; sed aliter donabilis quam Filius; nam et aliter datus et aliter processit quam Filius. Filii enim processio genitura est vel nativitas, Spiritus sancti vero processio nativitas non est; utraque vero ineffabilis est.

Cap. III.

Quod sicut Filius nascendo accepit non tantum, ut esset Filius, sed etiam essentia, ita Spiritus sanctus procedendo accepit non tantum, ut esset donum, sed ut esset essentia.

163 Et notandum, quod [b] sicut Filius nascendo accepit non tantum, ut Filius sit, sed omnino ut sit, et ut ipsa substantia sit; ita et Spiritus sanctus a Patre et Filio procedendo accepit non tantum, ut Spiritus sanctus [c] sit vel donum, sed etiam, ut omnino sit, et ut [d] substantia sit; quod utique non accepit ex [e] eo quo datur. Nam cum non detur nisi ex tempore, si hoc haberet eo quo datur, accepisset ergo [f] ex tempore, ut esset.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [g] [2]: « Filius non hoc tantum habet nascendo, ut sit Filius, sed omnino ut sit. Quaeritur ergo, utrum Spiritus sanctus eo quo datur, habeat non tantum, ut donum sit, sed omnino ut sit. Quod si non est, nisi quia datur, id est, si non habet esse, nisi [h] eo quo datur, sicut Filius nascendo habet non tantum, ut sit Filius, quod relative dicitur, sed omnino ut sit ipsa substantia, quomodo iam Spiritus sanctus [i] erat ipsa substantia, cum non prius daretur, quam esset cui daretur »? Non ergo eo quo datur, sed procedendo habet, ut sit donum, et ut sit essentia; sicut Filius non eo quo [k] datus est, sed nascendo accepit non tantum, ut sit Filius, sed ut sit essentia.

Unde Augustinus in XV libro *De Trinitate* [3] ait: « Sicut Filio praestat essentiam sine initio temporis, sine [l] mutabilitate naturae de Patre generatio, ita Spiritui sancto praestat essen-

---

[a] Ed. add. *ait.* [b] D om. [c] D om. [d] D add. *ipsa.* [e] Ita U V; ed. om. [f] D *utique.* [g] Ed. cum A C D add. *ait.* [h] D add. *ex.* [i] D om. [k] Ed. cum A *quod.* [l] Ed. add. *ulla*, quod in U est interl., V B D om.

---

[1] Cap. 15, n. 16; et II. *Contra Maximinum* c. 14, n. 1 (PL 42, 779)*. [2] Cap. 15, n. 16*. [3] Cap. 26, n. 47 (PL 42, 1094).

tiam sine ullo initio temporis, sine ulla [a] mutabilitate naturae de utroque processio ».

Hic oritur quaestio [b]: Si Filius nascendo habet non tantum, ut 164
sit Filius, sed ut sit essentia, et Spiritus sanctus procedendo non tantum, ut sit donum, sed ut sit essentia, ergo et Filius nativitate essentia est, et Spiritus sanctus processione essentia est; cum alibi dicatur, quod nec Pater eo Pater est, quo Deus, nec Filius eo Filius, quo Deus, nec Spiritus sanctus eo [c] donum, quo Deus; quia, ut Augustinus ait in VII libro *De Trinitate* [1], « his nominibus relativa eorum ostenduntur, non essentia »; unde [d] post plenius agemus [2].

Ad quod breviter respondentes dicimus, quia nec Filius nativitate essentia est, sed tantum Filius; nec Spiritus sanctus processione essentia est, sed tantum donum; et tamen uterque, et ille nascendo, et iste procedendo, accepit, ut esset essentia.

« Non enim, ut ait Hilarius in V libro *De Trinitate* [3], per defectionem, aut protensionem, aut derivationem ex [e] Deo Deus est, sed ex virtute naturae in naturam eandem nativitate subsistit Filius », et ex virtute naturae in naturam eandem processione subsistit Spiritus sanctus.

Quod ita intelligi potest: Ex Patre, qui est virtus ingenita, naturam, quam habet eandem Filius nativitate, id est nascendo, et Spiritus sanctus processione, id est procedendo, habet. Unde ipse idem apertius eloquens, quod dixerat aperit, subdens [4]: « Nativitas, inquit, Dei non potest non eam, de qua profecta est, tenere naturam; non enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde quam de Deo subsistit ». Ecce his verbis aperitur, quomodo accipiendum sit illud [5]: « De Patre generatio praestat essentiam Filio, et de [f] utroque processio praestat essentiam Spiritui sancto »; non quia ille essentia sit Filius, et iste essentia sit [g] Spiritus sanctus, immo proprietate personali, sed quia et ille nascendo, et iste procedendo, essentiam habet eandem et totam, quae in Patre est.

---

[a] D om. [b] D *quaeritur*, pro *oritur quaestio*. [c] D add. *Spiritus sanctus vel*. [d] D *ut*. [e] D *de*. [f] V add. *quo*. [g] V om.

---

[1] Cap. 2, n. 3 (PL 42, 936)*. [2] Dist. XXVI, XXVII, XXIX. [3] Num. 37 (PL 10, 154). [4] Loc. cit.*. [5] Scil. August., libr. XV *De Trin.* c. 26, n. 47 (PL 42, 1079).

Cap. IV.

Quod Spiritus sanctus dicitur donum et donatum, secundum duos modos praedictos processionis, qui, secundum quod donum est, refertur ad Patrem [*et Filium*], *secundum quod datum, ad eum qui dedit et ad eos quibus datur.*

165 Ex praedictis patet, quod Spiritus sanctus sempiterne donum est et temporaliter datum vel donatum. Ex quo apparet illa distinctio geminae processionis, de qua supra egimus [1]. Nam secundum alteram processionem dicitur donatum vel datum, secundum alteram vero dicitur donum.

Et secundum hoc, quod sempiterne donum est, refertur ad Patrem et Filium; secundum hoc vero, quod dicitur datum vel donatum, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus datur [a]; et eius dicitur esse qui dat, et illorum [b] quibus datur.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [2] ait [c]: « Quod datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit. Itaque Spiritus sanctus non tantum Patris et Filii, qui dederunt, sed etiam noster dicitur, qui accepimus. Spiritus [d] ergo et Dei est, qui dedit, et noster, qui accepimus; non ille spiritus noster, quo sumus, quia ipse *spiritus* est *hominis qui in ipso est* [3]; quamvis et illum spiritum, qui hominis dicitur, utique accepimus; sed [e] aliter iste, aliter ille noster dicitur. Aliud [f] est enim quod accepimus, ut essemus, aliud quod accepimus, ut sancti essemus.

Quod autem Spiritus sanctus noster dicatur, Scriptura ostendit. Scriptum est enim de Ioanne, quod *in spiritu Eliae* veniret [4]. Ecce dictus est Eliae spiritus, scilicet [g] Spiritus sanctus, quem accepit Elias. Et Moysi ait Dominus [5]: *Tollam de spiritu tuo et dabo eis*, id est, dabo illis de Spiritu sancto, quem iam tibi dedi ». Ecce et hic dictus est spiritus Moysi. Patet igitur, quia Spiritus sanctus noster dicitur spiritus [h], scilicet [i] quia nobis datus, et datus [k]

---

[a] D *dedit.* [b] D om. [c] D om. [d] D om. [e] V *sic.* [f] V *aliter.* [g] B *sed;* D om. [h] C add. *non quod sumus.* [i] V B C *sed.* [k] D *datur.*

---

[1] Dist. XIV. [2] Cap. 14, n. 15 (P L 42, 921). Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* et II. *Introd. ad theol.* (P L 178, 1310, 1083). [3] I. Cor. 2, 11. [4] Luc. 1, 17. [5] Num. 11, 17.

utique ad hoc, ut sancti essemus; Spiritus vero creatus ad hoc est datus, ut essemus.

Cap. V.

An Filius, cum sit nobis datus, possit dici noster, ut Spiritus sanctus.

Hic quaeritur [a], utrum et Filius, cum sit nobis datus, dicatur 166
vel possit dici noster.

Ad quod dicimus, quia Filius dicitur noster panis, noster redemptor et huiusmodi; sed non dicitur noster Filius, quia Filius dicitur relative tantum ad illum [b] qui genuit. Et ideo non potest dici noster Filius, sed Patris tantum. In eo autem quod dicitur datus, et ad eum qui dedit, et ad eos quibus datus est, refertur, ut Spiritus sanctus; qui etiam cum in Scriptura, ut praedictum est, dicatur spiritus noster, vel spiritus tuus, vel illius, ut de Moyse et Elia dictum est, nusquam tamen in Scriptura occurrit ita dici: Spiritus sanctus noster, vel tuus spiritus [c], vel illius, sed spiritus [d] noster, vel tuus [e], vel illius, quia Spiritus sanctus eo dicitur quo donum, et utrumque relative dicitur ad Patrem et ad [f] Filium, et hoc sempiterna relatione. Si tamen aliquando dicitur donum nostrum, accipitur donum pro donato vel dato. Cum vero donum accipitur eo modo, quo Spiritus sanctus donum tantum Patris et Filii dicitur, non hominis, ita et Filius sub hac appellatione non potest dici noster, ut dicatur Filius noster [g], sicut nec dicitur Spiritus sanctus noster; et tamen de Filio dicitur panis noster, et de Spiritu [h], spiritus noster. Ille noster panis, quia nos reficit nobis datus; iste noster spiritus, quia nobis inspiratur a Patre et Filio, et in [i] nobis spirat, sicut vult.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [1] ait: « Quod de Patre natum est, ad Patrem solum refertur, cum dicitur Filius; et ideo Filius [k] Patris est, et non noster. Dicimus tamen et *panem nostrum da nobis* [2], sicut dicimus, spiritum nostrum ».

---

[a] D add. *cum*. [b] Ed. *eum*. [c] Ed. cum Z D om. [d] B add. *sanctus*. [e] B add. *Spiritus*. [f] Z B D om. [g] B om. *ut. d. F. noster*. [h] B (interl.) D add. *sancto*. [i] D om. [k] B expunxit.

---

[1] Cap. 14, n. 15 (PL 42, 921)*. [2] Matth. 6, 11, et Luc. 11, 3.

Cap. VI

Utrum Spiritus sanctus ad se ipsum referatur.

167 Post haec quaeritur [a], utrum Spiritus sanctus ad se ipsum referatur. Hoc enim videtur ex praedictis posse probari: Si enim quod datur refertur ad eum qui dat, et ad eum cui datur, et Spiritus sanctus datur a se ipso, ut praedictum est, ergo refertur ad se ipsum.

Huius quaestionis determinationem in posterum differimus, donec tractemus de his quae relative dicuntur de Deo ex tempore [1], in quibus datum et donatum continentur.

DISTINCTIO XIX.

Cap. I.

De aequalitate trium personarum.

168 Nunc postquam coaeternitatem trium personarum pro modico [b] facultatis nostrae insinuavimus, iam de earundem aequalitate aliquid eloqui superest.

Fides enim catholica sicut coaeternas, ita et coaequales tres personas asserit. Aequalis est enim in omnibus Patri Filius, et Patri et Filio Spiritus sanctus; quia ut [c] Augustinus in libro *De fide ad Petrum* [2], breviter aperiens quomodo intelligatur aequalitas, docet: « Nullus horum alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate; quia nec Filio nec Spiritu sancto, quantum ad naturae divinae unitatem pertinet, aut anterior aut maior est Pater, nec Filius Spiritu sancto. Aeternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patris natura extitit [d], et aeternum ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de natura Patris Filiique procedit. Ob hoc ergo tres unum recte credimus et dicimus Deum, quia una prorsus aeternitas, una immensitas, una naturaliter trium personarum est [e] divinitas ».

---

[a] D *quaerendum est.* [b] Ed. cum B *modulo.* [c] Ita U Z; alii codd. add. *ait.* [d] Ita U V Z; ed. *existit.* [e] U om.

---

[1] Dist. XXX. [2] Cap. 1, n. 4 (PL 40, 754); cfr. August., VI. *De Trinitate* c. 5, n. 7 (PL 42, 928); Abael. IV. *Theol.* (PL 178, 1265)

Ecce breviter assignavit Augustinus, in quo trium personarum consistat aequalitas, scilicet quia alia aliam non excellit aut aeternitate aut magnitudine aut potestate.

Cap. II.

Quod aeternitas et magnitudo et potentia in Deo est unum, etsi videantur diversa.

Cumque enumerentur ista quasi diversa, in Deo tamen unum 169
et idem sunt, scilicet essentia divina simplex et incommutabilis.

Unde Augustinus in VII libro *De Trinitate* [a] [1]: « Non alio magnus, alio Deus est, sed eo magnus, quo Deus; quia non aliud illi est magnum esse, aliud Deum esse. Eadem quippe eius magnitudo [b], quae virtus, et eadem essentia, quae magnitudo ». Pater igitur et Filius simul una essentia et una magnitudo.

Ita etiam et potentia Dei essentia divina est. Unde Augustinus in VII libro *Confessionum* [2]: « Voluntas et potentia Dei Deus ipse est ».

Aeternitas quoque Dei essentia divina est. Quod Augustinus ostendit super illum locum Psalmi [3]: *In generationem et generationem* [c] *anni tui,* dicens [d]: « Est generatio generationum, quae non transit, collecta de omnibus generationibus, id est sancti [e]. In illa erunt anni Dei, qui non transeunt, id est aeternitas Dei; non enim aliud sunt anni Dei, aliud ipse, sed anni Dei aeternitas Dei est. Aeternitas vero ipsa Dei substantia est, nihil habens mutabile ».

Inconcusse igitur teneamus, quod unum idemque est, id est [f] 170
essentia divina, Dei aeternitas, potentia, magnitudo; et tamen consuevit Scriptura haec et his similia quasi distincta ponere. In his ergo verbis aequalitatem trium personarum breviter complexus est Augustinus, « quia alius alium nec aeternitate nec magnitudine nec potentia superat ». Quod autem aeternitate aliqua trium personarum aliam non excedat, supra ostensum est [4], ubi coaeternitas trium personarum insinuata est.

---

[a] V add. *ait.* [b] Ita U V D; ed. add. *est.* [c] B D *generationum,* omisso *et.* [d] V om. *In g. e. g. a. t. dicens.* [e] Ed. *sanctis.* [f] Ita U; ed. *scilicet;* B D om. *id est.*

---

[1] Cap. 1, n. 1 (P L 42, 933). [2] Cap. 4, n. 6 (P L 32, 736). [3] Psalm. 101, 25; Augustini *Enarrat.* serm. 2, n. 10 (P L 37, 1311)*. [4] Dist. IX.

Cap. III.

Quod aliqua personarum aliam non excedit magnitudine, quia non est maior una persona quam alia, nec maius aliquid duae quam una, nec tres quam duae vel una.

171 Nunc igitur superest ostendere, quod magnitudine vel potentia alius alium non excedat; et prius de magnitudine videamus.

Sciendum est igitur, quia Pater non est maior Filio, nec Pater vel Filius [a] maior Spiritu sancto, nec maius aliquid duae personae simul [b] sunt quam una, nec tres simul maius aliquid quam [c] duae, nec maior est essentia in tribus quam in duabus, nec in duabus quam in una, quia tota est in singulis [1].

Unde Ioannes Damascenus [2] ait: « Confitemur Deitatis naturam omnem perfecte esse in singula suarum hypostaseon, id est personarum: omnem in Patre, omnem in Filio, omnem in Spiritu sancto. Ideoque perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus sanctus ».

Cap. IV.

Quo modo dicitur Pater esse in Filio et Filius in Patre et Spiritus sanctus in utroque.

172 Et inde est, quod Pater dicitur esse in Filio et Filius in Patre et Spiritus sanctus in utroque et singulus [d] in singulis.

Unde Augustinus in libro *De fide ad Petrum* [3]: « Propter unitatem naturalem [e] totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, totus [f] quoque Spiritus sanctus in Patre et Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est propter naturae divinae unitatem ». Ecce hic aperit aliquatenus — non enim plene potest tantum ab homine reserari arcanum — ex qua intelligentia dicatur singula personarum tota esse in aliis.

---

[a] D add. *est.* [b] D om. [c] D add. *una vel.* [d] D *singuli.* [e] V *naturae.* [f] U *totusque,* et om. *quoque.*

---

[1] *De fide orthodoxa,* libr. III, c. 6 (PGL 94, 1003). Cfr. Abael. II. *Introd. ad theol.* c. 10 (PL 178, 1057). [2] Libr. VI *De Trinitate,* c. 10, n. 12, vel etiam c. 8, n. 9 (PL 42, 929 et sqq.). [3] Cap. 1, n. 4 (PL 40, 754).

Unde etiam Hilarius ista interius perquirens in libro III *De Trinitate* [1] ait: « Affert plerisque obscuritatem sermo Domini, cum dicit [2]: *Ego in Patre, et Pater in me est;* nec immerito. Natura enim intelligentiae humanae rationem dicti huius non capit, nec exemplum aliquod rebus divinis comparatio humana praestabit; sed quod inintelligibile [a] est homini, Deo esse possibile est. Cognoscendum itaque atque intelligendum est, quid sit illud: *Ego in Patre, et Pater in me est;* si tamen comprehendere hoc ita ut est valebimus, ut quod natura rerum pati non posse aestimatur, id divinae veritatis ratio consequatur ». « Patrem ergo in Filio et Filium in Patre esse, plenitudo in utroque divinitatis perfecta est [3] »; « quia plenitudo deitatis [b] in Filio. Quod in Patre est, hoc et in Filio est; quod in Ingenito [c], hoc [d] in Genito; alter ab altero et uterque unum [4] »: « is scilicet qui est, nihil habens quod non sit etiam [e] in eo, a quo est [5] »; « non duo [f] unus, sed alius in alio, quia non aliud in [g] utroque [6] »; « ut unum sint in fide nostra uterque, non unus; nec eundem utrumque, nec aliud confitemur; quia Deum ex Deo natum, nec eundem nativitas, nec aliud esse permittit [7] ». « Eandem igitur in utroque et virtutis similitudinem et deitatis plenitudinem confitemur, quia Veritas dicit [8]: *Ego in Patre et Pater in me est.* Omnia enim Filius accepit a Patre [9] ». « Nam si partem eiusdem, qui genuit, accepit, neuter ergo perfectus est [h]; deest enim ei unde decessit, nec plenitudo in eo erit, qui ex portione constiterit. Neuter ergo perfectus est, si plenitudinem suam et qui genuit amittit, nec qui natus est consequitur [10] ».

« Fateamur ergo, quod Pater est in Filio, et Filius in Patre, 173
Deus in Deo », ut idem Hilarius ait in VII libro *De Trinitate* [11], « non per duplicem convenientium generum [i] coniunctionem, nec per insitivam capacioris substantiae naturam, sed per naturae unitam similitudinem, per nativitatem viventis naturae ex vivente natura [k]; dum res non differt, dum naturam Dei non degenerat na-

---

[a] V *intelligibile.* [b] Ed. add. *est.* [c] Ed. et D add. *est.* [d] D add. *est et.* [e] B om. [f] C add. *sunt;* D *dico.* [g] V *alius ab.* [h] D om. [i] D *naturarum.* [k] D om.

---

[1] Num. 1 (PL 10, 76). [2] Ioan. 14, 11. [3] Ibid. n. 23. [4] Ibid. n. 4. [5] Ibid. n. 23. [6] Ibid. n. 4. [7] Libr. I, n. 17 (PL 10, 37). [8] Ioan. 14, 11. [9] Libr. III, n. 23 (PL 10, 92). [10] Libr. III, n. 8. [11] Num. 39; sed verba: « per naturae unitam similitudinem », sumta sunt ex n. 37 (PL 10, 232).

tivitas, dum non aliud aliquid ex Deo quam Deus nascitur, dum nihil in his novum est, nihil alienum, nihil separabile ».

Ecce his verbis, prout humana permittit infirmitas [a], ex quo sensu Christus dixerit, se esse in Patre et Patrem in se, ex eodem etiam sensu intelligitur Spiritus sanctus esse in utroque et singula personarum in singulis; quia scilicet in singulis est eadem plenitudo divinitatis et unita [b] similitudo naturae; quia non est maior natura divina in aliqua harum personarum, sed unius et indifferentis naturae sunt hae tres personae. Ideoque altera in altera esse dicitur, ut praedictum [c] est.

Unde Ambrosius [1] praedictorum verborum sententiam nobis aperiens *Super Epistolam secundam ad Corinthios* [d] ait: « Per hoc intelligitur Pater esse in Filio et Filius in Patre, quia una est eorum substantia. Ibi est enim unitas, ubi nulla est diversitas ».

Ecce tribus [e] illustrium virorum testimoniis, scilicet Augustini, Hilarii atque Ambrosii, in idem concurrentibus, revelatione Spiritus sancti in eis loquentis, pie credere volentibus ostenditur — tamen quasi *per speculum et in aenigmate* [2] — qualiter accipiendum sit, cum dicitur Pater in Filio esse, vel Filius in Patre, vel Spiritus sanctus [f] in utroque.

Sed iam nunc ad propositum redeamus coeptoque insistamus ostendentes, quod magnitudine nulla trium personarum aliam superat, quia nulla maior aliis, nec [g] maius aliquid sunt duae quam una, nec tres quam duae, nec maior Deus [h] quam singuli eorum; quia singulus eorum [i] perfectus est, nec est quo crescat illa perfectio [3].

---

[a] Ita U V; ed. add. *intelligi potest.* [b] V *una.* [c] Z *supradictum.* [d] Ed. add. *quinto.* [e] Z *trium.* [f] D om. [g] D add. *aliud sunt nec.* [h] U *maius duo.* [i] Ed. et B *illorum.*

---

[1] Vel potius Ambrosiaster, ut communiter citatur, qui, teste Augustino, est quidam Hilarius, non Pictaviensis, sed quidam diaconus Romanus, ut videtur, auctor *Commentarii in XII Epistolas beati Pauli* (in appendice Operum Ambrosii). Contra eundem S. Hieronymus *in Dialogo seu Altercatione contra Luciferianos* n. 26, scripsisse fertur (P L 23, 180). De controversia circa nomen illius qui « Ambrosiaster » dicitur, vide G. Morin O. S. B. *Revue d'hist. et de littérat. relig.* IV (1899), pag. 97-121; *Revue Bénédict.* XX (1903), pag. 113-124 et *Etudes, textes, découvertes,* pag. 8. — Locus Apostoli hic explicatus est II. Cor. 5, 19 (P L 17, 297). [2] I. Cor. 13, 12. [3] August. libr. VI. *De Trin.* c. 8, n. 9 et c. 10, n. 12 (P L 42, 928 et seqq.); Hugo, *Sum. Sent.* c. 8 (P L 176 55).

Cap. V.

Quod nulla personarum pars est in Trinitate.

Nec est aliqua trium personarum pars Dei vel divinae essen- 174
tiae, quia singula harum verus et plenus Deus est, et tota et plena divina essentia est; et ideo nulla istarum in Trinitate pars est.

Unde Augustinus in libro II *Contra Maximinum* [1] haereticum sic ait: « Putas, Deum Patrem cum Filio et Spiritu sancto unum Deum esse non posse; times enim, ne Pater sit pars unius Dei, qui constet ex tribus. Noli hoc timere, nulla enim fit partium in deitatis unitate divisio: unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, id est [a] ipsa Trinitas unus est Deus. Ergo, inquis, Deus Pater est pars Dei; absit [b] ».

Cap. VI.

Quare tres personae dicantur summe unum.

« Tres enim personae sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus [c], 175
et hi tres, quia unius substantiae sunt, unum sunt et summe unum sunt, ubi nulla naturarum, nulla est [d] diversitas voluntatum. Si enim natura unum essent, et consensione non essent, non summe unum essent; si vero [e] natura dispares essent, unum non essent. Hi ergo tres, qui [f] unum sunt propter ineffabilem coniunctionem Deitatis, qua ineffabiliter copulantur, unus Deus est. Pars ergo Trinitatis [g] esse non potest quicumque unus in tribus [h]. In Trinitate igitur quae Deus est, et Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, et simul hi tres unus Deus; nec huius Trinitatis tertia pars est unus, nec maius aliquid [i] duo quam unus est ibi [k], nec maius aliquid sunt omnes quam singuli, quia spiritualis, non corporalis est [l] magnitudo. *Qui potest capere, capiat* [2]; qui autem [m] non potest, credat et oret, ut quod credit intelligat.

---

[a] B *et,* pro *id est.* [b] D om. *id est i. T... absit.* [c] D om. *Tres enim... sanctus.* [d] D om. [e] D *enim.* [f] Ed. *quia.* [g] D *in Trinitate.* [h] D add. *est.* [i] D add. *sunt.* [k] D om. *est ibi.* [l] V B add. *illa.* [m] D om.

---

[1] Cap. 10, n. 1 (P L 42, 764). Cfr. Hugo, II. *De Sacram.* n. 1, c. 4 (P L 176, 376), et Abael. IV. *Theol. christ.* ac II. *Introd.* c. 10 (P L 178, 1264, 1058).
[2] Matth. 19, 12.

Verum est enim quod per Prophetam dicitur [1]: *Nisi credideritis, non intelligetis* [2] ». His verbis aperte ostendit indifferentem magnitudinem trium personarum.

Item in eodem [3]: « Tu nempe dixisti, unum Deum non ex partibus esse compositum; et hoc de Patre [a] vis intelligi. Ille, inquis, virtus est ingenita, simplex. Et tamen in hac simplici virtute multa videris commemorare, cum dicis: Deus Deum genuit, bonus bonum genuit, sapiens sapientem, clemens clementem, potens potentem. Numquid ergo bonitas et sapientia et clementia et potentia partes sunt unius virtutis, quam simplicem esse dixisti? Si dixeris, partes sunt, simplex ergo virtus ex partibus constat. Et simplex ista virtus, te definiente [b], unus est Deus; ergo Deum ex partibus compositum esse dicis. Non dico, inquis, non sunt ergo partes. Si ergo in una persona Patris et illa invenis quae plura videntur, et partes non invenis quia una virtus simplex est; quanto magis Pater et Filius et Spiritus sanctus [c] et propter individuam deitatem unus Deus [d], et propter uniuscuiusque proprietatem tres personae sunt, et propter singulorum perfectionem partes unius Dei non sunt [e]. Virtus est Pater, virtus est Filius, virtus est Spiritus sanctus. Hoc verum dicis; sed quod virtutem de virtute genitam et virtutem de virtute procedentem non vis eandem habere naturam, hoc falsum dicis, hoc contra fidem rectam et catholicam dicis ». His verbis aperte docetur, quod tres illae personae non sunt partes Dei vel divinae essentiae, nullaque earum [f] Trinitatis pars dicenda est nec una maior aliis.

Cap. VII.

Cum dicimus, tres personas esse unam essentiam, nec ut genus de speciebus nec ut speciem de individuis praedicamus, quia non est essentia genus, et persona species, vel essentia species, et personae individua.

176 Hic adiiciendum est, quod tanta est aequalitas trium personarum atque indifferens magnitudo, quod cum dicamus, tres perso-

[a] Ed. add. *tantum.* [b] V *deficiente.* [c] D om. [d] Ed. cum Z D add. *est.* [e] D add. *ideo.* [f] Ed. *illarum;* A *harum.*

[1] Isai 7, 9. [2] Aug. loc. cit. n. 2. Pro hoc et sequenti cap. cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 8, et II. *De Sacram.* p. 1, c. 4 (P L 176, 55, 376, 377). [3] Ibid. n. 3.

nas unam esse essentiam vel substantiam, neque ut genus de speciebus, neque ut speciem [a] de individuis praedicamus. Non enim essentia divina genus est et tres personae species, vel essentia divina species et tres personae individua [b].

Quod Augustinus rationibus probabilibus atque irrefragabilibus aperte demonstrat in libro VII *De Trinitate* [1] ita dicens: « Si essentia [c] genus est, species autem persona, ut nonnulli sentiunt, oportet appellari tres substantias, ut appellantur tres personae; sicut cum sit animal genus et equus species, appellantur tres equi, iidemque tria animalia. Non enim species ibi pluraliter dicitur et genus singulariter, ut si diceretur, tres equi sunt unum animal; sed sicut tres equi speciali nomine, ita tria animalia nomine generali dicuntur ». Cum ergo tres personas unam fateamur [d] esse essentiam, non tres essentias, cum tres equi tria animalia dicantur, non unum: patet, nomine essentiae non significari genus, nec nomine personae speciem.

« Si vero dicunt, nomine personae non speciem significari, 177
sed aliquid singulare atque individuum, et nomine essentiae speciem intelligi, ut persona non dicatur sicut homo, sed quomodo dicitur hic homo, velut Abraham, Isaac et Iacob vel quis alius, qui etiam digito praesens demonstrari possit; sic quoque illos eadem ratio [e] confutabit. Sicut enim dicuntur Abraham, Isaac et Iacob tria individua, ita tres homines et tria animalia. Cur ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus, si secundum genus et speciem et individuum ista disserimus, non ita dicuntur tres essentiae, ut tres personae [2] »?

Alio quoque modo idem probat Augustinus, scilicet quod 178
essentia divina non est genus, nec personae species, vel essentia non est species, nec personae individua. « Una, inquit [3], essentia non habet species, sicut unum animal non habet species [f]; Pater ergo et Filius et Spiritus sanctus non sunt tres species [g] unius essentiae; divina ergo essentia genus non est. Sed nec species est [h] essentia divina et personae individua, sicut homo species est,

---

[a] V *species.* [b] V *individuae.* [c] B add. *divina.* [d] D *confiteamur.* [e] V B *ratione.* [f] Ed. et B add. *unius essentiae.* [g] V *personae.* [h] D om.

---

[1] Cap. 6, n. 11 (P L 42, 943) *. Cfr. Abael. *Sic et non*, c. 8, ac II. *Introd. ad theol.* c. 10 (P L 178, 1360, 1057). [2] Loc. cit. immediate post. [3] Loc. cit. parum infra *.

individua autem Abraham, Isaac et Iacob. Si enim essentia species est, ut homo, sicut non dicitur unus homo esse Abraham, Isaac et Iacob, ita non dicetur una essentia esse tres personae. Non itaque secundum genus et species ista dicimus ».

Cap. VIII.

Quod nec secundum materialem causam dicuntur tres personae una essentia.

179 Notandum etiam, quod essentia divina non est materia trium personarum, ut Augustinus in eodem libro [a] [1] docet, « tanquam [b] secundum communem eandemque materiam tres personae dicantur esse una essentia, sicut ex eodem auro, si fierent tres statuae, diceremus tres statuas unum aurum. Non autem sic Trinitatem, id est tres personas, dicimus unam essentiam et unum Deum, tanquam ex una materia tria quaedam subsistant. In statuis enim aequalibus plus auri est tres simul quam singulae, et minus auri est una quam duae. In illa vero essentia Trinitatis nullo modo ita est ». Non ergo secundum materialem causam tres personas unam dicimus esse essentiam, sicut tres statuae dicuntur unum aurum.

Cap. IX.

Nec ita dicuntur tres personae una essentia, ut tres homines [una natura vel] unius naturae.

180 His quoque addendum [c] est, quod tres personas non ita dicimus esse [d] unam [e] essentiam, ut Augustinus in eodem [2] ait, vel unius essentiae, « sicut dicimus, aliquos tres homines eiusdem sexus et eiusdem temperationis corporis eiusdemque animi unam esse naturam vel unius [f] naturae. Nam in his rebus non tantum est [g] unus homo, quantum tres homines simul, et plus aliquid sunt homines duo quam unus homo, sicut et in statuis esse diximus; at in

---

[a] D om. [b] V *quamquam;* D add. *etiam.* [c] B D *adiiciendum.* [d] V om. [e] D *in se.* [f] D *eiusdem.* [g] V om.

---

[1] Loc. cit. immediate post. Cfr. Abael. II. *Introd. ad theol.* c. 14 et 15 (P L 178, 1073). [2] Ibid. Cfr. Hugo, II. *De Sacram.* p. 1, c. 4 (P L 176, 377), et Abael. *Sic et non* c. 8; IV. *Theol. christ.; Introd. ad theol.* c. 10 (P L 178, 1360, 1265, 1057).

Deo non ita est. Non enim maior essentia est Pater et Filius simul quam solus Pater vel solus Filius, sed tres simul illae personae aequales sunt singulis ».

Ex praemissis patet, quod tres personae [a] dicuntur divina essentia nec secundum materialem causam, ut tres statuae unum aurum, nec secundum complexionis similitudinem, ut tres homines unius naturae, nec ut genus praedicatur de speciebus, vel ut species de individuis, id est continens de contentis, maius de minoribus.

His autem videntur adversari ea [b] quae quidam Scripturae 181
sacrae tractatores catholici in suis scriptis [c] tradiderunt, in quibus significare videntur, quod essentia divina sit quoddam commune et universale, velut species; tres vero personae sint tria particularia, tria individua numero differentia.

Unde Ioannes Damascenus, inter Graecorum doctores magnus, in libro quem *De Trinitate* scripsit [1], quem et papa Eugenius transferri fecit, ait: « Communia et universalia praedicantur de subiectis sibi ipsis particularibus. Commune igitur substantia est, particulare vero hypostasis, id est persona. Particulare autem dicitur, non quoniam partem naturae [d] habet, sed particulare numero, ut atomus, id est individuum. Numero enim et non natura differre dicuntur hypostases ».

Item in eodem [2]: « Substantia significat communem et circumplectivam [e] speciem homoideon, id est similium specie hypostaseon, id est personarum, ut puta Deus, homo; hypostasis autem individuum demonstrat, scilicet [f] Patrem, Filium et Spiritum sanctum, Petrum, Paulum et huiusmodi ». Ecce aperte dicit, substan-

---

[a] D add. *sunt una et.* [b] Ita U A C; ed. om. [c] V *scripturis.* [d] V om. [e] V *circumspectivam.* [f] Ed. *id est.*

---

[1] Libr. III *De fide orthodoxa* c. 6 (P G L 94, 1002), secundum versionem a Burgundione Pisano iussu Eugenii III. factam et a Ioanne Conon valde impugnatam, qua tamen antiqui Scholastici saec. 13 post Lombardum utebantur. Teste Fabricio (*Biblioth. Graec.* tom. 9) numquam typis impressa est. Subiicimus Damasceni verba iuxta versionem Mich. Lequien Ord. Praed. (ed. Migne P G L 94, 1002): « Quae communia et universalia sunt de particularibus sibi subiectis praedicantur. Commune porro quoddam est essentia, ut species; particulare persona. Particulare, inquam, non quod naturae partem quandam sibi vindicet, sed quia numero particulare est, ut individuum. Personae siquidem non natura, sed numero inter se distingui dicuntur ». [2] Cap. 4.

tiam esse universale, hypostasim vero particulare, et quod Deus est species, ut homo, et quod Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt individua, sicut Petrus [a], Paulus, et [b] quod numero differunt; quae praemissae sententiae Augustini penitus contradicere videntur. Quid ergo dicemus ad haec? Hoc utique dicere possumus atque debemus, quod ea quae Augustinus tradidit superius, sine omni haesitatione tenenda sunt.

182 Haec autem, quae dicuntur hic, licet in sermonis superficie aliquid a fide alienum resonare videantur, sane tamen intelligi queunt [c] piumque lectorem ac [d] intellectorem efflagitant plurimum. In quorum explanatione mallem silens alios audire, quam loquendo malevolis detrahendi occasionem praestare [1].

Videtur tamen mihi ita posse accipi: Cum ait, substantia est commune, et hypostasis est [e] particulare; non ita haec accepit, cum de Deo dicantur, ut accipiuntur in philosophica disciplina, sed per similitudinem eorum quae a philosophis dicuntur, locutus est; ut sicut ibi commune vel universale dicitur quod praedicatur de pluribus, particulare vero vel individuum quod de uno solo; ita hic essentia divina dicta est universale, quia de omnibus personis simul et de singulis separatim dicitur, particulare vero [f] singula quaelibet personarum, quia nec de aliis communiter nec de aliqua aliarum singulariter praedicatur. Propter similitudinem ergo praedicationis, substantiam [g] dixit universale, et personas particularia vel individua. Propter hoc idem etiam eandem divinam essentiam dixit esse « speciem communem et circumplectivam similium specie personarum », quia sicut haec [h] species homo de suis praedicatur individuis, velut de Petro et [i] Paulo et aliis, nec ista [k] specie differunt, sed conveniunt, ita Deus de tribus praedicatur personis, quae in divinitate non differunt, sed per omnia conveniunt. Hanc ergo [l] similitudinem inter res sempiternas et res temporales perpendens Ioannes universalitatis et particularitatis nomina, quae rebus temporalibus proprie conveniunt, ad res aeternas transtulit; Augustinus vero, maiorem videns dissimilitudinem quam similitudinem inter res praedictas, ab excellentia Trinitatis praedicta nomina removit.

---

[a] Ed. add. *et.* [b] Ita U B D; ed. *eo.* [c] V *possunt sed cautum.* [d] D om. *lectorem ac.* [e] D om. [f] V om; in U *vero* est add. interl. [g] Ed. add. *Dei.* [h] V om. [i] Ed. om. [k] Ed. *isti.* [l] Z om.

---

[1] Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 3, c. 25 (P L 176, 227).

Cap. X.

Utrum tres personae differant numero, quae proprietatibus distinctae sunt.

Quod autem Ioannes dicit, hypostases differre numero non na- 183
tura, in eo quod non differre natura ait, verissime et sine ullo [a] scrupulo loquitur; quod vero dicit, differre numero, cavendum est, quomodo intelligatur; diversis enim modis dicuntur aliqua differre numero [1].

Dicuntur enim aliqua differre numero [b], quando ita differunt, ut hoc non sit illud nec aliquid, quod illud est, vel in ipso est: qualiter differunt Socrates et Plato et huiusmodi, quae apud philosophos dicuntur individua vel particularia; iuxta quem modum non possunt dici tres personae differre numero.

Dicuntur quoque [c] differre numero quae in enumeratione [d] sive computatione non sibi adiunguntur, sed a se invicem discernuntur, ut cum de aliquibus rebus loquentes dicimus una, duae, tres; et secundum hunc modum forte dixit Ioannes hypostases, id est personas differre numero. Possumus enim dicere: Pater est unus, et Pater et Filius sunt duo, et Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres; et item: Haec persona est una, et haec et illa sunt duae, et haec et illa et alia sunt tres. Convenientius tamen tres illae personae [e] proprietatibus tantum distingui dicuntur, de quarum distinctione secundum proprietates in sequenti tractabitur [2].

Nunc vero [f] ad inceptum redeamus, quae dicta sunt repetentes, ut saepius versando familiarius innotescant.

Cap. XI.

Quare tres personae simul non sunt maius aliquid quam una.

Sciendum est [g] igitur, « tantam aequalitatem esse in Trinitate, 184
ut ait Augustinus in VIII libro *De Trinitate* [3], ut non solum Pater non sit maior quam Filius, sed nec Pater et Filius simul

---

[a] Ita UV; ed. om. [b] D om. *Dicuntur e. a. d. numero.* [c] V *tamen.* [d] V *numeratione.* [e] V om.; D *personarum.* [f] Z om. [g] B om.

---

[1] Cfr. Abael. *Sic et non* c. 8 (PL 178, 1360 et seq.). [2] Dist. XXVI.
[3] Prooem. n. 1 (PL 42, 947). Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* et II. *Introd. ad theol.* c. 10, ac *Sic et non* c. 8 (PL 178, 1264, 1057, 1360).

maius aliquid sint quam Spiritus sanctus, aut quaelibet persona minus aliquid sit quam ipsa Trinitas ».

Quod autem ita sit, aliquo modo, si fieri potest, demonstrandum est. « Quantum ergo ipse Creator adiuvat, attendamus, inquit Augustinus in eodem [1], quomodo in hac Trinitate duae vel tres personae non sunt maius aliquid quam una earum [a] ».

« Quod ibi magnum dicitur, aliunde magnum non est quam eo, quo [b] vere est; quia ibi magnitudo ipsa veritas est et veritas [c] essentia; non ergo ibi maius est quod verius non est. Non autem verius est Pater et Filius simul, quam Pater solus vel Filius; non ergo maius aliquid utrunque [d] simul quam singulus eorum. Et quia aeque vere est etiam Spiritus sanctus, ideo Pater et Filius simul non sunt aliquid maius [e] quam ipse, quia nec verius sunt. Item in essentia veritatis hoc est verum esse, quod est esse, et hoc est esse, quod est magnum esse; hoc est ergo magnum esse quod verum esse. Quod igitur ibi aeque verum est, et aeque magnum est; quod ergo ibi plus veritatis non habet, non habet plus magnitudinis; plus autem veritatis non habet, quod verius non est. Non est autem verius una persona [f] alia, vel duae quam una, vel tres simul quam singula [g]; non ergo plus veritatis habet una quam alia [h], vel tres simul quam singula [i]. Sic ergo et ipsa Trinitas non est maius aliquid quam unaquaeque ibi persona, sed tam magnum quam singula. Non enim ibi maior est quae verior non est, ubi ipsa veritas magnitudo est [2] ».

Ecce modo convenienti et ratione catholica ostensum est [k], quomodo indifferens sit magnitudo trium personarum, quia nec una maior est alia, nec duae [l] una, nec tres simul maius aliquid quam singula.

Cap. XII.

Quod Deus non est dicendus triplex, sed trinus.

185 Propterea [m] cum Deus [n] dicatur trinus, non tamen debet dici triplex. Ibi enim non est triplicitas, ubi summa est unitas et indifferens aequalitas.

---

[a] U *persona.* [b] B D *quod.* [c] D om. *et veritas.* [d] Ed. cum A D *uterque.* [e] D add. *simul.* [f] Ed. et D add. *quam.* [g] D *singulae.* [h] Ed. add. *vel duae quam una.* [i] D om. *Non ergo plus... singula.* [k] V om. [l] Ed. add. *maius aliquid quam;* B add. *quam.* [m] Ed. *praeterea.* [n] B om.

[1] Ibid. et in principio cap. 1, n. 2. [2] Ibid. c. 1, n. 2.

Unde Augustinus in libro VI *De Trinitate* [1] ait: « Non, quoniam Deus Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioquin minor esset Pater solus, vel Filius solus, quam simul Pater et Filius ». « Cum itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater et Filius et Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est Deus. Non enim Pater cum Filio et Spiritu sancto maior Deus est quam singuli eorum, quia non est quo crescat illa perfectio. Perfectus autem est [a] et Pater et Filius et Spiritus sanctus, et perfectus [b] Deus singulus eorum; et ideo Trinitas potius quam triplex dici debet [2] ».

« In rebus corporeis non tantum est una, quantum tres simul, et plus sunt duae quam una res; in Trinitate vero summa tantum est una persona, quantum tres simul, et tantum sunt duae, quantum una, et in se infinitae sunt [3] », quia *non est finis magnitudinis* [4] earum. Ac per hoc aperitur quod supra diximus [5], scilicet quomodo et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum in omnibus est [c], et unum omnia.

Ecce iam ostendimus sufficienter, qualiter in Trinitate aliqua persona aliam non superet magnitudine.

DISTINCTIO XX.

Cap. I.

Quod aliqua personarum non excedit aliam potentiâ.

Nunc ostendere restat, quomodo aliqua harum personarum 186
aliam non excellat potentia, ut, sicut una et indifferens est magnitudo trium, ita una et indifferens monstretur potentia trium.

Sciendum est igitur, quia non est potentior Pater Filio, nec Filius vel Pater [d] Spiritu sancto, nec maiorem potentiam habent duo

---

[a] V om. [b] Ita V B D; U (interl.) add. *est;* ed. add. *dicitur*. [c] D om. [d] D add. *potentior*.

---

[1] Cap. 7, n. 9 (P L 42, 929). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9; et II. *De Sacram.* p. 1, c. 4 (P L 176, 55, 377, 378); cfr. etiam Abael. IV. *Theol. christ.*; II. *Introd. ad theol.* c. 10, ac *Sic et non,* c. 8 (P L 178, 1264, 1057, 1360 et seq.). [2] Ibid. c. 8. [3] Ibid. c. 10, n. 12. [4] Psalm. 144, 3. [5] August. loc. cit. c. 3, 4 in fine et 11.

vel tres simul quam singulus eorum; quia nec plus potest Pater simul et Filius quam solus Spiritus sanctus, nec hi tres simul plus possunt quam singulus eorum, quia omnipotentiam, quam habet Pater [a], et Filius accepit nascendo, et Spiritus sanctus procedendo. Quod Augustinus rationibus et auctoritatibus probabiliter astruit in libro [b] *Contra Maximinum* [1], qui dicebat Patrem potentiorem ac meliorem Filio.

Cap. II.

Quod non minus potest Filius quam Pater.

187 « Nihil, inquit, Patre minus habet ille qui dicit: *Omnia quae habet Pater, mea sunt* [2]. Nam si minus habet in potestate aliquid quam Pater, non sunt eius omnia, quae habet Pater; sed eius sunt omnia quae habet Pater; tantam igitur habet Filius [c] potestatem quantam Pater; aequalis ergo est Patri: non enim potest qui accepit inaequalis ei esse qui dedit [3] ».

Cap. III.

De obiectionibus haereticis contra hoc et responsionibus catholicis.

188 « Tu autem hoc de potentia sapis, quod potens sit Filius, sed potentior Pater, ut secundum doctrinam vestram potens potentem [d] potuerit gignere, et non omnipotens omnipotentem. Habet ergo [e] Pater omnipotentiam, quam non habet Filius; et [f] si hoc est, falsum est quod ait Filius: *Omnia quae habet Pater, mea sunt* [4] ».

« Sed, inquis, Pater a nemine potentiam accepit, Filius autem a Patre. Fatemur et nos, Filium accepisse potentiam ab illo, de quo natus est potens; Patri vero potentiam nullus dedit, quia nullus eum genuit. Gignendo enim dedit Pater potentiam Filio, sicut omnia

---

[a] D add. *simul.* [b] D om. *in libro.* [c] V Z B om. [d] D om. [e] D *itaque.* [f] Ed. *at.*

---

[1] In edd. impressis Augustini duo tantum sunt libri *Contra Maximinum.* Sed in antiquis mss. exemplaribus huius operis opusculum « *Collatio Augustini cum Maximino* » inscribebatur *primus* liber. c. M., et illi duo *secundus* et *tertius.* Textus sequentes sunt ex II libro iuxta computationem modernam. — Pro hoc et seq. cap. cfr. Abael. IV. *Theol. christ.*; I. *Introd. ad theol.* c. 10 (P L 178, 1274, 1290, 991 et seq.). [2] Ioan. 16, 15. [3] Libr. II, c. 14, n. 7 et 9 (P L 42, 775). [4] Ibid. c. 12, n. 1 (P L 42, 766).

quae habet in substantia sua, gignendo dedit ei quem genuit de substantia [a] [1] ».

« Sed quaeritur, utrum tantam, quanta ipsi est, potentiam Pater Filio dederit, an minorem. Si tantam, non solum potentem, sed etiam omnipotentem genuisse Omnipotens intelligitur; si vero minorem, quomodo omnia quae habet Pater, Filii sunt? Si Patris omnipotentia Filii non est, non omnia procul dubio, quae habet Pater, Filii sunt [2] »; at omnia Filii sunt; omnipotentia ergo Patris etiam Filii est; non est ergo Pater potentior Filio [b].

189 Item, alio modo probat Filium aequalem Patri *Contra Maximinum* [3] ita dicens: « Tu dicis, quod Pater genuit Filium minorem se ipso, in quo et Patri derogas, qui [c] si Filium unicum minorem genuit, aut non potuit, aut non voluit gignere aequalem. Si autem [d] dicis, quia non voluit, eum invidum esse dixisti; si autem non potuit, ubi est omnipotentia Dei Patris? Prorsus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater aequalem sibi gignere Filium aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus; si noluit, invidus invenitur. Sed utrumque hoc falsum est; Patri igitur Filius verus [e] aequalis est. Genuit ergo Pater sibi aequalem Filium, et ab utroque procedit utrique aequalis Spiritus sanctus ». « Si enim formam suam, ut ait Augustinus contra eundem [4], Pater in unico Filio plenam gignere potuit, nec tamen plenam genuit, sed minorem, cogimini Patrem invidum dicere ». Plenum ergo Deum et aequalem genuit sibi Filium [f].

190 Hoc autem per similitudinem humanam ita esse demonstrat inquiens [5]: « Homo pater, si potuisset, aequalem [g] filium genuisset. Quis ergo [h] audeat dicere, quod hoc Omnipotens non potuit? Addo [i] etiam, quia, si posset homo, maiorem melioremque se ipso gigneret filium; sed maius vel melius Deo quidquam esse non potest »; « Deus ergo cur non aequalem, ut ais, genuit Filium, cui nec anni necessarii fuerunt, per quos adimpleretur aequalitas, nec omnipotentia defuit. An forte noluit? Ergo, quod absit, invidit [k]; sed non

---

[a] Ita U B D; ed. add. *sua.* [b] D om. [c] D *quia.* [d] Ed. om. [e] D *vere.* [f] D om. [g] D add. *sibi.* [h] Z om. [i] V *scimus.* [k] V *invidus.*

---

[1] Loc. cit. *. [2] Ibid. Cfr. Abael. V. *Theol.* et III. *Introd.* c. 5 (P L 178, 1326, 1094). [3] Libr. II, c. 7 et 5 (P L 42, 762 et 761). Eadem in libr. *83 Quaest.* q. 50 (P L 40, 31). [4] Ibid. c. 15, n. 1 (P L 42, 777). [5] Ibid. c. 18, n. 3 (P L 42, 786).

invidit; aequalem igitur genuit [a] [1] ». « Credamus ergo, ei [b] Filium esse aequalem [c] [2] ».

191 « Sed forte dices: Eo ipso maior est Pater Filio, quia de nullo genitus genuit tamen aequalem. Ad quod [d] cito respondebo: Immo ideo non est maior Pater Filio, quia aequalem genuit. Originis enim quaestio est ista, quis de quo sit; aequalitatis autem, qualis aut quantus sit [3] »; quod est dicere: Ad originem pertinet quaestio, qua quaeritur, quis de quo sit; ad aequalitatem vero [e] illa [f] qua quaeritur, qualis aut quantus quis sit. « Nec cum dicitur Filius a Patre genitus, ostenditur inaequalitas substantiae, sed ordo naturae, non quo alter prior esset altero, sed quo alter est ex altero [4] ». Non ergo secundum hoc, quod Pater genuit, et Filius genitus est, vel Spiritus sanctus ab utroque procedit, aequalitas vel inaequalitas ibi existit, quia non secundum hoc alia persona alii aequalis vel inaequalis dicitur.

Ecce aequalitas Trinitatis et una eademque substantia, quantum breviter potuimus, demonstrata est in superioribus [5], qualiter scilicet aliqua trium personarum quamlibet aliam [g] nec aeternitate nec magnitudine nec potentia excellat.

DISTINCTIO XXI.

Cap. I.

Quomodo possit dici: Solus Pater vel solus Filius vel solus Spiritus sanctus, cum sint inseparabiles.

192 Hic oritur quaestio trahens originem ex praedictis. Dictum est enim supra [6], quod tantus est solus Pater vel solus Filius vel solus Spiritus sanctus, quantum simul illi tres, et quod duae vel tres personae simul non sunt maius aliquid quam una sola.

Ideo quaerit Augustinus in VI libro *De Trinitate* [7]: « Quomodo haec sane dici possint, cum nec Pater sit [h] solus, nec Filius [i],

[a] Ed. cum D add. *Filium* [b] Z *sibi.* [c] D *coaequalem.* [d] D *hoc.* [e] V add. *pertinet.* [f] D *illud.* [g] V om. [h] V om. [i] V add. *solus.*

[1] Ibid. c. 15, n. 5 (P L 42, 780). [2] Ibid. c. 18, n. 3 (P L 42, 786). [3] Ibid. immediate post. [4] Ibid. c. 14, n. 8 (P L 42, 775). [5] Scilicet in hac et praecedenti dist. [6] Dist. XIX. [7] Cap. 7, n. 9 (P L 42, 929) *. Magister extendit quaestionem etiam ad Spiritum sanctum, sicut et in sequenti textu.

nec Spiritus sanctus, sed semper et inseparabiliter et Filius cum Patre, et Pater cum Filio, et Spiritus sanctus [a] cum utroque [b]; inseparabiles enim sunt hae tres personae ».

Ad quod ita respondet Augustinus in eodem [1]: « Solum 193
Patrem dicimus [c], non quia separatur a Filio vel [d] Spiritu sancto, sed hoc dicentes significamus, quia illi simul cum eo non sunt Pater ». Solus enim Pater Pater est. Quod non dicitur, quia ipse sit solus, id est sine Filio vel Spiritu sancto, sed per hoc Filius et Spiritus sanctus a paternitatis consortio excluduntur. Ita et cum dicitur: Solus Filius Filius est, vel solus Spiritus sanctus Spiritus sanctus [e] est, non dividitur Filius a Patre vel Spiritus sanctus ab utroque, sed a consortio filialis proprietatis excluduntur Pater et Spiritus sanctus, et a consortio processibilis proprietatis [f] Pater et Filius. Cum ergo dicitur: Tantus est solus Pater, quantum simul illi tres, per hoc quod dicitur solus non separatur Pater [g] ab aliis, sed hic est sensus: Solus Pater, id est Pater, qui ita Pater est, quod nec Filius nec Spiritus sanctus, tantus est [h] etc. Similiter intellige, cum dicitur: Solus [i] Filius, vel solus [k] Spiritus sanctus. « Solus ergo Pater dicitur, ut ait Augustinus in eodem [2], quia non nisi ipse ibi [l] Pater est », et solus Filius, quia non nisi ipse ibi [m] Filius est, et solus Spiritus sanctus, quia non nisi ipse ibi [n] Spiritus sanctus est.

Cap. II.

Utrum debeat dici: Solus Pater est Deus, vel solus Filius est Deus, vel solus Spiritus sanctus est Deus; an, Pater est solus Deus, Filius est solus Deus, Spiritus sanctus est solus Deus.

Post haec quaeritur, utrum, sicut dicitur: Solus Pater est Pater, 194
vel solus Filius est Filius, ita possit dici: Solus Pater est Deus, vel solus Filius est Deus, ita et de Spiritu sancto [o]; aut, Pater est solus Deus [p], Filius est solus Deus.

Ad quod dicimus, quia Pater et Filius et Spiritus sanctus dicitur et est unus Deus, et haec Trinitas simul proprie dicitur esse

[a] B om. [b] D add. *sit.* [c] Ed. add. *Patrem.* [d] Ita U B D; ed. add. *a.* [e] V om. [f] D add. *excluduntur.* [g] D om. [h] A C add. *quantum illi tres.* [i] Ed. add. *est.* [k] Ed. add. *est.* [l] D om. [m] D om. [n] D om. [o] *vel solus Spiritus sanctus est Deus* loco *ita e. d. S. sancto.* [p] D add. *aut.*

[1] Ibid. *. [2] Cap. 9, n. 10 (PL 42, 930).

solus [a] Deus, sicut solus sapiens, solus potens. Sed non videtur debere dici a nobis, verbis nostris utentibus, nisi ubi sermo auctoritatis occurrit: Solus Pater est Deus, vel Pater est solus Deus; ita de Filio et [b] Spiritu sancto dicimus.

Unde Augustinus in VI libro *De Trinitate* [1] ait: « Quoniam ostendimus, quomodo possit dici solus Pater vel solus Filius, consideranda est illa sententia, qua dicitur, non esse solum Patrem Deum verum solum, sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum ». Ecce habes [c], quia non solus Pater dicendus est esse solus verus Deus

Item in eodem [2]: « Si quis interroget, Pater solus utrum sit Deus; quomodo respondebimus non esse, nisi forte ita dicamus, esse quidem Patrem Deum, sed non eum esse solum Deum? Esse autem solum Deum dicamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum [d] ». Ecce et hic habes, quia Pater non debet dici solus Deus; atque hic solum in [e] parte subiecti tantum accipere quidam volunt, in parte vero praedicati si sit, concedunt, quod Pater est solus Deus.

195 Sed ex verbis Augustini videtur ostendi, quod proprie solus Deus dici debeat tota Trinitas. Et haec Trinitas, ut ait Augustinus *Contra Maximinum* [3], intelligitur, cum Apostolus dicit [4]: *Beatus et solus potens;* et ibi [5]: *Soli sapienti Deo;* et ibi [6]: *Invisibili soli Deo.* Non enim haec de solo Patre accipienda sunt, ut contendebat Maximinus et alii haeretici, sed de Trinitate; sicut et illud: *Solus habet immortalitatem,* quia secundum rectam fidem ipsa Trinitas est unus solus Deus, beatus, potens, sapiens, invisibilis.

Unde Augustinus in eodem [7]: « Cum unus Deus sit Trinitas, haec sit nobis solutio quaestionis, ut intelligamus solum Deum sapientem, solum potentem Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui est unus et solus Deus [f] ».

---

[a] D *unus.* [b] B add. *de.* [c] D *habemus.* [d] D om. *Esse autem solum... sanctum.* [e] D *ex.* [f] B C D hic sequentem notulam collateralem addunt, quam U V Z A penitus omittunt: *Augustinus ad Maximinum: Non ergo Pater solus, nec solus Filius, nec solus Spiritus sanctus Deus est, sed ipsa Trinitas unus Deus solus est.*

---

[1] Ibid. [2] Loc. cit. [3] Libr. II, c. 12, n. 2 (P L 42, 767 et sqq.). Magister ex hoc et tribus sequentibus locis excerpsit Augustini doctrinam, quod semper tota Trinitas intelligatur in citatis locis sacrae Scripturae. — Etiam alibi eadem docet Augustinus, cfr. libr. I *De Trinitate* c. 6, n. 10 et 11 (P L 42, 826), ex quo Magister mutavit ultima verba. [4] I. Tim. 6, 15. [5] Rom. 16, 27. [6] I. Tim. 1, 17. [7] Cap. 13, n. 1 (P L 42, 769).

Cap. III.

Quomodo Trinitas dicatur solus Deus, cum ipsa sit cum spiritibus et animabus sanctis.

Sed iterum [a] quaeritur, quomodo ipsam Trinitatem dicimus 196
solum Deum, cum sit cum spiritibus et animabus sanctis.

Ad quod respondet Augustinus in VI libro *De Trinitate* [1] ita dicens: « Trinitatem dicimus Deum solum, quamvis semper sit cum spiritibus et animabus sanctis, sed solum dicimus, quia non aliud quam ipsa Trinitas Deus est. Non enim illi cum illa Deus sunt », vel aliqua alia, sed ipsa Trinitas tantum, non illi vel alia Deus est.

« Verumtamen, ut ait Augustinus [2], etsi de solo Patre praedicta dicerentur, non tamen [b] excluderetur Filius vel Spiritus sanctus, quia *hi tres unum sunt* [3]; sicut in Apocalypsi de Filio legitur [4], quod *habet nomen scriptum, quod nemo scit nisi ipse.* Non tamen [c] inde [d] separatur Pater vel Spiritus sanctus. Et [e] cum dicitur [5]: *Nemo novit Patrem nisi Filius;* non inde [f] separatur Pater, et Spiritus sanctus [g], quia inseparabiles sunt ».

Aliquando etiam nominantur Pater et Filius, et tacetur Spiritus 197
sanctus; sicut Veritas ad Patrem loquens ait [6]: *Ut cognoscant te et quem misisti Iesum Christum esse unum verum Deum.* « Cur ergo, inquit Augustinus [7], tacuit de Spiritu sancto? Quia [h] consequens est, ut ubicumque nominatur unus, sicut Pater et Filius, tanta pace uni adhaerens intelligatur etiam ipsa Pax, quamvis non commemoretur ». Uno ergo istorum nominato, etiam reliqui intelliguntur; quod in pluribus Scripturae locis occurrit.

---

[a] V *tamen.* [b] V Z *inde;* A C D *tamen inde.* [c] V *cum*; A om.; ed. *enim.* [d] D om. [e] B *ut.* [f] B *tamen.* [g] D om. *Et cum dicitur... sanctus.* [h] D *nisi quia.*

---

[1] Cap. 7, n. 9 (P L 42, 929). [2] Libr. II *Contra Maximinum* c. 13, n. 1 (P L 42, 769)*. [3] I. Ioan. 5, 7. [4] Cap. 19, 12. [5] Matth. 11, 27. [6] Ioan. 17, 3. [7] Libr. VI *De Trinitate* c. 9, n. 10 (P L 42, 930). Etiam propositio praecedens secundum sensum inde excerpta est.

DISTINCTIO XXII.

Cap. I.

De nominum differentia, quibus utimur loquentes de Deo.

198 Post praedicta disserendum nobis videtur de nominum diversitate, quibus loquentes de Unitate ac Trinitate ineffabili utimur [a]. Deinde ostendendum est, quibus modis de ea aliquid dicatur [1].

« Illud igitur praecipue teneamus, quaedam esse nomina distincte ad singulas personas pertinentia, ut ait Augustinus in VIII libro *De Trinitate* [2], quae de singulis tantum dicuntur personis; quaedam vero unitatem essentiae significantia sunt, quae et de singulis singillatim et de omnibus communiter dicuntur; alia vero sunt [b], quae translative ac per similitudinem de Deo dicuntur ».

Unde Ambrosius in II libro [c] *De Trinitate* [3] ait: « Quo purius niteat fides, tripartita videtur derivanda distinctio. Sunt enim nomina quaedam, quae evidenter proprietatem deitatis ostendunt; et sunt quaedam, quae perspicuam divinae [d] maiestatis exprimunt veritatem [e]; alia vero sunt, quae translative et per similitudinem de Deo dicuntur. Proprietatis itaque indicia sunt: generatio, Filius, Verbum et huiusmodi; unitatis [f] vero aeternae [g]: sapientia, virtus, veritas et huiusmodi; similitudinis vero: splendor, character, speculum et huiusmodi ».

Cap. II.

De his quae temporaliter Deo conveniunt et relative dicuntur.

199 His adiiciendum est, quaedam etiam nomina esse, ut ait Augustinus in V libro *De Trinitate* [4], quae ex tempore Deo con-

---

[a] D *loquimur* [b] D om. [c] U om. [d] D *Dei.* [e] Ed. *unitatem.* [f] D *veritatis.* [g] Z *essentiae.*.

---

[1] Pro hac distinctione cfr. Alcuinus, I. *De fide ss. Trin.* a cap. 6 ad 15 (PL 101, 17 et sqq.); cfr. etiam *Sententiae divin.* pag. 166 et seq. [2] In prooemio (PL 42, 947). Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1265). — De his tribus modis significationis verborum loquitur August. ibid. V. c. 8, n. 9 (PL 42, 932). [3] Sive *De fide ad Gratianum* Prolog. n. 2 (PL 16, 559)*. [4] Cap. 16, n. 17 (PL 42, 922). Cfr. Hugo, loc. cit. (PL 176, 58).

veniunt et relative ad creaturam dicuntur, quorum quaedam de omnibus dicuntur personis, ut: dominus, creator [c], refugium; quaedam autem non de omnibus, ut: donatus, datus, missus.

Cap. III.

De hoc nomine quod est trinitas.

Praeterea est unum nomen, quod de nulla persona singillatim 200
dicitur, sed de omnibus simul, id est Trinitas, quod non dicitur secundum [b] substantiam, sed quasi collectivum pluralitatem designat personarum [1].

Sunt etiam quaedam nomina, quae ex tempore Deo conveniunt nec relative dicuntur, ut [c]: incarnatus, humanatus et huiusmodi.

Ecce sex nominum differentias assignavimus, quibus utimur loquentes de Deo, de quibus singulis agendum est.

Cap. IV.

De his quae proprie ad singulas personas pertinent, et de his quae unitatem essentiae significant.

Sciendum est [d] igitur, quod illa quae proprie ad singulas per- 201
tinent personas relative ad invicem dicuntur, sicut Pater et Filius, et utriusque Donum, Spiritus sanctus; ea vero, quae unitatem essentiae significant, ad se dicuntur. Et [e] quae ad se dicuntur, substantialiter utique dicuntur et de omnibus communiter et de singulis singillatim dicuntur personis, et singulariter, non pluraliter accipiuntur in summa, ut: Deus, bonus, potens, magnus et huiusmodi; quae autem relative dicuntur, substantialiter non dicuntur.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [2] ita ait: « Quidquid ad se dicitur, praestantissima illa et divina sublimitas substantialiter dicitur; quod autem ad aliquid dicitur, non substantialiter, sed relative dicitur. Tantaque vis est eiusdem substantiae in Patre

---

[a] V add. *omnium*. [b] B om. *dicitur secundum*. [c] V om. [d] B om. [e] Ed. add. *ea*.

---

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9 (PL 176, 56); Abael. III. *Theol. christ.* (PL 178, 1231). [2] Cap. 8, n. 9 (PL 42, 917). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 7, 9, 10 et I. *De Sacram.* p. 4, c. 31, et II. c. 4 (PL 176, 52, 55, 56, 233, 377); Abael. III. *Theol. christ.*, et I. *Introd. ad theol.* c. 6 (PL 178, 1231, 988).

et Filio et Spiritu sancto, ut quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Dicimus enim: Pater est Deus, Filius est Deus, et Spiritus sanctus est Deus, quod secundum substantiam dici nemo dubitat; non tamen dicimus, hanc Trinitatem esse tres deos, sed unum Deum. Ita dicitur Pater magnus, Filius magnus, et Spiritus sanctus magnus; non tamen [a] tres magni, sed unus magnus. Ita et [b] omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; non tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Quidquid ergo ad se ipsum dicitur Deus, et de singulis personis similiter dicitur, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur [c]. Et quoniam non est aliud Deo esse, et aliud magnum esse, sed hoc idem est illi esse, quod est magnum esse, propterea, sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed unam essentiam et unam magnitudinem ».

202 « Deus enim non est magnus ea magnitudine, quae non est quod ipse, ut quasi particeps eius sit; alioquin maior esset illa magnitudo quam Deus; Deo autem non est aliquid maius; ea igitur magnitudine magnus est, qua ipse est. Ideoque nec tres magnitudines dicimus, sed unam magnitudinem, nec tres magnos, sed unum magnum, quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed [d] se ipso magno magnus est, quia ipse est sua magnitudo. Ita et de bonitate et aeternitate et omnipotentia Dei dicendum est [e] et de omnibus omnino, quae de [f] Deo possunt pronuntiari substantialiter, quibus ad se ipsum dicitur, non translative ac per similitudinem, sed proprie, si tamen de illo proprie aliquid ore hominis dici potest [1] ».

Ecce aperte docuit, quod nomina unitatem divinae maiestatis significantia et ad se dicuntur de Deo, id est sine relatione, et de omnibus personis communiter et de singulis divisim dicuntur, nec pluraliter, sed singulariter in summa accipiuntur. Illa vero nomina, quae proprie ad singulas pertinent personas, relative, non substantialiter dicuntur. « Quod enim proprie singula in Trinitate persona dicitur, ut ait Augustinus in eodem [2], nullo modo ad se ipsam, sed ad aliam invicem vel ad creaturam dicitur; et ideo relative, non substantialiter dici manifestum est ».

[a] U om. [b] D om.; ed. *etiam*. [c] D om. [d] D add. *a*. [e] B om. [f] V *ex*.

[1] Aug. loc. cit. c. 10, n. 11 (PL 42, 918). [2] Cap. 11, n. 12.

DISTINCTIO XXIII.

Cap. I.

De hoc nomine quod est persona, quod secundum substantiam dicatur, non singulariter, sed pluraliter accipitur in summa.

Praedictis [a] adiiciendum est, quod, cum omnia nomina, quae 203
secundum substantiam de Deo dicuntur, singulariter et non pluraliter de omnibus in summa dicantur personis, ut supra [1] ostensum est, est [b] tamen unum nomen, scilicet persona, quod secundum substantiam dicitur de singulis personis et pluraliter, non singulariter in summa accipitur. Dicimus enim: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus [c] est persona, et hoc secundum substantiam dicitur. Nec tamen dicitur: Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt una persona, sed tres personae. Hoc ergo nomen excipitur a praedicta [d] regula nominum, quae secundum substantiam de Deo dicuntur, quia cum hoc ad se dicatur et secundum substantiam, pluraliter tamen, non singulariter in summa accipitur.

Quod autem persona secundum substantiam dicatur, Augustinus ostendit in libro VII *De Trinitate* [2] dicens: « Non est aliud Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem ».

Item [3]: « In hac Trinitate cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris. Quocirca ut [e] substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita et persona Patris non aliud quam ipse Pater est; ad se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum sanctum, sicut ad se dicitur Deus et magnus et bonus et iustus et huiusmodi. Et quemadmodum hoc illi est esse, quod Deum esse, quod magnum esse [f], quod bonum esse, ita hoc est illi esse, quod personam esse ».

Ecce expresse habes, quod persona secundum substantiam dicitur, ut cum dicitur: Pater est persona, hic sit sensus: Pater est essentia divina; similiter, cum dicitur: Filius est persona, Spiritus sanctus est persona, id est essentia divina.

---

[a] B add. *tamen.* [b] D *et.* [c] V om. [d] A B *praescripta.* [e] V *in.* [f] V Z B D om.

---

[1] Dist. XXII, c. 3. [2] Cap. 6, n. 11 (P L 42, 943). [3] Ibid.

204 Ideo oritur hic quaestio difficilis quidem [a], sed non inutilis, qua quaeritur, cur non dicantur hi tres una persona, sicut una essentia et unus Deus.

Quam quaestionem Augustinus diligenter tractat atque congrue explicat in VII libro *De Trinitate* [1] ita [b] dicens: « Cur non haec tria simul unam personam dicimus, sicut unam essentiam et unum Deum, sed dicimus tres personas, cum tres deos aut tres essentias non dicamus? Quia volumus vel unum aliquod vocabulum servare huic significationi, qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati [c], quid tres essent [d], cum tres esse [e] fateamur ». « Cum ergo quaeritur, quid tres, ut ait Augustinus in libro V *De Trinitate* [2], magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres personae, non ut illud diceretur, sed ne taceretur [f] ». Non enim rei [g] ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari valet.

Ecce ostendit, qua necessitate dicatur pluraliter personae, videlicet ut hoc uno nomine quaerentibus de tribus responderemus [h].

Cap. II.

Qua necessitate dictum sit tres personae a Latinis, et a Graecis tres hypostases vel substantiae.

205 Qua necessitate non solum Latinus sermo, sed etiam Graecus eadem pene [i] super hac re laborans nominum penuria coarctatur.

Unde Augustinus, quid a Graecis vel a [k] Latinis necessitate de ineffabili Trinitate dictum sit aperiens, in VII libro *De Trinitate* [3] ait: « Loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, dictum est a Graecis una essentia, tres substantiae, (id est una usia, tres [l] hypostases; aliter enim Graeci accipiunt substan-

[a] D om. [b] D om. [c] Ed. *interroganti.* [d] B D om. [e] Z om. [f] Ita U D; ed. add. *omnino.* [g] V om. [h] Ed. *respondeamus.* [i] D add. *specie.* [k] D om. [l] D add. *substantiae vel.*

[1] Ibid. immediate post. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9 (P L 176, 56); et I. *De Sacram.* p. 4, c. 31; ac II. p. 1, c. 4 (P L 176, 234, 377, 379); Abael. III. *Theol. christ.* (P L 178, 1231). [2] Cap. 9, n. 10 (P L 42, 918). [3] Tres sequentes loci Augustini leguntur op. cit. c. 4, n. 7 et 8 (P L 42, 939). Verba in textu *id est* usque *quam Latini* inclusive a Magistro interpolata sunt. — Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9 (P L 176, 55); et Abael. IV. *Theol. christ.* (P L 178, 1268 et seq.).

tiam quam Latini). A[a] Latinis autem [b] dictum est una essentia vel substantia, tres personae, quia non aliter in sermone nostro, id est [c] Latino, essentia quam substantia solet intelligi. Et ut intelligatur saltem in aenigmate, placuit ita dici, ut cum quaereretur, quid tria sint, aliquid diceretur, quae tria esse fides vera pronuntiat, cum et Patrem non dicit esse Filium, et Spiritum sanctum, scilicet Donum Dei, nec Patrem dicit esse, nec Filium. Cum ergo quaeritur, quid tria vel quid tres, conferimus nos ad inveniendum aliquod nomen, quo complectamur haec tria. Neque occurrit animo, quia supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem excedit. Verius enim cogitatur Deus quam dicitur, et verius est quam cogitatur».

« Pater ergo et Filius et Spiritus sanctus, quoniam tres sunt [d], quid tres sint quaeramus [e], quid commune habeant. Non enim possunt dici tres patres, quoniam tantum Pater ibi Pater est; nec tres filii, cum nec Pater ibi sit Filius, nec Spiritus sanctus; nec tres spiritus sancti, quia Spiritus sanctus propria significatione, qua etiam Donum Dei dicitur, nec Pater est, nec Filius. Quid igitur tres? Si tres personae esse dicuntur, commune est eis id quod persona est». « Certe enim [f] quia Pater est persona, et Filius est persona, et Spiritus sanctus est persona, ideo dicuntur tres personae». « Propterea ergo dicimus tres personas, quia commune est eis id quod persona est».

Ex praedictis aperte intelligi potest, qua necessitate dictum sit a Latinis tres personae, cum persona secundum substantiam dicatur. Unde et tribus commune est id quod persona est.

Cap. III.

Quare non dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse tres deos, ut tres personas.

Sed quaeritur hic, cum dicamus, Patrem et Filium et Spiritum 206
sanctum esse tres personas, quia commune est eis quod persona est, id est, quia Pater est persona, et Filius est persona, et Spiritus sanctus est persona, cur non dicamus similiter tres deos, cum et Pater sit Deus, et Filius sit Deus, et Spiritus sanctus sit Deus?

Quia scilicet illud Scriptura contradicit; hoc autem, etsi non dicit, non tamen contradicit.

---

[a] C *Et a.* [b] D *enim.* [c] B add. *in.* [d] Ed. add. *et.* [e] Ed. et B add. *et.* [f] D om.

Unde Augustinus movens hanc quaestionem atque definiens in libro VII *De Trinitate*[1] ita [a] ait: « Si ideo dicimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse tres personas, quia commune est eis id quod persona est, cur non etiam tres deos dicimus? Certe, ut praedictum est, quia Pater est persona, et Filius [b] persona, et Spiritus sanctus [c] persona, ideo tres personae dicuntur. Quia ergo Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, cur non dicuntur tres dii »? Ecce proposuit quaestionem; attende quid respondeat subdens[2]: « An ideo non dicuntur tres dii, quia Scriptura non dicit tres deos? Sed nec tres personas alicubi Scripturae textus [d] commemorat. An ideo licuit loquendi et disputandi necessitate tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit? Si autem diceremus tres deos, contradiceret Scriptura dicens[3]: *Audi Israel, Deus tuus, Deus unus est* ».

Ecce absolutio [e] quaestionis, quare potius dicamus tres personas quam tres deos, quia scilicet illud [f] non contradicit Scriptura.

Cap. IV.

Cur non dicimus tres essentias, ut tres personas.

207 Verum et hic alia emergit quaestio, quam Augustinus consequenter annectit dicens[4]: « Cur, inquit, et tres essentias non licet dicere, quod similiter Scriptura sicut [g] non dicit, ita [h] non contradicit? At si dicis, quod propter unitatem Trinitatis non dicuntur tres essentiae, sed una essentia; quaero, cur non propter eandem unitatem Trinitatis dicantur una persona, et non tres personae. Ut [i] enim est illis [k] commune nomen essentiae, ita ut singulus quisque dicatur essentia, sic illis commune est personae vocabulum ». « Quid igitur restat, nisi [l] ut fateamur, loquendi necessitate a Grae-

---

[a] D om. [b] Ed. cum Z B add. *est.* [c] Ed. et B D add. *est.* [d] D add. *scilicet novi et veteris Testamenti.* [e] D *solutio.* [f] V *unum.* [g] D *etsi.* [h] D add. *tamen.* [i] B *sicut.* [k] V D *illud.* [l] V *illud*; U D om.

---

[1] Cap. 4, n. 8 (P L 42, 941). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9, et l. *De Sacram.* p. 4, c. 31 (P L 176, 55, 234); et Abael. *Sic et non* c. 8 (P L 178, 1360). [2] Ibid. *. [3] Deuter. 6, 4. Cum Magistro et Augustino legunt Ambrosius, libr. I *De fide ad Gratianum* c. 1, n. 6 et c. 3, n. 23 (P L 16, 530 et sqq.) et Hilarius, libr. IV *De Trinitate* n. 8 (P L 10, 100). [4] Loc. cit. immediate post, et quod sequitur n. 9. Cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 4, c. 25 et c. 31; ac II. p. 1, c. 4 (PL 176, 227, 233, 379); et Abael. loc. cit.

cis et [c] Latinis parta haec vocabula adversus insidias vel errores haereticorum? Cumque conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis de Deo tenet sive per piam fidem sive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa aequalitate ulla diversitas. Rursus non poterat dicere, non [b] esse tria quaedam; quod quia dixit Sabellius, in haeresim lapsus est. Quaesivit ergo, quid tria diceret, et dixit tres personas sive tres substantias secundum Graecos ».

« Quod enim de personis secundum nostram, hoc de substantiis secundum Graecorum consuetudinem oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres substantias, unam essentiam, id est tres hypostases, unam usiam; quemadmodum nos dicimus tres personas, unam essentiam vel substantiam [1] »; « quamquam et illi, si vellent, sicut dicunt tres substantias, tres hypostases, possent dicere tres personas, tria prosopa. Illud autem maluerunt dicere, quia fortasse secundum linguae suae consuetudinem aptius [c] dicitur [2] ».

Cap. V.

Quod in Trinitate non est diversitas vel singularitas vel solitudo, sed unitas et trinitas et distinctio et identitas.

Iam sufficienter, ut puto, ostensum est, qua necessitate dica- 208
mus tres personas, et quare non similiter tres deos vel essentias, quia scilicet in altero obviat Scriptura, in altero diversitatis intelligentia; quia ibi nulla penitus est diversitas, sicut nec singularitas vel solitudo, sed unitas et trinitas.

Unde Augustinus in libro VII *De Trinitate* [3] ait: « Humana inopia quaerens, quid diceret tria, dixit tres personas vel substantias, quibus nominibus non diversitatem voluit intelligi, sed singularitatem [d] noluit, ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo, quod dicitur una essentia, sed trinitas ex eo, quod dicuntur tres personae ».

---

[a] B D add. *a*. [b] V *ibi*. [c] Z *apertius*. [d] V add. *intelligi*.

---

[1] Ibid. n. 8; sed verba *id est* usque *usiam* a Magistro inserta sunt. [2] Ibid. c. 6, n. 11 (PL 42, 943). [3] Cap. 4, n. 9 (PL 42, 941). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9 (PL 176, 55); et Abael. III. *Theol. christ.*; II. *Introd. ad theol.* c. 10; *Sic et non* c. 5 (PL 178, 1231, 1059, 1358).

Hilarius quoque in libro VII *De Trinitate*[1] ait: « Dominus dicit[2]: *Qui me videt, videt et Patrem.* Cum hoc dicitur, excluditur singularis atque unici, id est solitarii [g] intelligentia. Nam nec solitarium sermo significat, et indifferentem tamen naturam professio docet. Visus est [b] enim in Filio [c] Pater per naturae unitam similitudinem. Unum sunt enim natus et generans, unum sunt neque unus. Non itaque [d] solitarius Filius est, nec singularis, nec dispar ».

Item in eodem[3]: « Sicut in Patre et Filio credere duos deos impium est, ita Patrem et Filium singularem Deum praedicare sacrilegum est. Nihil in his novum, nihil diversum, nihil alienum, nihil separabile est ».

De hoc etiam Augustinus in libro *Quaestionum veteris ac novae Legis*[4] ait: « Unus est Deus, sed non singularis ».

Item in libro *De Trinitate* [e][5] Ambrosius ait: « Quod unius est substantiae separari non potest, etsi non sit singularitatis, sed unitatis ». « Deus unus cum dicitur, nequaquam Deitatis trinitatem [f] excludit, et ideo [g] non quod singularitatis, sed quod unitatis est praedicatur[6] ».

209 Ecce ex praedictis ostenditur, quod nec singularis nec diversus nec unicus vel solitarius confitendus est Deus, quia singularitas vel solitudo personarum pluralitatem excludit, et diversitas unitatem essentiae tollit. Diversitas inducit separationem Divinitatis, singularitas adimit distinctionem Trinitatis [h].

Ideo Ambrosius in II libro *De Trinitate*[7] ait: « Non est diversa nec singularis aequalitas »; « nec iuxta Sabellianos Patrem

---

[a] V B D om. *id est solitarii.* [b] V om. [c] D *eo.* [d] Z *utique.* [e] Ed. *De fide.* [f] B *deitatem Trinitatis.* [g] V om. *et ideo.* [h] Z *unitatis.*

---

[1] Num. 38 et 39 (P L 10, 231 et seq.). — Sed textum hunc Magister ex septem locis Hilarii contexuit; quod, ut ipsius methodus exemplo aliquo illustretur, hic lectoris oculis subiicimus. Verba: *Dominus dicit* etc. sunt ex n. 38: *Nam nec solitarium* etc. ibid. paulo ante; *Visus est* etc. ibid. paulo post; *Unum sunt enim natus et generans* n. 39; *Unum sunt neque unus* n. 38; *Non itaque solitarius Filius est* n. 39; *Nec singularis nec dispar* n. 38. [2] Ioan. 14, 9. [3] Hilar. loc. cit. n. 39 *. [4] *Quaestiones ex veteri et novo Testamento,* quaest. 122 (P L 35, 2367). Non sunt Augustini, sed potius auctoris haeretici, fortasse Hilarii diaconi, de quo supra dist. XIX, pag. 128, nota 1, locuti sumus. [5] Libr. V, c. 3, n. 46 (P L 16, 658). [6] Loc. cit. II. c. 1, n. 18 (P L 16, 536). [7] Cap. 8, n. 69 (P L 16, 574). Cfr. Hugo, II. *De Sacram.* p. 1, c. 4 (P L 176, 380).

Filiumque confundens, nec iuxta Arianos Patrem Filiumque secernens. Pater enim et Filius distinctionem habent, separationem vero non habent [1] ».

Item in eodem [2]: « Pater et Filius divinitate unum sunt, nec est ibi substantiae differentia nec ulla diversitas; alioquin quomodo unum Deum dicimus? Diversitas enim plures facit ».

Constat ergo ex praedictis, quia in Trinitate nulla est diversitas; si tamen aliquando [a] in Scriptura invenitur dictum tres diversae personae et huiusmodi, diversas dicit [b] distinctas.

Cap. VI.

Quod non debet dici Deus multiplex.

Et sicut in Trinitate non est diversitas, ita nec multiplicitas, 210
et ideo non est dicendus Deus multiplex, sed trinus et simplex.

Unde Ambrosius in I libro *De Trinitate* [c 3] ait: « Est in Patre et Filio non discrepans, sed una divinitas, nec confusum quod unum est, nec multiplex esse potest quod indifferens est ». Multiplex itaque Deus non est.

DISTINCTIO XXIV.

Cap. Unicum.

Quid significetur his nominibus: Unus vel una, duo vel duae, tres vel tria, trinus vel trinitas, plures vel pluralitas, distinctio vel distinctae, cum his utimur de Deo loquentes.

Hic diligenter inquiri oportet, cum in Trinitate non sit diver- 211
sitas vel singularitas, nec multiplicitas vel solitudo, quid significetur his nominibus, scilicet unus vel una, duo vel duae, tres vel tria [d], plures vel pluralitas, distinctae vel distinctio, cum dicitur: Unus Deus, duae personae vel tres personae, plures perso-

[a] D om. [b] B add. *esse.* [c] Ed. *De fide.* [d] Ed. add. *trinus vel trinitas.*

[1] Ibid. c. 3, n. 33 (PL 16, 566). [2] Libr. I, c. 2, n. 18 et 19 (PL 16, 533). [3] Cap. 2, n. 17 (PL 16, 533). Cfr. Hugo, loc. cit.; et Abael. III. *Theol. christ.; Introd. ad theol.* c. 10; *Sic et non* cc. 6, 7, 8 (PL 178, 1231 et 1264, 1157, 1359 et sqq.).

nae, distinctae sunt personae; vel cum dicitur: Distinctio personarum, pluralitas personarum, trinitas personarum et huiusmodi. Videmur enim haec dicentes numerorum quantitates et rerum multitudinem vel multiplicitatem in Deo ponere. Quid ergo ista ibi [a] significent, ipso de quo loquimur aperiente, insinuare curemus.

Si diligenter praemissis auctoritatum verbis [1] intendimus, ut dictorum intelligentiam capiamus, magis videtur horum verborum usus introductus ratione removendi atque excludendi a simplicitate deitatis quae ibi non sunt, quam ponendi aliqua.

Cum enim dicitur: Unus Deus, multitudo deorum excluditur, nec numeri quantitas in divinitate ponitur, tanquam diceretur: Deus est, nec multi sunt vel plures dii.

Unde Ambrosius in I libro *De Trinitate* [b] ait [c] [2]: « Cum unum dicimus Deum, unitas excludit numerum deorum, nec quantitatem in Deo ponit, quia nec numerus nec quantitas ibi est ».

Similiter, cum dicitur: Unus est [d] Pater, vel unus est Filius, et huiusmodi, ratio dicti haec [e] est, quod non sunt [f] multi patres vel multi filii, ita et de similibus.

Item, cum dicimus plures esse personas, singularitatem atque solitudinem excludimus, non diversitatem vel multiplicitatem ibi ponimus, quasi diceretur: Sine solitudine ac singularitate personas confitemur.

Unde Hilarius in IV libro *De Trinitate* [3] sic ait: « Dixit Deus [4]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Quaero nunc, an solum Deum sibi locutum existimes, an hunc sermonem eius intelligas ad alterum extitisse? Si solum fuisse dicis, ipsius voce argueris dicentis: *Faciamus* et *nostram*. Sustulit enim singularitatis ac solitudinis intelligentiam professio consortii, quia aliquod consortium esse non potest ipsi solitario, neque solitudo solitarii recipit *faciamus*, nec alieno a se diceret *nostram* ».

---

[a] D om. [b] Ed. *fide*. [c] B om. [d] D om. [e] D om. [f] D om.

---

[1] Scilicet dist. XXIII. Sententia Magistri opinantis, unitatem et numeros in divinis tantum privative, non positive accipi, ab aliis Scholasticis communius non tenetur. Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1263 et sqq.) [2] Rectius *De fide* libr. I, c. 2, n. 19 (PL 16, 533) *. Eadem repetit Ambros., III. *De Spiritu sancto,* c. 13, n. 93 (PL 16, 799). [3] Num. 17 (PL 10, 110). [4] Gen. 1, 26.

Attende, lector, his verbis et vide, quia nomine consortii pluralitatem significavit; professio ergo [a] consortii est professio pluralitatis, quam professus est, dicens *faciamus* et *nostram*. Pluraliter enim utrumque dicitur; sed hac professione pluralitatis non diversitatem vel multitudinem posuit, sed solitudinem et singularitatem negavit. Sic ergo, cum dicimus plures personas, vel pluralitatem personarum, singularitatis et solitudinis intelligentiam excludimus.

Ita etiam, cum dicimus tres personas, nomine ternarii non 212
quantitatem numeri in Deo ponimus vel aliquam diversitatem, sed intelligentiam non ad alium nisi ad Patrem et Filium et Spiritum sanctum dirigendam significamus, ut sit haec dicti intelligentia: Tres personae sunt, vel tres sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, id est, nec tantum Pater nec tantum Filius nec tantum Pater et Filius in deitate sunt, sed etiam Spiritus sanctus, et non alius ab his [b]. Similiter, non tantum est ibi haec persona vel illa, vel haec et illa, sed haec et illa et illa [c], et non alia. Et hoc ita fore intelligendum Augustinus satis ostendit, ubi dicit [1], quod illo nomine non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit.

Similiter, cum dicimus: Duo sunt Pater et Filius, non dualitatis quantitatem ibi ponimus, sed hoc significamus, quod non est tantum Pater nec tantum Filius, sed Pater et Filius, et hic non est ille; et ita de aliis huiusmodi. Ita [d] etiam cum dicimus: Pater et Filius sunt duae personae, hoc [e] significamus, quod non tantum Pater est persona, nec tantum Filius est persona, sed Pater est persona, et Filius est persona, et haec non est illa.

Cum autem dicimus: Distinctae sunt personae, vel distinctio est in personis, confusionem atque permixtionem excludimus, et hanc non esse illam significamus. Cumque addimus: Distinctae sunt personae proprietatibus sive differentes proprietatibus, aliam esse hanc personam et aliam illam suis proprietatibus significamus. Et cum dicimus, aliam et aliam, non diversitatem vel alienationem ibi ponimus, sed confusionem Sabellianam excludimus.

Ita etiam, cum dicuntur discretae personae, vel cum dicitur discretio esse in personis, eandem intelligentiam facimus. Eo enim

---

[a] B *vero*. [b] Z add. *tribus*. [c] U Z om. *et illa*. [d] D *Item* [e] V *hic*.

---

[1] Libr. VII *De Trin.* c. 4, n. 9 (PL 42, 942).

modo ibi accipitur distinctio, quo discretio. Et congrue dicitur ibi esse discretio vel distinctio, non [a] diversitas vel divisio sive separatio.

Unde Ambrosius in I libro *De Trinitate* [b] [1]: « Non est ipse Pater, qui Filius, sed inter Patrem et Filium expressa distinctio est ».

Cum vero dicitur Trinitas, id significari videtur, quod significatur, cum dicitur tres personae, ut, sicut non potest dici: Pater est tres personae, vel Filius est tres personae, ita non debeat dici: Pater est Trinitas, vel Filius est Trinitas.

213 Hic non est praetermittendum, quod, cum supra dictum sit [2], Deum nec singularem nec multiplicem esse confitendum, idque Sanctorum auctoritatibus sit confirmatum, in contrarium videtur sentire Isidorus dicens [3]: « Distinguendum est inter trinitatem et unitatem. Est enim unitas simplex et singularis, trinitas vero multiplex et numerabilis; quia est trinitas trium unitas ». Ecce unitatem dicit esse singularem, et trinitatem multiplicem et numerabilem.

Sed ad hoc dicimus, quia singularem accepit, sicut et alii accipiunt unum, multiplicem vero et numerabilem, sicut alii dicunt trinum.

DISTINCTIO XXV.

Cap. I.

Quid significetur hoc nomine persona in plurali numero, scilicet cum dicitur personae.

214 Praeterea considerandum est, cum hoc nomen persona, ut praedictum est [4], secundum substantiam dicatur, quae sit intelligentia dicti, cum pluraliter profertur: Tres personae, vel duae personae, et cum dicitur: Alia est persona Patris, alia [c] persona Filii, alia [d] persona Spiritus sancti.

---

[a] V *vel.* [b] Ed. *fide* [c] Ed. et D add. *est.* [d] Ed. et D add. *est.*

---

[1] Id est, *De fide ad Gratianum*, c. 2, n. 16 (PL 16, 532). [2] Dist XXIII, c. 6. [3] Non invenimus in editionibus Isidori locum istum (etiam ab aliis Scholasticis citatum), scilicet verba: Est unitas simplex et singularis, trinitas vero multiplex et numerabilis. [4] Dist. XXIII, c. 1. Pro his quae sequuntur cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9 (PL 176, 56), et Abael. loc. cit. supra in tota dist. XXIII, ac IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1269).

Si enim in his locutionibus personae vocabulum essentiae intelligentiam facit, plures essentias confiteri videmur, et ita plures deos. Si vero essentiae significationem ibi non tenet, alia ratio est huius nominis cum dicitur: Pater est persona, Filius est persona [a]; et alia, cum dicitur: Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personae; et cum dicitur: Alia est persona Patris, alia Filii [b], et huiusmodi.

« Persona enim, ut supra [1] ait Augustinus, ad se dicitur, et idem est Deo esse personam quod [c] esse, sicut idem est ei esse quod Deum esse ».

Unde manifeste colligitur, quod essentiam divinam praedicamus, dicentes: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona, id est [d] essentia; et omnino [e] unum et idem significatur nomine personae, id est essentia divina, cum dicitur: Pater est persona, et Filius est persona, quod significatur nomine Dei cum dicitur: Pater est Deus, Filius est Deus. Ita etiam idem significatur, cum dicitur: Deus est Deus, et Deus est persona; utroque enim nomine essentia divina intelligitur, quia [f] utrumque secundum substantiam dicitur.

Cum vero dicitur: Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt 215
tres personae, quid nomine personae significamus? An essentiam? Hoc enim videtur, si supra [2] posita [g] verba Augustini diligenter scrutemur.

Supra enim dixit, quod « ideo tres personas dicimus, quia id quod persona est, commune est tribus ». Et item, « quia Pater est persona, et Filius est persona, et Spiritus sanctus est persona, ideo tres personae dicuntur ». Videtur ergo, eandem tenere significationem hoc nomen persona, cum dicitur: tres personae, quam habet cum dicitur: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona; quia ut ostendit [h] Augustinus, hoc dicitur — id est tres personae — propter illud, id est [i], quia id quod persona est, commune est eis. Id ergo quod commune est eis, id est Patri et Filio et Spiritui sancto, videtur significari nomine personae, cum dicitur: tres personae.

---

[a] D add. *Spiritus sanctus est persona.* [b] B add. marg. *alia Spiritus sancti.* [c] D add. *est.* [d] Ed. add. *divina.* [e] V *ideo.* [f] V om. [g] B *dicta.* [h] B *ait.* [i] Ed. om. *id est;* V C *et.*

---

[1] Dist. XXIII, c. 1. Cfr. pag. 147, nota 3. [2] Dist. XXIII, c. 2. Loci isti indicati sunt pag. 148, nota 3.

216 Aliter etiam potest ostendi, quod ibi [a] nomine personae significetur essentia, cum dicitur: tres personae.

Ut enim supra [1] dixit Augustinus, ea necessitate diximus tres personas, ut responderemus quaerentibus, quid tres, vel quid tria. Cum ergo quaeritur, quid tres vel quid tria, convenienter respondetur, cum [b] dicitur: personae tres. At cum quaeritur, quid tres, vel quid tria, per quid de essentia quaeritur. Non enim invenitur, quid illi tres sint, nisi essentia. Si ergo [c] quaestioni recte respondemus, oportet ut respondendo essentiam significemus; alioquin non ostendimus, quid tres sint. Si vero respondentes essentiam significamus, ipsam essentiam personae nomine intelligimus, cum dicitur: tres personae.

217 Quibusdam videtur, quod nomine personae significetur essentia, cum dicitur: tres personae, propterea quia Augustinus dicit [2], ideo dici tres personas, quia commune est eis id quod est persona, ut sit talis intelligentia: Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personae, id est, sunt [d] tres id habentes commune, quod est persona, id est, tres sunt, quorum quisque est persona, id est essentia. Sed quomodo iuxta hanc intelligentiam dicetur: Alia est persona Patris, alia Filii? Et [e] hoc etiam ita volunt intelligere, scilicet alius est Pater, et alius [f] Filius [g], id tamen commune habentes quod est persona.

Et hoc confirmant auctoritate Augustini, qui in VII libro *De Trinitate* [3] ait: « Tres personas eiusdem essentiae, vel tres personas unam [h] essentiam dicimus. Tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona [i].

Hac auctoritate et praemissis conantur asserere, in praedictis locutionibus nomen personae essentiam significare.

218 Sed quid respondebunt ad id quod ipse Augustinus in libro *De fide ad Petrum* [4] dicit, « scilicet, quod alius est Pater

[a] D *in*. [b] D *et*. [c] B *enim*. [d] D om. [e] V *ex*. [f] Ed. et B D add. *est*. [g] C (alia manu) add. *et alius Spiritus sanctus*. [h] D add. *eamdem*. [i] Z add. *est*.

[1] Dist. XXIII, c. 4 et 2, ubi loci Augustini citati sunt. [2] Libr. VII *De Trin.* c. 4, n. 7 (P L 42, 940). Cfr. Hugo, qui loc. cit., confitetur: « Si quis hanc quaestionem convenientius potest solvere, ego nulli praeiudico ». [3] Cap. 6, n. 11 (P L 42, 945). [4] Cap. 1, n. 5 (P L 40, 755).

in persona sive personaliter, alius personaliter Filius, alius personaliter Spiritus sanctus »? Quomodo enim alius [a] personaliter Pater, alius personaliter Filius, alius personaliter Spiritus sanctus [b], si in esse personam [c] omnino conveniunt, id est [d], si persona essentiae tantum intelligentiam facit? Ideo nobis videtur aliter hoc [e] posse dici congruentius iuxta catholicorum doctorum auctoritates.

Cap. II.

De triplici acceptione huius nominis persona in Trinitate.

Sciendum est igitur, quod hoc nomen persona multiplicem 219
non unam tantum intelligentiam facit [f]. Et ut Hilarius ait in libro [g] *De Trinitate* [1]: « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed est rei sermo subiectus ».

Discernentes ergo dicendi causas huius nominis, scilicet persona, significationem distinguimus dicentes, quod hoc nomen, scilicet [h] persona, proprie secundum substantiam dicitur et essentiam significat, sicut supra [2] ostendit Augustinus, cum dicitur: Deus est persona, Pater est persona.

Quadam tamen necessitate, ut supra dixit [3] Augustinus, 220
translatum est hoc nomen, ut pluraliter diceretur tres personae, cum quaereretur, quid tres, vel quid [i] tria; ubi non significat essentiam, id est naturam divinam quae est [k] tribus communis [l], sed subsistentias [m] vel [n] hypostases secundum Graecos. Graeci quippe, ut supra [4] dixit Augustinus, aliter accipiunt substantiam, id est hypostasim, aliter nos. Nos enim substantiam dicimus essentiam sive naturam. Personas autem dicimus, sicut illi dicunt, substantias, id est hypostases. Si ergo nos ita [o] accipimus personas, ut illi accipiunt substantias vel hypostases; at illi aliter accipiunt hypostases, quam nos substantiam; aliter ergo nos accipimus personas quam substantiam. Cum ergo dicimus tres personas, non

---

[a] C D add. *est.* [b] V D om. *alius p. S. sanctus,* quae B habet in margine [c] D *persona.* [d] D *et,* pro *id est.* [e] V *haec non.* [f] D *habet.* [g] Ed. add. *quarto.* [h] B D om. [i] D om. [k] U om. [l] Ed. cum B add. *personis.* [m] C D *substantias.* [n] D *id est.* [o] D om.

---

[1] Num. 14 (PL 10, 107). [2] Hic c. 1, et dist. XXIII, c. 1 et 3. [3] Ibid. c. 2. [4] Vide dist. XXIII, c. 2. Cfr. Abael. III. et IV. *Theol. christ.* (PL 178, 1258, 1262).

ibi personae nomine essentiam significamus. Quid ergo dicimus? Dicimus, quia tres personae sunt, id est tres subsistentiae [a], scilicet tres entes; pro quo Graeci dicunt tres hypostases.

Et hic sensus adiuvatur ex verbis Augustini praemissis, si interius intelligantur. Quia enim Pater est persona, id est essentia, et Filius persona, et Spiritus sanctus persona, ideo dicuntur tres personae, id est tres subsistentiae [b], tres entes. Non enim possent dici tres subsistentiae vel entes, nisi singulus eorum esset persona, id est essentia. Quia ergo eis commune est id quod est persona, id est essentia, ideo recte dicuntur tres personae, id est subsistentiae [c] vel subsistentes [d], ut, sicut essentia, quae est eis communis, vere ac proprie est, ita illi tres vere ac proprie subsistentiae vel entes intelligantur. Ideoque Augustinus [1], causas dictorum discernens, dicit, tres personas esse unam essentiam vel eiusdem essentiae, non ex eadem essentia, ne aliud intelligatur ibi esse persona, aliud essentia. Tres enim personae, id est subsistentiae, una sunt essentia et unius essentiae, non autem sunt una persona vel unius personae, licet persona secundum substantiam aliquando dicatur: nam si hoc diceretur, confusio fieret in personis.

221 Ad hoc autem, quod illi dicunt: Cum quaeritur, quid tres, vel quid tria, de essentia quaeritur, quia non invenitur, quid illi tres sint nisi essentia — per hoc volentes nos inducere, ut nomine personae essentiam intelligamus, cum respondemus: tres personas — ita dicimus: Indubitabiliter verum est, quia non invenitur unum aliquid, quod illi tres sint nisi essentia; unum enim sunt illi tres, id est essentia divina. Unde Veritas ait [2]: *Ego et Pater unum sumus.* Verumtamen, cum quaeritur, quid tres, vel quid tria, non de essentia quaeritur, nec ibi quid ad essentiam refertur; sed cum fides catholica tres esse profiteretur, sicut Ioannes in Epistola canonica [3] ait: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo,* quaerebatur, quid illi tres essent, id est, an essent tres res, et quae tres res, et quo nomine illae tres res significarentur. Et ideo

[a] C *subsistentes.* [b] C hic et infra saepius *substantiae* pro *subsistentiae;* U add. interl. *scilicet;* Z C add. *vel.* [c] D *substantiae.* [d] Z *substantiae vel subsistentiae.*

[1] Lib. VII *De Trin.* c. 6, n. 11 (PL 42, 945). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9; *De Sacram.* I. p. 3, c. 25, et II. p. 1, c. 4 (PL 176, 55, 227, 377).
[2] Ioan. 10, 30. [3] I. Ioan. 5, 7.

loquendi necessitate inventum est ad respondendum hoc nomen persona, et dictum est: tres personae.

Non autem te moveat, quod diximus tres res: non enim hoc 222
dicentes diversarum rerum numerum ponimus in Trinitate, sed ita tres res dicimus, ut easdem esse unam quandam summam rem confiteamur [1].

Unde Augustinus in I libro *De doctrina christiana* [2] sic ait: « Res quibus fruendum est, nos beatos faciunt ». « Res igitur, quibus fruendum est, sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus. Eademque Trinitas una quaedam summa res est communisque fruentibus ea, si tamen res, et non rerum omnium causa sit, si tamen et causa. Non enim facile potest inveniri nomen, quod tantae excellentiae conveniat, nisi quod melius dicitur: Trinitas haec [a] unus Deus [3] ». Sicut ergo tres res dicuntur, et hae sunt una res, ita tres subsistentiae dicuntur, et hae [b] sunt una substantia.

Ecce ostensum est, quae sit intelligentia huius nominis persona, cum dicimus: tres personas.

Cap. III.

Ex quo sensu dicatur: Alia persona Patris, et alia Filii, [alia Spiritus sancti]; sive alius in persona Pater, alius Filius, [alius Spiritus sanctus].

Nunc inspiciamus, utrum secundum eandem rationem et cau- 223
sam dicatur: Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.

Quod utique sane intelligi potest, ut sit sensus talis: Alia est subsistentia vel hypostasis Patris, alia subsistentia Filii, alia subsistentia Spiritus sancti [c]; et alia subsistentia Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus.

Deinde quaeritur, utrum secundum eandem rationem [d] accipia- 224
tur, cum dicitur: Alius est Pater in persona, alius Filius in persona, alius Spiritus sanctus in persona; sive alius personaliter Pater, alius personaliter Filius, alius personaliter Spiritus sanctus.

[a] Z add. *est.* [b] D om. [c] V B D om. *alia s. S. sancti;* quae in U sunt add. marg. [d] D add. *dicatur et.*

[1] Cfr. Abael. IV. *Theol. christ.* (P L 178, 1262). [2] Cap. 3, n. 3 (P L 34, 20). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 10 (P L 176, 57). [3] Ibid. c. 5, n. 5 (P L 34, 21).

Ad quod dicimus, quia etsi posset eodem modo accipi, congruentius tamen ex ratione dicti alia variatur intelligentia, ut hic personae nomine proprietas personae intelligatur, ut sit sensus talis: Alius est in persona vel personaliter Pater, id est, proprietate sua Pater alius est quam Filius, et Filius sua proprietate alius [a] quam Pater; paternali enim proprietate distinguitur hypostasis Patris ab hypostasi Filii, et hypostasis Filii filiali proprietate discernitur a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque distinguitur processibili proprietate.

225 Hoc etiam modo sane potest accipi [b] persona in praemissis locutionibus, cum dicitur: Alia est persona Patris, alia Filii [c], id est, alia est proprietas qua Pater est Pater, alia qua Filius est Filius, alia qua Spiritus sanctus est Spiritus sanctus.

Ita etiam nomine personae quidam [1] proprietates intelligere volunt, cum dicuntur tres personae; sed melius est, ut subsistentias vel hypostases intelligamus cum dicimus tres personas.

Ex praedictis [d] colligitur, quod nomen personae in Trinitate triplicem tenet rationem. Est enim ubi facit intelligentiam essentiae, et est ubi facit intelligentiam hypostasis, et est ubi facit intelligentiam proprietatis.

226 Quod autem secundum substantiam dicatur, et essentiam aliquando significet, supra [2] ex dictis Augustini aperte ostendimus.

Quod vero pro hypostasi atque proprietate accipiatur, ex auctoritatibus Sanctorum ostendi oportet, ne coniecturis nostris aliquid ausi dicere videamur.

De hoc Hieronymus in *Expositione fidei catholicae ad Alipium et Augustinum episcopos* [e] ita ait [3]: « Non est prorsus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius superiusve dici possit, sed tota deitas [f] sui perfectione aequalis est, ut exceptis vocabulis, quae proprietatem indicant personarum, quidquid de una dicitur persona, de tribus dignissime possit intelligi. Atque ut confutantes Arium, unam eandemque dicimus Trinitatis [g] esse substantiam,

---

[a] B D add. *est.* [b] D *intelligi.* [c] Z A add. *alia Spiritus sancti.* [d] B add. interl. *ergo.* [e] Ed. *ad Damasum,* pro *ad Al. et Aug. ep.* [f] D *divinitas.* [g] C *Trinitatem.*

---

[1] Cfr. Abael. III. *Theol.* (P L 178, 1253 et sqq.). [2] Hic c. 4, et dist. XXIII, c. 4. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 4, c. 11 (P L 176, 58 et seq.). [3] Inter opera S. Hieronymi inscribitur *Ad Damasum* (P L 39, 2181, n. 3). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 4, c. 11 (P L 176, 59).

et unum in tribus personis fatemur Deum; ita impietatem Sabellii declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus; non ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Filium, ipsum sibi Spiritum sanctum esse dicentes, sed aliam [a] Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti esse personam. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel, ut Graeci exprimunt, hypostases, id est subsistentias, confitemur. Nec Pater Filii vel Spiritus sancti personam aliquando excludit; nec Filius vel Spiritus sanctus Patris nomen personamque recipit, sed Pater semper [b] Pater, et Filius semper Filius, et Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus. Itaque substantia unum sunt, sed personis ac nominibus distinguuntur ». Ecce hic aperte dicit Hieronymus, proprietates esse personas, et personas esse subsistentias. Unde manifestum fit [c] quod diximus, scilicet personae nomine significari et hypostasim et proprietatem.

Ioannes etiam Damascenus [1] personas dicit esse hypostases, et eas dicit entes, ita inquiens: « In deitate unam naturam confitemur et tres hypostases secundum veritatem entes, id est personas ».

DISTINCTIO XXVI.

Cap. I.

De hoc nomine hypostasis [2].

Nunc de proprietatibus personarum, quas frequenter in hoc 227
tractatu commemoravimus, aliquid nos loqui oportet.

Sed primum audiamus, quid de hoc nomine, scilicet [d] hypostasis, Hieronymus dicit. Ait enim, sub hoc nomine venenum latere. Sed [e] hoc dicit, secundum quod haeretici eo utebantur, ut simplices seducerent, scilicet pro persona et pro essentia, ut, sive dicere-

[a] A add. *dicimus*. [b] U add. *est*. [c] D *est*. [d] Ed. om. [e] Z *et*.

[1] Libr. III *De fide orthodoxa*, c. 5 (PGL 94, 999). [2] Hoc cap., quod in elencho (pag. 8) minus recte unitur dist. XXV, in codicibus U V et aliis, exceptis A C, iungitur huic dist. XXVI. Iam praedecessores nostri ad principium huius dist. illud reportarunt, « quia S. Bonaventura in divisione textus hoc cap. ut partem dist. XXVI commemorat ». (S. Bonav. *Opera omnia*, t. I, pag. 434, nota 3).

tur una tantum hypostasis sive tres, minus peritos ad inconveniens deducerent, cum non erat hoc nomen ita apud catholicos vulgatum, nec ita eius significatio determinata, ut modo. Et ideo Hieronymus dicit, hoc nomine non utendum fore sine distinctione vel expositione, tunc scilicet, quando cum haereticis contendebatur, ita scribens *De fide catholica ad Damasum Papam* [1]: « Ab Arianorum praesule, hypostaseon novellum nomen a me, homine Romano, exigitur. Interrogamus, quid tres hypostases arbitrentur intelligi [a]; tres personas subsistentes, aiunt. Respondemus, nos ita credere. Non sufficit eis sensus, ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis [b] latet. Clamamus: Si quis tres hypostases, id est, tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Si quis autem, hypostasim usiam intelligens, non tribus personis unam hypostasim indicit, alienus a [c] Christo est, qui scilicet, tres hypostases dicens, sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere. Sufficiat nobis dicere unam substantiam et tres personas perfectas et [d] aequales; taceamus [e] tres hypostases, si placet [f]. Non bonae suspicionis est, cum in eodem verbo sensus dissentiunt. Aut si rectum putatis, tres hypostases cum interpretationibus suis debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum sub melle latet; *transfigurat enim se angelus satanae in Angelum lucis* [2] ». His verbis non negat utendum esse nomine hypostasis, sed haereticos eo prave usos ostendit, contra quos cautela opus erat in distinctione significationis; alioquin sibi contradiceret, qui supra tres hypostases confitetur [3].

Cap. II.

De proprietatibus personarum et de nominibus earum relativis.

228 Iam de proprietatibus personarum videamus, quae etiam notiones sive relationes in Scriptura plerumque dicuntur in illa Trinitate sancta; quae ideo a nobis repetitur, ut nostro cordi tenacius infigatur.

---

[a] V add. *vel.* [b] V *singulis.* [c] V *in.* [d] Ita U; ed. om. [e] B add. interl. *ergo.* [f] Ed. add. *Nomen hoc;* quod B habet in margine.

---

[1] Epist. 15, n. 3 et 4 (PL 22, 356 et seq.)*. [2] II. Cor. 11, 14.
[3] Cfr. Abael. IV. *Theol.* (PL 178, 1268).

Ait Augustinus in libro *De fide ad Petrum* [1]: « Aliud est genuisse quam natum esse, aliudque [a] procedere quam genuisse vel natum esse; unde manifestum est, quod alius est Pater, alius est [b] Filius, alius est [c] Spiritus sanctus ». « Et est proprium solius Patris, non quia non est natus ipse, sed quod unum Filium genuit; propriumque [d] solius Filii [e], non quia ipse non genuit, sed quia de Patris essentia natus est; proprium vero Spiritus sancti est, non quia nec natus est ipse, nec genuit, sed quia solus de Patre Filioque procedit [2] ». Ecce breviter assignavit tres proprietates trium personarum, quarum una non est alia. Hoc enim significavit, cum dixit: Aliud est genuisse quam [f] natum esse [g], aliudque procedere, id est, alia proprietas sive notio est generatio, et alia nativitas, alia processio, quae aliis nominibus dicuntur paternitas, filiatio [h]. Has proprietates designant nomina illa personarum, scilicet Pater, Filius [i], Spiritus sanctus, quae relativa sunt, et ad se invicem dicuntur, quia notant relationes, quae non sunt Deo accidentales, sed in ipsis personis ab aeterno sunt immutabiliter, ut non modo appellationes sint relativae, sed etiam ipsae [k] relationes sive notiones in rebus ipsis, scilicet in personis sint.

Cap. III.

Quod non omnia dicuntur de Deo secundum substantiam; quaedam enim secundum relationem, nihil tamen secundum accidens.

Quocirca sciendum est, non omne quod de Deo dicitur, dici 229
secundum substantiam; quia quaedam dicuntur secundum relationem, quae non est accidens, quia non est mutabilis.

Ut enim [l] Augustinus in V libro *De Trinitate* [3] docet [m]: « Nihil in Deo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam [n] dicitur. In rebus creatis atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur,

---

[a] Ed. cum A C add. *est.* [b] Ed. et B D om. [c] Ed. et D om. [d] B *proprium quidem.* [e] V B add. *est.* [f] B *quod.* [g] B *est.* [h] Ed. add. *spiratio;* D add. *processio.* [i] Ed. add. *et.* [k] Ed. cum A C om. [l] Ita U (interlin.) et C; ed. om.; D *unde.* [m] Ed. et B *ait.* [n] Ed. add. *de Deo.*

---

[1] Cap. 1, n. 6 (P L 40, 755). Pro hoc et seq. cap. cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 7, 9 (P L 176, 53, 55); Abael. III. et IV. *Theol.* (P L 178, 1231, 1265 et sqq.). [2] Ibid. c. 2, n. 7. [3] Cap. 5, n. 6 (P L 42, 914).

restat ut secundum accidens dicatur. In Deo [a] autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est aut amissibile; nec tamen omne quod dicitur [b], secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens; quia et ille semper Pater, et ille semper Filius; et ita semper, quia semper natus est Filius, nec coepit unquam esse Filius. Quod si aliquando esse coepisset, aut aliquando desineret esse Filius, secundum accidens diceretur. Et quia Pater non dicitur Pater, nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur [c], nisi ex eo quod habet Patrem; non secundum substantiam haec dicuntur, sed ad invicem ista dicuntur; neque tamen secundum accidens, quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur [d] Filius aeternum atque incommutabile est eis ».

230 Ecce ex [e] his verbis aperte ostenditur, quaedam dici de Deo secundum substantiam, quaedam secundum relationem, nihil tamen secundum accidens. Ostenditur etiam proprietas Patris esse, quod habet Filium, et proprietas Filii, quod habet Patrem. Ideoque, cum dixit, aeternum et incommutabile esse, quod Pater dicitur, et quod Filius dicitur, ita intelligi voluit, id est: Proprietas, qua Pater est Pater, et proprietas, qua Filius est Filius, aeterna est et incommutabilis, quia et Pater semper [f] Pater, et Filius semper Filius.

Unde [g] Hilarius proprietates personarum assignans in libro XII *De Trinitate* [1] ita [h] ait: « Si semper Patri proprium est, quod semper est Pater, necesse est semper Filio proprium esse, quod semper est Filius. Ubi enim semper Pater est, semper et Filius est; ergo qui non semper Pater est, non semper genuit ».

Item in eodem: « Nato Deo manifestum est proprium esse, quod Filius est [2] ».

Cap. IV.

Quare dicatur, proprium esse Unigeniti, Filium Dei esse, cum etiam homines sint filii Dei.

231 Hic quaeritur, quomodo dicatur esse proprium nato Deo, quod est Dei Filius vel genitus ex Deo, cum etiam homines filii Dei di-

[a] D *ideo*, pro *in Deo*. [b] Ed. add. *de Deo*. [c] Ed. add. *Filius;* D add. *esse Filius*. [d] B om. [e] Ed. cum A C D om. [f] Ita U B; ed. add. *est*. [g] Ed. cum C add. *et*. [h] Ed. om.

[1] Num. 23 (PL 10, 447)*. [2] Ibid. n. 15 (PL 10, 442).

cantur et sint, secundum illud: *Filii Excelsi omnes* [1]. Et ad Moysen de populo Israel Dominus ait [2]: *Filius meus primogenitus Israel.*

Sed magna est distantia; homines enim filii Dei sunt factura, non nativitatis proprietate; Deus autem Filius originis [a] proprietate Filius est et veritate nativitatis, non factura vel adoptione; et illi quidem ante sunt, quam filii Dei sint; fiunt enim filii [b], non nascuntur filii Dei.

Unde Hilarius, solum Deum natum originis proprietate Dei filium ostendens, inter ipsum et homines filios Dei evidentissime distinguit in XII libro *De Trinitate* [3] ita dicens: « Vero Patri solus qui ex eo [c] nascitur vere Filius est. Et nos quidem filii Deo [d] sumus, sed per facturam. Fuimus enim *aliquando filii iracundiae* [4], sed filii Dei [e] per adoptionem effecti [f] sumus potius, quam nascimur. Et quia omne quod fit, antequam fiat, non fuit, nos, cum filii non fuissemus, efficimur. Ante enim filii non eramus, sed per gratiam facti sumus, non nati; neque generati [g], sed acquisiti. Acquisivit enim nos Deus sibi, et per hoc nos dicitur genuisse. Genuisse enim Deum filios nunquam cum [h] proprietatis significatione cognoscimus dici ». « Ex adoptione [5] enim homo [i] est filius Dei, non ex generatione; neque ei [k] proprietas est, sed nuncupatio, ac per id non vere filius [l], quia nec proprie natus dicitur, nec semper filius fuit. Unigenitus autem Deus nec fuit aliquando non filius, nec fuit aliquid antequam filius, nec [m] quidquam ipse nisi filius. Atque ita qui semper est filius [n], nascibilitatis proprietate ac veritate filius est eius solius, qui genuit; et ille tantum qui genuit, pater ipsius est, quia sicut ille filius [o] origine, ita pater ille generatione ».

Cap. V.

Quod homo dicitur filius Trinitatis, et Trinitas pater hominum.

Homo [p] vero, qui filius Dei est factura, non tantum Patris, sed 232
et Filii et Spiritus sancti filius est, id est totius Trinitatis; et Trinitas ipsa Pater eius dici potest.

[a] D add. *id est.* [b] Ed. cum D add. *Dei.* [c] V *Deo.* [d] B (post corr.) et D *Dei.* [e] Ed. *Deo.* [f] D *facti.* [g] V B *regenerati;* quod U habuit sed, expuncto *re,* corr. in *generati.* [h] D *ex.* [i] Ed. add. *factus.* [k] D *enim.* [l] Ed. cum A add. *est.* [m] A add. *fuit.* [n] V om. [o] A add. *est.* [p] D *ideo.*

[1] Psalm. 81, 6. [2] Exod. 4, 22. Cfr. Abael. I. *Theol.* c. 5 (P L 178, 1139). [3] Num. 12 et 13 (P L 10, 440). [4] Ephes. 2, 3. [5] Hilar. loc. cit. n 15 *.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [1] ait: « Non potest dici Trinitas pater, nisi forte translative ad creaturam propter adoptionem filiorum. Quod enim scriptum est [2]: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est*, non utique, excepto Filio aut Spiritu sancto, oportet intelligi; quem unum Dominum Deum nostrum recte dicimus etiam Patrem nostrum, per gratiam suam nos regenerantem ».

De hoc Hilarius etiam, in VI libro *De Trinitate* [3] ait: « Omnibus per fidem Deus est pater, quibus est pater; per eam fidem [a], Iesum Christum Dei Filium confitemur ». Ecce ostensum est, quare proprium dicatur esse Dei nati, quod filius est, quia scilicet ipse solus natus proprie dicitur.

Unde Hilarius in libro III *De Trinitate* [4] ait: « Dominus dicens [5]: *Clarifica filium tuum*, non solo nomine contestatus est se esse filium, sed et proprietate. Nos filii Dei sumus, sed non talis hic filius. Hic enim verus et proprius est filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione ».

Cap. VI.

Quod Spiritus sanctus eadem proprietate donum dicitur, qua Spiritus sanctus, et utroque modo relative vel ad Patrem vel ad Filium.

233 Ita etiam et [b] de Spiritu sancto dicendum est, qui proprie dicitur donum Dei, cum tamen et alia plura sint dona Dei. Sed Spiritus sanctus ita proprietate immutabili et aeterna donum [c] est, sicut Filius proprietate [d] filius. Eo enim donum dicitur, quo Spiritus sanctus, et utroque utique nomine relative dicitur, eademque relatione dicitur Spiritus sanctus et donum; licet ipsa relatio non ita appareat in hoc nomine Spiritus sanctus, sicut in hoc nomine donum.

---

[a] Ita omnes codd.; ed. et textus Hilarii sic: *quibus est pater per eam fidem, qua Iesum* etc. [b] Ita U (interlin.) et V; ed. om. [c] A D add. *Dei.* [d] Ed. add. *est.*

---

[1] Cap. 11, n. 12 (PL 42, 918). [2] Deut. 6, 4. [3] Num. 30 (PL 10, 181). Cfr. Abael. I. *Theol.* c. 5 (PL 178, 1139). [4] Num. 11 (PL 10, 81). [5] Ioan. 17, 1.

Unde Augustinus, in V libro *De Trinitate* [1] ita ait: « Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relative dicitur, cum et ad Patrem et ad Filium refertur, quia Spiritus sanctus et Patris et Filii spiritus est. Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem, cum dicitur Donum Dei; donum est enim Patris et Filii, quia et a Patre procedit et a Filio. Ergo Spiritus sanctus ineffabilis quaedam Patris Filiique communio est. Et ideo fortasse sic appellatur, ut iam diximus, nec iterare piget, quia Patri et Filio potest eadem appellatio convenire. Nam hoc ipse proprie dicitur, quod illi communiter, quia et Pater spiritus, et Filius spiritus; et Pater sanctus, et Filius sanctus. Ut ergo ex nomine, quod utrique convenit, utriusque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus ».

Ecce habes, quare Spiritus sanctus proprie dicatur donum, et quod relative dicitur sive donum, sive Spiritus sanctus, et quod nomen sibi proprium tenet, quod communiter Patri et Filio convenit, sed divisim. Et est sciendum, quia cum Pater vel Filius dicitur spiritus, sive sanctus, neutrum relative dicitur, sed secundum substantiam.

Cap. VII.

Utrum Pater vel Trinitas ipsa vel Filius possit dici spiritus sanctus.

Hic quaeri potest, utrum Pater vel Filius vel etiam ipsa Tri- 234
nitas possit dici spiritus sanctus, sicut disiunctim dicitur et spiritus et sanctus.

De hoc Augustinus in V libro *De Trinitate* [2] sic ait: « Trinitas nullo modo potest dici filius, spiritus vero sanctus potest quidem universaliter dici, secundum id quod scriptum est [3]: *Quoniam Deus spiritus est.* Itaque Pater et Filius et Spiritus sanctus, quoniam unus est Deus, et utique Deus sanctus est, et Deus spiritus est, potest appellari trinitas, et spiritus sanctus. Sed

---

[1] Cap. 11, n. 12 (PL 42, 919). Cfr. Abael. I. *Theol.* c. 5 (PL 178, 1134).
[2] Loc. cit. *. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 9 (PL 176, 56), et Abael. loc. cit.
[3] Ioan. 4, 24.

tamen tunc spiritus sanctus relative non dicetur, sed secundum essentiam, quia proprie Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate, dicitur relative ».

Cap. VIII.

Quod non omnia, quae relative dicuntur, suis ad se vicissim respondent vocabulis.

235 Quidam tamen putant, Spiritum sanctum vel donum non dici relative ad Patrem vel [a] Filium.

Si enim, inquiunt, haec relative ad se dicuntur, suis invicem sibi respondent vocabulis; ut, sicut dicitur: Pater Filii pater, et Filius Patris filius, ita dicatur pater Spiritus sancti vel Doni pater, et [b] Spiritus [c] vel Donum, Patris spiritus vel donum. Sed non ita est in omnibus relativis; non enim omnia, quae relative dicuntur, suis ad se vicissim [d] respondent vocabulis.

Unde Augustinus horum elidens opinionem, in V libro *De Trinitate* [1] ait [e]: « Non moveat, inquit, quod diximus, Spiritum sanctum non ipsam Trinitatem, sed eum qui est in Trinitate, relative dici, licet non ei vicissim respondeat vocabulum eius, ad quem refertur. Dicimus enim Spiritum sanctum Patris, sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus sancti, ne filius eius intelligatur Spiritus sanctus. Item dicimus Spiritum sanctum Filii, sed non dicimus Filium Spiritus sancti, ne pater eius intelligatur Spiritus sanctus [f]. In [g] multis enim relativis hoc contingit, ut non inveniatur vocabulum, quo sibi vicissim respondeant. Cum ergo dicimus donum Patris et Filii, non quidem possumus dicere patrem doni aut filium doni, sed ut haec vicissim respondeant, dicimus donum donatoris, et donatorem doni, quia hic potuit inveniri usitatum vocabulum, illic non potuit ». « Donatoris ergo donum, et donator doni cum dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus [2] ». « Donator tamen non fuit Deus nisi ex tempore, cum Spiritus sanctus sit donum etiam ab aeterno [3] ».

---

[a] Ed. cum D add. *ad.* [b] V *ut.* [c] Ed. add. *sanctus.* [d] Ed. cum A D C *invicem.* [e] Ed. om. *ait,* quod B expunxit. [f] V *sancti.* [g] D *de.*

---

[1] Cap. 12, n. 13 (P L 42, 919). [2] Ibid. c. 15, n. 16. [3] Ibid. c. 16, n. 17. Cfr. Abael. loc. cit.

DISTINCTIO XXVII.

Cap. I.

Quae sint illae proprietates, quibus distinguuntur personae.

Hic quaeri potest, utrum proprietates, quas Hilarius supra [1] 236
assignavit, scilicet quod Pater semper est Pater, et Filius semper est Filius, sint illae eaedem proprietates, quas Augustinus [2] superius distinxit dicens, proprium esse Patris, quod genuit Filium; et proprium Filii, quod genitus est a Patre; et Spiritus sancti, quod ab utroque procedit. Ac deinde, utrum et istae sint illae quae dicuntur paternitas, filiatio, processio.

Videtur quod non sint eaedem proprietates, quas ponit Hilarius, et illae, quas ponit Augustinus. Si enim eaedem sunt, idem est ergo Patri esse Patrem et genuisse Filium; quod utique quidam concedunt. Si autem hoc est; cui ergo convenit ut sit Pater, ei convenit genuisse Filium. Natura igitur divina si Pater est, genuit Filium; si vero non genuit [a], Pater non est. Sed quis audeat dicere, aut quod ipsa genuit Filium, aut quod ipsa Pater non sit. Si autem ipsa Pater est, nec Filium genuit, non est ergo idem dicere, aliquid esse Patrem et gignere Filium. Et ita non videtur una eademque esse proprietas.

Ad quod sine praeiudicio aliorum dicimus, quod easdem pro- 237
prietates notavit uterque, licet diversis verbis.

Quod enim Hilarius ait, ita intelligi debet: Proprium Patris est, quod semper Pater est, id est, proprietas Patris est [b], qua semper Pater est; semper vero Pater est, quia semper genuit Filium. Ita et proprium [c] Filii est, quod semper Filius est, id est, proprietas Filii est [d], qua semper Filius est; Filius vero semper est, quia semper genitus est. Ergo [e] proprietas, qua Pater semper [f] est

---

[a] V add. *Filium.* [b] V om. [c] D *proprietas.* [d] V om. [e] V *Est ergo.* [f] Ita U (interl.) et A; ed. om.

---

[1] Dist. praeced. c. 3, et est XII. *De Trin.* n. 23 (PL 10, 417). [2] Libr. V *De Trin.* c. 5, n. 6 (PL 42, 914). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. I, c. 7 et I. *De Sacram.* p. 4, c. 31 (PL 176, 52, 234); Abael. I. *Theol.* c. 4; ac III. et IV. (PL 178, 1229, 1265, 1271, 1275).

pater, est quia semper genuit; et haec eadem dicitur [a] paternitas vel generatio. Et proprietas, qua Filius semper est filius, est [b] quia semper genitus est a Patre; et haec eadem dicitur [c] filiatio, vel genitura, vel nativitas, vel origo, vel nascibilitas. Sic et proprietas, qua Spiritus sanctus est spiritus sanctus vel donum, est quia procedit ab utroque; et haec eadem dicitur processio. In praemissis igitur locutionibus eaedem significatae sunt proprietates.

Cap. II.

Quod non omnino idem dicere est: Esse Patrem et genuisse vel habere Filium.

238 Nec tamen videtur nobis, omnino esse idem dicere aliquid esse Patrem et genuisse Filium; vel aliquid esse Filium et habere Patrem, vel esse Spiritum sanctum et procedere ab utroque. Alioquin Pater non esset nomen hypostasis, id est personae, sed proprietatis tantum; similiter Filius et Spiritus sanctus; et ita non per tria nomina significarentur tres personae.

Ideoque dicimus, quia Patris nomen non tantum relationem notat, sed etiam hypostasim, id est subsistentiam significat, ita et Filius et Spiritus sanctus. Relationum vero vocabula, scilicet paternitas, filiatio, processio, vel gignere, gigni, procedere, ipsas tantum relationes, non hypostases significant, sive habere filium, et habere patrem. Ut [d] verbi gratia, cum dicimus: Deus est pater, nomine patris et relationem notamus et divinam hypostasim significamus, ut sit intelligentia talis: Deus vel divina essentia est Pater, id est ille qui genuit, scilicet hypostasis, quae habet filium. Similiter: Deus est Filius, id est hypostasis genita, vel habens patrem. Ita etiam Deus est Spiritus sanctus, id est hypostasis procedens ab utroque, sive ille qui procedit. Cum vero nomina relationum ponimus in praedicatis, notiones ipsas tantum significamus, non hypostases, ut cum dicitur: Deus genuit, id est habet filium; et Deus genitus est, id est habet patrem [e]. Et tunc oportet intelligi in subiectis hypostases tantum, non essentiam, quae illis proprietatibus determinantur [1].

[a] V om. [b] V om. [c] V add. *generatio.* [d] Z om. [e] V om. *et Deus g. e. i. e. h. patrem.*

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 4, c. 11 (PL 176, 53); Abael. I. *Theol.* c. 6 (PL 178, 978).

Cap. III.

Quod proprietates determinant hypostases, non substantiam, id est naturam.

Illae enim proprietates singulae singulis proprie conveniunt 239
personis, et [a] per eas personae determinantur et a se invicem differunt, sed a se non secedunt.

Unde Ioannes Damascenus ait [b 1]: « Non differunt ab invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum characteristica idiomata, id est determinativas proprietates. Characteristica vero, id est determinativa, sunt hypostaseon et non naturae; etenim hypostases determinant ».

Item [2]: « Esse quidem intemporaliter et aeternaliter dicimus divinam Verbi hypostasim, simplicem, omnia habentem, quae habet Pater, ut eius homousion, id est consubstantialem, nativitatis modo et habitudine a paternali hypostasi differentem, nunquam vero [c] a paternali hypostasi secedentem ».

Idem, apertius exprimens personales proprietates, in eodem ait [3]: « Differentiam hypostaseon, id est personarum, in tribus proprietatibus, id est paternali et filiali et processibili, recognoscimus, insecessibiles autem ipsas hypostases et indistabiles invicem et unitas quidem inconfusibiliter — tres enim sunt, etsi [d] unitae — divisas autem indistanter. Etenim singula perfecta est hypostasis, et propriam proprietatem, scilicet existentiae modum proprium [e] possidet; sed unitae sunt substantia, et non distant neque secedunt a paternali hypostasi ».

Ecce hic habes distinctas tres [f] illas proprietates, quae supra [4] diversis significatae sunt modis [g].

Hic non est praetermittendum, quod sicut Pater et Filius et 240
Spiritus sanctus nomina personarum sunt et proprietates personales designant, ita etiam sunt et alia nomina personarum, id est,

---

[a] V *ut.* [b] Ed. om. [c] D om. [d] B *et sibi.* [e] V om. [f] V om. [g] V B add. *vel nominibus.*

---

[1] *De fide orthodoxa,* III, c. 6 (PGL 94, 1002). Cfr. *Sentent. divin.* pag. 160 et sqq. [2] Ibid. c. 7 (PGL 94, 1010). [3] Ibid. c. 5 (PGL 94, 999).
[4] Dist. XXVI, c. 2, et hic c. 1.

quae ipsas personas significant et earum proprietates denotant, et easdem quas et nomina praedicta, unde et relative dicuntur, scilicet: genitor, genitus, verbum, imago.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [1]: « Videndum est, inquit, hoc significari, cum dicitur genitus, quod significatur, cum dicitur filius. Ideo enim filius, quia genitus, et quia filius, utique genitus ». « Sicut autem [a] filius ad patrem, sic genitus ad genitorem refertur, et sicut pater ad filium, ita genitor ad genitum [2] ».

Idem in libro VI *De Trinitate* [3]: « Verbum quidem solus Filius accipitur, non simul Pater et Filius, tanquam ambo sint unum verbum. Sic enim verbum dicitur, quomodo imago, non autem Pater et Filius simul ambo imago, sed Filius solus est imago Patris, quemadmodum et filius ».

Idem in VII libro *De Trinitate* [4]: « Verbum, secundum quod sapientia est et essentia, hoc est quod Pater; secundum quod verbum, non hoc est quod [b] Pater, quia verbum non est pater, et verbum relative dicitur, sicut filius ».

Item in eodem [5]: « Sicut filius ad patrem refertur, ita et verbum ad eum cuius est verbum, refertur, cum dicitur verbum. Et propterea non eo verbum, quo sapientia dicitur; quia verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cuius est verbum, sicut filius ad patrem ». « Eo quippe [c] filius, quo verbum, et eo [d] verbum, quo filius; sapientia vero, quo essentia; et ideo, quia Pater et Filius [e] una essentia et una sapientia [6] ».

Item in eodem [7]: « Non est Pater ipse verbum, sicut nec filius nec imago. Quid autem absurdius quam imaginem ad se dici »?

Idem in V [f] [8]: « Dicitur relative filius, relative etiam [g] dicitur verbum et imago, et in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur; nihil autem horum pater [h] dicitur ».

---

[a] B (corr.) *enim.* [b] V add. *est.* [c] Ed. add. *est.* [d] Ed. add. *est.* [e] Ed. add. *sunt.* [f] Z add. *libro.* [g] C om. [h] C *ad se.*

---

[1] Cap. 7, n. 8 (PL 42, 915). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 6, 7 (PL 176, 52, 53). [2] Ibid. c. 6, n. 7 (PL 42, 914). [3] Cap. 2, n. 3 (PL 42, 925). [4] Cap. 3, n. 4 (PL 42, 937). [5] Ibid. c. 2, n. 3 (PL 42, 936). [6] Ibid. [7] Ibid. c. 1, n. 1 et n. 2 (PL 42, 933). [8] Cap. 13, n. 14 (PL 42, 920).

Aperte ostensum est [a], quod sicut filius vel genitus relative dicitur ad patrem, ita verbum et imago; et quod eo dicitur verbum sive imago, quo filius, id est, eadem proprietate sive notione dicitúr verbum et imago, qua filius; sed non eo quo verbum, dicitur sapientia vel essentia, quia non notione, qua dicitur verbum, dicitur sapientia. Nam sapientia dicitur secundum essentiam, non secundum relationem.

Cap. IV.

De generali regula eorum quae ad se, et eorum quae relative dicuntur.

Et est hic advertenda quaedam generalis regula eorum quae 241
ad se, et eorum quae relative [b] dicuntur de Patre et Filio.

« Quidquid enim ad se dicuntur, ut ait Augustinus, in VI libro *De Trinitate* [1], non dicitur alter sine altero, id est, quidquid dicuntur quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Ergo nec Pater est Deus sine Filio, nec Filius sine Patre, sed ambo simul Deus », sed non ambo simul pater, nec simul [c] filius vel verbum vel imago.

Cap. V.

An secundum substantiam dicatur: Deus de Deo et huiusmodi.

Hic quaeritur, cum dicitur: Deus de Deo, lumen de lumine, 242
et huiusmodi, utrum dicantur secundum substantiam. Nam secundum relationem constat ista non dici. Si vero secundum substantiam dicuntur, simul ambo, scilicet Pater et Filius [d], possunt dici Deus de Deo, lumen de lumine, secundum praedictam regulam [2].

Ad quod dicimus, quia licet Deus secundum substantiam dicatur et lumen et sapientia et huiusmodi, et nunquam relative

[a] V om. [b] C *relatione.* [c] B expunxit. [d] A add. *non.*

[1] Cap. 2, n. 2 (P L 42, 925). [2] Cfr. Abael. IV. *Theol.* (P L 178, 1295 et seq.).

accipiantur, aliquando tamen pro relativis, id est pro personis, sed non relative accipiuntur; ut, cum dicitur: Deus genuit Deum, alterum pro Patre, alterum pro Filio ponimus; similiter, cum dicitur: Deus de Deo, lumen de lumine. In aliis quoque locutionibus saepe reperiuntur nomina essentiae ad significationem personarum deducta, ut cum dicitur: Deus natus, Deus mortuus, Deus passus, ubi Filius tantum [a] significatur. Ita et de solo Filio intelligitur, cum dicitur: Deus de Deo, et huiusmodi.

Unde Augustinus quaerens quomodo huiusmodi dicantur, in VI libro *De Trinitate* ait [1]: « Quomodo Deus de Deo, lumen de lumine dicitur? Non enim simul ambo Deus de Deo, sed solus Filius de Deo, scilicet Patre; nec ambo simul lumen de lumine, sed solus Filius de lumine Patre ».

243 Et est sciendum, quod secundum nomina substantiae tantum [b] dicitur illud [c] de illo, licet illa nomina ibi substantiam non significent. Secundum vero eadem [d] nomina personarum nunquam dicitur illud de illo, sicut Verbum de Verbo, vel Filius de Filio, quia huiusmodi nomina diversis personis convenire non possunt.

Quod Augustinus, licet obscure, in eodem libro [2] ita dicit: « Hoc solum de eis dici non potest [e] illud de illo, quod simul ambo non sunt »; id est, illo solo nomine non possumus uti ad ostendendum unum de uno, quod simul ambobus non convenit, « sicut Verbum de Verbo dici non potest, quia non simul ambo Verbum [f], nec Imago de Imagine, nec Filius de Filio, quia non simul ambo Filius, vel Imago [3] ».

244 Et sicut nomina substantiae aliquando intelligentiam personarum distincte faciunt, ita etiam interdum [g] totius Trinitatis simul.

Unde Augustinus in eodem libro [4] ait: « In Patris nomine ipse Pater per se pronuntiatur, in Dei vero nomine et ipse [h] et Filius et Spiritus sanctus, ut cum dicitur [5]: *Nemo bonus nisi solus* [i] *Deus,* quia Trinitas est [k] unus Deus ».

---

[a] D om. [b] A *maxime.* [c] V *aliud;* D add. *maxime.* [d] U delevit. [e] Z add. *scilicet.* [f] A add. *de Verbo.* [g] D *intellectum.* [h] Ed. add. *Pater.* [i] V Z D om. [k] D om.

---

[1] Cap. 2, n. 3. [2] Ibid. [3] Ibid. [4] Rectius libr. V, c. 8, n. 9 (PL 42, 917). [5] Luc. 18, 19.

DISTINCTIO XXVIII.

Cap. I.

Quod non tres tantum sunt proprietates personarum.

Praeterea considerari [a] oportet, quod non tantum tres praedictae 245
proprietates sive notiones in personis sunt, verum etiam aliae, quae aliis notantur nominibus [1].

Nam etiam hoc nomen Ingenitus relative dicitur de Patre tantum, et aliam designat notionem quam Pater vel Genitor. Non est enim idem esse patrem et esse ingenitum, id est, non ea notione pater dicitur, qua ingenitus. Pater enim, ut praedictum est [2], dicitur secundum proprietatem generationis, ingenitus autem secundum proprietatem innascibilitatis. Differt ergo Pater a Filio auctoritate generationis, differt etiam proprietate innascibilitatis, id est quia ingenitus.

Unde Augustinus, distinguens inter proprietatem, qua dicitur pater, et illam, qua dicitur ingenitus, in V libro *De Trinitate* [3] sic ait: « Non est hoc dicere ingenitum quod est patrem dicere; quia etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet dicere eum ingenitum. Et si gignat quisque filium, non ex eo ipse [b] est ingenitus, quia geniti homines gignunt alios »; non ergo ideo dicitur pater, quia ingenitus. Ideoque cum « de Deo Patre utrumque dicatur, alia notio est, qua intelligitur genitor, alia, qua ingenitus: genitor enim dicitur ad genitum, id est filium. Cum vero ingenitus dicitur, non quid sit, sed quid non sit, dicitur » [4].

« Hoc exemplis planum faciendum est. Quod dicitur ingenitus, 246
hoc [c] ostenditur, quod non sit filius; sed genitus et ingenitus commode dicuntur, filius autem latine dicitur, sed ut dicatur in-filius, non admittit loquendi consuetudo; nihil tamen intellectu demitur, si dicatur non-filius; quemadmodum etiam, si dicatur non-genitus pro eo quod dicitur ingenitus, nihil aliud dicitur. Ideo non est in

[a] Ed. *considerare.* [b] B *ipso.* [c] V *hic.*

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 10 et 11 (PL 176, 57, 59); Abael. I. *Theol.* c. 4; et III. (PL 178, 1131, 1230, 1254 et seq.). [2] Dist. XXVI, c. 2, et dist. XXVII, c. 1 et sqq. [3] Cap. 6, n. 7 (PL 42, 914). [4] Ibid.

rebus considerandum, quid vel sinat vel non sinat dici usus sermonis nostri, sed quis [a] rerum ipsarum intellectus elucear. Non ergo iam tantum dicamus ingenitum, sed et non genitum, quod tantum valet. Numquid ergo aliud dicimus, quam non filium? Negativa porro particula non id efficit, ut quod sine illa relative dicitur, eadem praeposita, substantialiter dicatur; sed id tantum negatur, quod sine illa aiebatur, sicut in aliis praedicamentis, cum dicimus: Homo est, substantiam designamus. Qui ergo dicit: Non homo est, non aliud genus praedicamenti enuntiat[b], sed tantum illud negat. Sicut ergo secundum substantiam aio: Homo est, sic secundum substantiam nego, cum dico: Non homo est[c]. At si tantum valet quod dicitur genitus, quantum valet quod dicitur filius, tantundem ergo valet quod dicitur non genitus, quantum valet quod dicitur non-filius. Relative autem negamus dicendo non-filius; relative igitur negamus dicendo non genitus. Ingenitus porro quid est nisi non genitus? Non ergo recedimur a relativo praedicamento, cum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus non ad se dicitur, sed quod ex genitore sit; ita cum dicitur ingenitus, non ad se dicitur, sed quod ex genitore non sit, ostenditur; utrumque tamen relative dicitur. Quod autem relative pronuntiatur non indicat substantiam. Quamvis ergo diversum sit genitus et ingenitus, tamen non[d] indicat diversam substantiam, quia sicut filius ad patrem, et non filius ad non-patrem refertur, ita genitus ad genitorem, et[e] non genitus ad non-genitorem referatur necesse est[1] ».

Ecce evidenter ostendit, quod ingenitus relative dicitur et de solo Patre accipitur, aliaque notio est, qua dicitur ingenitus, alia, qua pater. Atque tantum valet, cum dicitur ingenitus, quantum non-genitus vel non-filius.

Cap. II.

An solus Pater debeat dici non-genitus vel non-filius, sicut dicitur ingenitus.

247 Ideo solet quaeri, utrum, sicut solus Pater dicitur ingenitus, ita ipse solus debeat dici non genitus vel non-filius, ut nec etiam Spiritus sanctus possit dici non-filius vel non-genitus[2].

[a] V *quid.* [b] V *essentiat.* [c] D om. [d] D om. [e] A *ita.*

[1] Ibid. n. 8*. [2] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 4, c. 7 (PL 176, 53); Abael. I. *Theol.* c. 4; Ibid. IIbv. III; item I. *Introd.* c. 6 (PL 178, 1132, 1231, 988).

Quibusdam videtur, quod Pater solus debeat dici non-genitus vel non-filius; Spiritus vero sanctus, sicut non dicitur ingenitus, ita, inquiunt, non est dicendus non-genitus vel non-filius. Debet quidem dici et credi Spiritus sanctus non esse genitus, vel non esse filius, sed non debet dici esse non-genitus vel non-filius.

Aliis autem [a] videtur, quod cum Spiritus sanctus non possit dici ingenitus, potest tamen dici non-genitus vel non-filius. Quod vero Augustinus supra ait, tantum valere, cum dicitur ingenitus, quantum, cum dicitur non-genitus vel non-filius, etymologiam nominis ostendendo eum hoc dixisse dicunt, non ratione praedicationis.

Cap. III.

De proprietate, quam notat ingenitus.

Si autem vis scire, quae sit proprietas, secundum quam Pa- 248
ter dicitur ingenitus, audi Hilarium ipsam vocantem innascibilitatem, in IV libro *De Trinitate*[1] ita aientem: « Est unus ab uno, scilicet ab Ingenito Genitus, proprietate videlicet in unoquoque et innascibilitatis et originis. Significata ergo in Scripturis personarum intelligentia, et distincto [b] innascibilitatis nativitatisque sensu, solitarius Deus non est opinandus. Discretio ergo vel distinctio personarum in Scripturis posita est, in nullo autem naturae distincto ».

Cap. IV.

Responsio Ambrosii contra Arianos de ingenito.

Illud etiam [c] taceri non oportet, quod Ariani ex eo probare 249
nitebantur, alterius substantiae esse Patrem, alterius Filium, quia ille ingenitus, et iste genitus dicitur, cum diversum sit esse ingenitum, et esse genitum.

Unde Ambrosius eorum quaestioni respondens dicit, se in divinis Scripturis hoc nomen, scilicet ingenitus, non legisse, ita inquiens in libro *De Spiritu sancto* [d] [2]: « Cum dudum audierint quidam, dicentibus nobis, Filium Dei, qui generatus est, Patri qui ge-

[a] D om. [b] V D *distinctio.* [c] V *autem.* [d] Ita omnes codd.; ed. *De Incarnationis Dominicae sacramento.*

[1] Num. 33 (PL 10 120). [2] Potius *De Incarnationis Dominicae sacramento*, c. 8, n. 79 et 80 (PL 16, 838).

neravit, inaequalem esse non posse, quamvis ille generatus sit, iste generaverit, quia generatio [a] est naturae; adversus quidem illam quaestionem vocem sibi arbitrantur acclusam [b], sed tergiversatione damnabili in eodem loco vestigium vertunt, ut putent, mutationem fieri quaestionis mutatione sermonis, dicentes: Quomodo possunt ingenitus et genitus esse unius naturae atque substantiae? Ergo ut respondeam mihi propositae quaestioni, primo omnium in divinis Scripturis ingenitum nusquam invenio, non legi, non audivi. Cuius igitur [c] mutabilitatis sunt homines huiusmodi, ut nos dicant ea usurpare, quae non sunt scripta, cum ea quae sunt scripta dicamus, et ipsi obiiciant quod scriptum non sit? Nonne ipsi sibi adversantur et auctoritatem calumniae suae derogant »?

Attende, lector, quoniam hoc nomine ingenitus nolebat uti Ambrosius propter haereticos. Ita et nos subticere quaedam oportet propter calumniantium insidias, quae catholicis ac piis lectoribus secure credi possunt. Sunt etenim quaedam, quae non tantae sunt religionis et auctoritatis, ut eis nos oporteat semper confitendo ac recipiendo inservire, verum silentio praeteriri queunt aliquando; nec illius tamen sunt perversitatis, quin, cum opportunum fuerit, eis uti liberum habeamus [d].

Cap. V.

An diversum sit esse patrem et esse filium.

250 Praeterea quaeri solet, cum supra [1] dictum sit, quia aliud est dicere ingenitum, aliud patrem, et quod diversum sit genitus et ingenitus, utrum similiter diversum sit esse patrem et esse filium, an idem [2].

Ad quod dicimus, quia ex eodem sensu, quo dicitur diversum genitus et ingenitus, et quo dicitur, non esse idem dicere genitum et ingenitum, potest dici, non esse idem sed diversum esse patrem et esse filium, vel esse spiritum sanctum, quia non ea notione Pater est pater, qua Filius est filius, vel qua Spiritus sanctus est spiritus sanctus. Ideoque ex hoc sensu concedimus, quod aliud est esse patrem, et aliud est esse filium, quia alia notio est, qua

[a] Ed. add. *non potestatis sed.* [b] Ed. *occlusam* [c] B om. [d] B C add. *arbitrium.*

[1] Cap. 1. [2] Cfr. Abael. III. *Theol.*, et I. *Introd.* c. 5 (PL. 178, 1233, 987).

Pater est pater, alia, qua Filius est filius. Sed si transponas, ut [a] dicas, aliud est patrem esse, aliud filium esse, variatur intelligentia; et ideo non conceditur. Est enim sensus talis [b] ac si dicatur: Aliud est, quo Pater est, non quidem [c] pater, sed est; aliud, quo Filius est, non quidem [d] filius, sed est; quod penitus falsum est. Eo enim Pater est, quo Pater Deus est, id est per essentiam vel naturam; at Filius eo Deus est, quo Pater est Deus; eo igitur Filius est, quo Pater est, et ita idem est Patrem esse et Filium esse; sed non est idem esse patrem et esse filium.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [1] ait: « Quamvis diversum sit esse patrem et esse filium, non est tamen diversa substantia, quia hoc non secundum substantiam dicitur, sed secundum relativum; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile ». Ecce diversum esse dicit esse patrem et esse filium; quod iuxta rationem praedictam accipi oportet, quia scilicet alia notio est, qua est pater, alia, qua est filius: non enim secundum essentiam Pater dicitur pater, vel Filius filius, sed secundum relationem.

Cap. VI.

Si sapientia dicitur genita secundum relationem, vel secundum substantiam.

Secundum quoque est, quod sicut solus Filius dicitur Verbum 251
vel Imago, ita etiam ipse solus dicitur Sapientia nata vel genita. Et ideo quaeritur, utrum hoc relative dicatur; et si relative dicitur, an secundum eandem relationem, qua dicitur Verbum et Imago.

De hoc Augustinus in VII libro *De Trinitate* [2] ita [e] ait: « Id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata Sapientia, ut sit et Filius et Imago; et haec duo cum dicuntur, id est nata Sapientia, in uno eorum, eo quod est nata, et Verbum et Imago et Filius intelligitur — et in omnibus his nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur — at in altero, quod est Sapientia, etiam essentia demonstretur, quoniam et ad se dicitur. Se ipsa enim sapiens est, et hoc est eius esse quod sapere; unde Pater et Filius simul una sapientia, quia una essentia ».

---

[a] D A *et.* [b] B om. [c] V *quod.* [d] V *quod.* [e] V om.

---

[1] Cap. 5, n. 6 (P L 42, 914). [2] Cap. 2, n. 3 (P L 42, 936); cfr. Abael. I. *Theol.*, c. 5 (P L 178, 1135).

252 Cave, lector, qualiter [a] intelligas, quod hic dicit Augustinus. Videtur enim dicere, quod cum dicitur nata Sapientia, ibi sapientia essentiam significet, et nata relationem notet. Quod si ita est, cogimur dicere, essentiam divinam esse natam; quod superioribus repugnat.

Sed ad hoc dicimus, quod in altero, id est, in eo quod est nata, eadem notio intelligitur, quae notatur cum dicitur Verbum et Imago; in altero vero, scilicet Sapientia, demonstratur essentia, id est, demonstratur quod Filius sit essentia, quia Sapientia secundum essentiam dicitur. Et ideo cum dicitur nata Sapientia, intelligitur quod ipse qui [b] natus est, essentia est. Ibi tamen sapientia non pro essentia, sed pro hypostasi facit [c], ut, sicut quando dicitur Verbum vel Filius, intelligitur hypostasis cum sua proprietate; ita cum dicitur nata Sapientia, idem intelligatur, id est genita hypostasis. Ideo vigilanter ait, idem esse intelligendum, cum dicitur Verbum, et cum dicitur nata Sapientia, id est eadem relatio eademque hypostasis, cui inest illa proprietas. Et ex hoc adiuvatur illud quod supra [1] diximus, scilicet quod cum dicitur Pater vel Filius vel Spiritus sanctus, non tantum illae proprietates significantur, ut cum dicitur paternitas, filiatio, sed etiam hypostases cum suis proprietatibus.

Cap. VII.

De imagine.

253 Illud etiam sciri oportet, quia cum supra [2] dictum sit, Imaginem relative dici de Filio, sicut Verbum vel Filius, interdum tamen reperitur secundum substantiam dici.

Unde Augustinus in libro *De fide* [a] [3] dicit, quod una est sanctae Trinitatis essentialiter divinitas et imago, ad quam factus est homo.

Hilarius etiam in V libro *De Trinitate* [4] sic ait: « Homo fit ad communem imaginem. Nomen non discrepat, natura non differt; una est enim ad quam homo creatus est species ». Ex his [e] ostenditur, quod imago aliquando essentiae intelligentiam [f] facit, et tunc ad se dicitur et non relative.

---

[a] Z *quomodo;* ed. add. *hoc.* [b] Ed. *quia.* [c] Ed. add. *intelligentiam.* [f a] Ed. et B (manu poster.) add. *ad Petrum.* [e] Ed. add. *verbis.* [f] D *intelligentiae essentiam,* pro *essentiae intelligentiam.*

---

[1] Dist. XXVII, c. 3, pag. 173. [2] Ibid. c. 3, pag. 174. [3] Cap. 1, n. 5 (P L 40, 755). [4] Num. 8 (P L 10, 134).

DISTINCTIO XXIX.

Cap. I.

De principio.

Est praeterea aliud nomen, multiplicem notans relationem, sci- 254
licet principium: dicitur enim principium semper ad aliquid. Et dicitur Pater principium, et Filius principium, et Spiritus sanctus principium, sed differenter: nam Pater dicitur principium ad Filium et ad Spiritum sanctum.

Unde Augustinus in libro IV *De Trinitate* [1] ait: « Pater est principium totius divinitatis, vel si melius dicitur, deitatis, quia ipse est a nullo. Non enim habet de [a] quo sit, vel de quo procedat »; sed ab eo et Filius est genitus, et Spiritus sanctus procedit. Non igitur dicitur principium totius deitatis, quod vel sui vel divinae essentiae principium sit, sed quia principium est Filii et Spiritus sancti, in quibus singulis tota divinitas est. Filius ad Spiritum sanctum dicitur principium [b]; Spiritus vero sanctus non dicitur principium nisi ad creaturas, ad quas etiam et [c] Pater dicitur principium, et Filius et Trinitas ipsa simul et singula persona principium dicitur creaturarum. « Pater eego principium est sine principio, Filius principium de principio, Spiritus sanctus principium de utroque, id est de Patre et [d] Filio [2] ».

Cap. II.

Quod ab aeterno Pater est principium et Filius, sed non Spiritus sanctus.

Et Pater ab aeterno principium est Filii, et Pater et Filius 255
principium [e] Spiritus sancti, quia Filius est a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque [f]; Spiritus vero sanctus non ab aeterno prin-

---

[a] V *a.* [b] V B D om. *dicitur principium,* quod U habet in margine. [c] Ed. om. [d] B add. *de.* [e] U add. *est.* [f] V add. *est.*

---

[1] Cap. 20, n. 28 et 29 (P L 42, 908); cfr. Abael. IV. *Theol.* (P L 178, 1291). [2] August., II. *Contra Maxim.* c. 17, n. 4. (P L 42, 784). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 11 (P L 176, 60).

cipium est, sed esse coepit, quia non dicitur principium nisi ad creaturas. Cum ergo creaturae esse coeperunt, et Spiritus sanctus esse coepit principium earum. Ita etiam Pater et Filius esse coepit cum Spiritu sancto unum principium creaturarum, cum [a] creaturae coeperunt esse a Patre et Filio et Spiritu sancto. Et dicuntur hi tres, non tria sed unum principium omnium creaturarum, quia uno eodemque modo principium rerum sunt. Non enim aliter sunt res a Patre et aliter a Filio, sed penitus eodem modo.

Ideo Apostolus intelligens hanc Trinitatem unum esse principium rerum, ait [1]: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* « Cum vero [b] audimus, omnia esse ex Deo, ut ait Augustinus [c] *De natura boni* [2], omnes utique naturas intelligere debemus, et omnia quae naturaliter sunt. Non enim ex [d] ipso sunt peccata, quae naturam non servant, sed vitiant, quae ex voluntate peccantium nascuntur ».

256 Omnium ergo, quae naturaliter sunt, unum principium est Pater cum Filio et Spiritu sancto, et hoc esse coepit. Ab aeterno autem Pater principium Filii est generatione, et Pater et Filius unum principium [e] Spiritus sancti.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [3] ita [f] ait: « Dicitur [g] relative Pater, idemque relative dicitur principium; sed Pater ad Filium dicitur, principium vero ad omnia [h] quae ab ipso sunt. Et principium dicitur Filius. Cum enim diceretur ei [4]: *Tu quis es?* respondit: *Principium, qui et loquor vobis.* Sed numquid Patris principium est? Immo creatorem se voluit ostendere cum se dixit esse principium, sicut et Pater principium est creaturae, quia ab ipso sunt omnia. Cum vero dicimus et Patrem principium et Filium principium, non duo principia creaturae dicimus, quia Pater et Filius simul ad creaturam unum principium est [i], sicut [k] unus creator. Si autem quidquid in se manet et gignit vel operatur aliquid, principium est eius rei quam gignit, vel eius quam operatur, non possumus negare, etiam Spiritum sanctum [l]

---

[a] Ita U; ed. *quia.* [b] B *ergo.* [c] Z B C add. *in libro.* [d] V D *ab.* [e] A add. *sunt.* [f] D om. [g] Z add. *autem.* [h] D *ea.* [i] C *sunt.* [k] B add. interl. *est.* [l] D add. *esse principium et.*

---

[1] Rom. 11, 36. [2] Cap. 28 (P L 42, 560). Quae praecedunt, reperies apud August., V. *De Trin.* c. 13, n. 14 (P L 42, 920)*. [3] Cap. 13, n. 14. Vide etiam *Enarrat. in Psalm.* 109, n. 13 (P L 37, 1456). [4] Ioan. 8, 25.

recte dici principium, quia non eum separamus ab appellatione creatoris; quia scriptum est [1] de illo, quod operetur, et utique in se manens operatur: non enim in aliquid eorum quae operatur, ipse mutatur et vertitur. Unum ergo principium ad creaturam cum Patre et Filio est Spiritus sanctus, non duo vel tria principia ».

Ecce aperte ostendit Augustinus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse unum principium rerum creatarum, id est, uno eodemque modo esse principium; et illum modum satis aperuit, quia scilicet operantur omnia, et quia simul [a] operantur hi tres, ideo unum principium esse dicuntur [2].

Cap. III.

Quomodo Pater sit principium Filii, et ipse cum Filio Spiritus sancti.

Deinde [b] in eodem libro continue ostendit, quomodo Pater di- 257
catur [c] principium ad Filium, et ad Spiritum sanctum ipse et Filius, dicens, ideo Patrem esse principium Filii, quia genuit eum, et Patrem et Filium esse principium Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus procedit vel datur ab utroque [3].

Ait enim ita [4]: « Si gignens ad id quod gignit [d] principium est, Pater ad Filium principium est, quia genuit eum. Utrum autem et ad Spiritum sanctum principium sit Pater, quia dictum est [5]: *De Patre procedit,* non parva quaestio est. Quod si ita est, non iam principium ei tantum rei erit, quam gignit aut facit, sed etiam ei, quam dat, et quae procedit ab ipso. Si ergo quod datur vel quod procedit, principium habet a quo datur vel procedit, fatendum est, Patrem et Filium [e] principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut Pater et Filius ad creaturam relative unus creator et unus dominus dicitur, sic relative ad Spiritum sanctum unum principium. Ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus sanctus unum principium [f] sicut unus creator et unus dominus ».

[a] Ita U D A; ed. *similiter.* [b] D *Item.* [c] B add. *esse.* [d] Ed. et B *gignitur.* [e] A add. *eundem.* [f] Ed. et B add *sunt.*

[1] I. Cor. 12, 11. [2] Pro hoc et seq. cap. cfr. Abael., IV. *Theol.* (P L 178, 1293). [3] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 11 (P L 176, 60). [4] Libr. IV *De Trin.* c. 14, n. 15 (P L 42, 920). [5] Ioan. 15, 26.

Ecce habes, quod Pater principium Filii dicitur, quia genuit eum; qua ergo notione est [a] Pater, ea principium Filii dicitur, id est generatione, secundum quam etiam dicitur auctor Filii.

258 Unde Hilarius in IV libro *De Trinitate* [b] [1] ait: « Ipso quo Pater dicitur, eius quem genuit auctor ostenditur, id habens nomen quod neque ex alio profectum intelligatur, et ex quo is qui genitus est, substitisse doceatur ». « Novit Ecclesia unum innascibilem Deum, novit unigenitum Dei Filium. Confitetur Patrem ab origine liberum, confitetur et Filii originem ab initio, non [c] ipsum ab initio, sed ab ininitiabili [d], non per se ipsum, sed ab eo qui a nemine est, natum ab aeterno, nativitatem scilicet [e] ex paterna aeternitate sumentem. Edita est hic fidei professio, sed professionis ratio nondum exposita est [2] »; et ideo quaerenda, scilicet quomodo intelligendum sit quod ait, Filii originem esse ab initio, et non ipsum esse ab initio, sed ab ininitiabili.

259 Hoc utique subdens determinavit, quomodo acceperit initium, inquiens, originem Filii esse ab initio, ac si diceret: Non ita intelligas, originem Filii esse ab initio [f], quasi ipse Filius habeat initium, sed quia ipse [g] est ab ininitiabili, id est a Patre, a quo sunt omnia. Nam licet Filius sit principium de principio, non est tamen concedendum, quod Filius habeat principium. Cumque Filius sit principium de principio, et Pater principium non de principio, non est principium de principio principium sine principio, sicut Filius non est Pater; neque duo tamen principia, sed unum, sicut Pater et Filius non duo creatores, sed unus creator [h].

Cap. IV.

An eadem notione Pater et Filius sint principium Spiritus sancti.

260 Unum autem principium sunt Pater et Filius non tantum creaturarum, ut dictum est supra [3], sed etiam Spiritus sancti; ideo quaeri solet, utrum eadem notione Pater sit principium Spiritus sancti et Filius, an sit alia [i] notio, qua Pater dicatur principium Spiritus sancti, et alia, qua Filius.

[a] D om. [b] Z add. *ita.* [c] A add. *tamen.* [d] Hic et deinceps omnes codd. *initiabili*, quod tamen aliquando corrector posterior emendavit, cum sit aperte erroneum. [e] D *sed.* [f] D om. *ac si diceret... initio.* [g] D add. *Filius.* [h] D add. *sunt.* [i] V *ipsa.*

[1] Num. 9. (PL 10, 102). [2] Ibid. n. 6. [3] Hic, c. 2.

Ad quod dicimus, cum Pater dicatur principium Spiritus sancti 261
et Filius — quia Spiritus sanctus procedit vel datur ab utroque, nec aliter procedit vel datur a Patre quam a Filio — sane intelligi potest, Patrem et Filium eadem relatione vel notione dici principium Spiritus sancti.

Si vero quaeritur, quae sit illa notio, quam ibi notat princi- 262
pium, nomen eius non habemus [1], sed non est ipsa paternitas vel filiatio, immo notio quaedam [a], quae Patris est et Filii, qua ab aeterno Pater et Filius unum [b], principium est [c] Spiritus sancti. Donator autem, ut praedictum est [2], dicitur Pater vel Filius ex tempore, sicut Spiritus sanctus datum vel donatum [d].

DISTINCTIO XXX.

CAP. I.

De his quae temporaliter de Deo dicuntur, et relative secundum accidens, quod non Deo, sed creaturis accidit.

Sunt [e] etiam quaedam, quae ex tempore de Deo dicuntur, eique 263
temporaliter conveniunt sine sui commutatione [f], et relative dicuntur secundum accidens, non quod accidit [g] Deo, sed quod accidit creaturis, ut: creator, dominus, refugium, datum vel donatum et huiusmodi.

De his Augustinus in V libro *De Trinitate* [3] ita [h] ait: « Creator relative dicitur ad creaturam, sicut dominus ad servum ».

Item [4]: « Non moveat, quod Spiritus sanctus, cum sit coaeternus Patri et Filio, dicitur tamen aliquid ex tempore, veluti hoc ipsum quod donatum diximus. Nam sempiterne Spiritus est donum,

---

[a] A add. *est.* [b] D om. [c] Ita UA; ed. *sunt.* [d] A add. *in tempore.* [e] D *sicut.* [f] Ed. et D *mutatione.* [g] Ed. *accidat.* [h] Ed. om.

---

[1] Hodie receptum est nomen *spiratio,* consecratum a Concilio Lugdunensi II. (an. 1274): « Spiritus sanctus... non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit ». [2] Dist. XIV, XV et XVIII. [3] Cap. 13, n. 14 (PL 42, 920). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 10 (PL 176, 58); Abael., III. et IV. *Theol.* (PL 178, 1255, 1309). [4] Ibid. c. 16, n. 17 (PL 42, 924 et seq.).

temporaliter autem donatum. Et si dominus non dicitur, nisi cum habere incipit servum, etiam ista appellatio [a] relativa ex tempore est Deo. Non enim sempiterna creatura est, cuius ille dominus est; ergo dominum esse non sempiternum habet, ne cogamur etiam creaturam sempiternam dicere, quia ille sempiterne non dominaretur, nisi etiam ista sempiterne famularetur. Sicut autem non potest esse servus qui non habet dominum, sic nec dominus qui non habet servum ».

264 Sed hic aliquis dicet, quod non ex tempore competit Deo haec appellatio, qua dicitur dominus, quia non est tantum dominus rerum, quae ex tempore coeperunt, sed etiam illius rei, quae non coepit ex tempore, id est ipsius temporis, quod non coepit in [b] tempore, quia non erat ante tempus quam inciperet; et ideo non coepit esse dominus ex tempore [c].

Ad quod dici potest, quia licet non coeperit ex tempore esse dominus temporis [d], coepit tamen esse dominus temporis, quia non semper fuit tempus; et ipsius hominis ex tempore coepit esse dominus [e].

De hoc Augustinus in eodem libro [1] continue ita dicit: « Quisquis extiterit, qui aeternum Deum solum dicat, tempora vero non esse aeterna propter varietatem et mutabilitatem, sed tamen [f] tempora non in tempore esse coepisse, quia non erat tempus, antequam tempora inciperent, et ideo non in tempore acciderit [g] Deo, ut dominus esset, quia ipsorum temporum dominus erat, quae utique non in tempore esse coeperunt — quid respondebit de homine, qui in tempore factus est, cuius utique dominus non erat, antequam [h] esset? Certe, ut dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo, et ut omnis amoveatur controversia, certe ut tuus dominus esset vel meus, qui modo esse coepimus, ex tempore habuit. Quomodo igitur obtinebimus, nihil secundum accidens dici Deum [i]?

---

[a] V *relatio.* [b] Ed. *ex.* [c] B om. *ex tempore.* [d] D om. [e] A B D C hic addunt sequentem notulam, quam V ponit ut collateralem, et quam U Z omittunt: « Quando coepit tempus, Deus coepit esse dominus, nec ante tempus fuit dominus, sed cum tempore, non ex tempore vel in tempore, quia non ante fuit tempus quam ipse dominus, sed simul ». [f] Ed. et D add. *ipsa.* [g] Ed. *accidere.* [h] D add. *factus.* [i] Ed. B (corr. post.) et D *de Deo.*

---

[1] Loc. cit. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 10 (P L 176, 58); Abael, III. *Theol.* loc. cit.

Nisi quia ipsius naturae nihil accidit, quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa, quae cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt, sicut amicus relative dicitur. Non enim amicus esse incipit, nisi cum amare coeperit; fit ergo aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. Nummus vero, cum dicitur pretium, relative dicitur; nec tamen mutatus est, cum esse coepit [a] pretium, neque cum dicitur pignus et huiusmodi. Si ergo nummus potest nulla [b] sui mutatione toties dici relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in eius natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat: quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, quod ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut, quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiae Dei accidisse aliquid [c] intelligatur, sed illi creaturae, ad quam dicitur. Qualiter etiam *refugium nostrum* [1] dicitur: refugium enim nostrum [d] dicitur Deus relative: ad nos enim refertur, et tunc refugium nostrum fit [e], cum ad eum refugimus. Nunquid tunc fit aliquid in eius natura, quod, antequam refugeremus ad eum, non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio, qui ad eum refugiendo efficimur meliores; in illo autem nulla. Sicut et pater noster esse incipit, cum per eius gratiam regeneramur, qui *dedit* nobis *potestatem filios Dei fieri* [2]. Substantia igitur nostra mutatur in melius, cum filii eius efficimur. Simul [f] et ille pater noster esse incipit, sed nulla suae commutatione substantiae. Quod ergo temporaliter dici incipit Deus quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici, non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens eius, ad quod dici aliquid Deus incipit relative ».

Ex his aperte ostenditur, quod quaedam de Deo temporaliter dicuntur relative ad creaturas sine mutatione deitatis, sed non sine mutatione creaturae; et ita accidens est in creatura, non in Creatore, et appellatio, qua creatura relative dicitur ad Creatorem, relativa est et relationem notat, quae est in ipsa creatura. Appellatio vero illa, qua Creator relative dicitur ad creaturam, relativa quidem est, sed nullam notat relationem, quae sit in Creatore.

---

[a] Ed. *coeperit.* [b] B *sine ulla.* [c] Ed. *aliqua.* [d] D om. [e] B om. [f] Ed. cum Z *similiter.*

---

[1] Psalm 17, 2, et passim. [2] Ioan. 1, 12.

Cap. II.

An Spiritus sanctus dicatur datum vel donatum relative ad se, cum a se detur.

265 Hic potest solvi quaestio superius [1] proposita, ubi quaerebatur, cum Spiritus sanctus dicatur datum vel donatum — quod autem datur refertur et ad eum qui dat, et ad illum cui datur — et cum Spiritus sanctus det se ipsum, utrum ad se ipsum relative dicatur, cum dicitur dari vel donari.

Cui quaestioni respondentes dicimus, Spiritum sanctum dici [a] datum vel donatum relative et ad dantem, et ad illum cui datur [b]. Dans autem sive donator est Pater cum Filio et Spiritu sancto. Nec tamen dicimus, Spiritum sanctum referri ad se, sed appellatio dati vel donati refertur et ad dantem et ad recipientem, quia non potest aliquid dici datum, nisi ab aliquo et alicui detur. Cum autem Spiritus sanctus dari a se vel datus a se dicitur, relative quidem dicitur ad illum cui datur; et est appellatio relativa, et in illo cui datur mutatio fit, non in dante.

DISTINCTIO XXXI.

Cap. I.

An Filius dicatur aequalis vel similis Patri secundum substantiam.

266 Praeterea considerari oportet, cum tres personae coaequales sibi sint, utrum relative hoc dicatur, an secundum substantiam; et si relative, utrum secundum relationem, an secundum essentiam consideranda sit aequalitas; deinde, quid sit ipsa aequalitas.

Ad quod dicimus, quia, sicut simile nihil sibi est, — « similitudo enim, ut ait Hilarius [2], sibi ipsi non est » — ita et aequale aliquid sibi non dicitur, ac per hoc, sicut simile, ita et aequale re-

[a] V om. [b] D *donatur.*

[1] Dist. XVIII, c. 6. Cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 3, c. 24 (PL 176, 226); Abael. IV. *Theol.* (PL 178, 1310). [2] *De Trin.* III. n. 23 (PL 10, 92). Cfr. Abael. IV. *Theol.* (PL 178, 1265 et sqq.).

lative dicitur. Dicitur ergo relative Filius aequalis Patri et utrique Spiritus sanctus.

Est tamen aequalis Patri Filius et utrique Spiritus sanctus propter summam simplicitatem essentiae et unitatem; aequalis est igitur Filius Patri secundum substantiam [a], non secundum relationem.

Unde Augustinus in V libro *De Trinitate* [b] [1] ait: « Quaerimus, secundum quid aequalis sit Patri Filius. Non secundum hoc, quod ad Patrem dicitur, Filius aequalis est Patri; restat igitur, ut secundum id aequalis sit, quod ad se dicitur; quidquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur; restat ergo, ut secundum substantiam sit aequalis. Eadem igitur est utriusque substantia ».

Item in VI libro [2]: « Satis est videre, nullo modo Filium aequalem esse Patri, si in aliquo, scilicet quod pertineat ad significandam eius substantiam, inaequalis invenitur. In omnibus ergo aequalis est Patri Filius et est eiusdem substantiae ». « Aequalis est etiam Spiritus sanctus Patri et Filio [c] et in omnibus aequalis propter summam simplicitatem illius substantiae [3] ». Ex his [d] perspicuum fit, quod secundum substantiam Filius est aequalis Patri et utrique Spiritus sanctus, et appellatio tantum relativa est.

Aequalitas ergo Patris et Filii non est relatio vel notio, sed propter naturae unitatem indisparitas [e].

Hoc idem etiam [f] dicimus de simili et similitudine. Cum enim 267
dicitur Filius similis Patri, relative quidem dicitur, sed similis est Patri propter unitatem essentiae. Est ergo appellatio tantum relativa, similitudo vero est [g] « indifferens [h] essentia [4] ».

---

[a] D *essentiam.* [b] C add. *ita.* [c] V B D om. *et Filio.* [d] U add. *ergo.* [e] V in textu add. *exclusive dicitur non positive, ita et similis.* Haec in U habentur in margine ut rubrica. [f] Z D om. [g] Ed. om. [h] Z B *indifferentia* et om. *essentia.*

---

[1] Cap. 6, n. 7 (PL 42, 914 et seq.)*. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 8; et II. *De Sacram.* p. 2, c. 4 (PL 176, 54, 379). [2] Cap. 4, n. 6 (PL 42, 927)*. [3] Ibid. c. 5, n. 7. [4] Haec definitio sumta est ex Hilario (*De Synodis* n. 73; PL 10, 528): « Similitudo res ipsas naturalis coaequat per similitudinem non indifferentis essentiae » (cfr. ibid. n. 13-19; PL 10, 490, 495). Ad hunc locum refertur quod Alexander Hal. (Summa p. 1, q. 54 r, m. 1, a. 5) de Lombardo dicit: « Quidam dicunt, quod haec nomina *aequalis, similis* tantum remotive accipiuntur, ut cum dicitur: Pater et Filius sunt aequales, id est, non sunt inaequales; et sunt similes, id est, non sunt dissimiles. In qua sententia videtur fuisse Lombardus. In prima enim editione Sententiarum dixit:

Unde quibusdam [1] non indocte videtur [a], nomine aequalitatis vel similitudinis non [b] aliquid poni, sed removeri, ut ea ratione dicatur Filius aequalis Patri, quia nec maior est eo [c] nec minor, et hoc propter unitatem essentiae. Ita et similis dicitur, quia nec diversus nec alienus nec in aliquo dissimilis, et hoc propter essentiae simplicitatem. Non ergo secundum quod Filius est genitus a Patre, aequalis vel inaequalis est Patri, nec similis vel dissimilis, sed aequalis et similis secundum substantiam [d].

Cap. II.

De sententia sancti Hilarii, qua in Trinitate personarum propria ostendit.

268 Non est hic praetereundum [e], quod illustris vir Hilarius proprietates personarum assignans dicit [2], aeternitatem esse in Patre, speciem in Imagine, usum in Munere. Quae tantae difficultatis sunt verba, ut in [f] eorum intelligentia atque explanatione vehementer laboraverit Augustinus, ut ipse ostendit in VI libro *De Trinitate* [3] ita dicens: « Quidam, cum vellet brevissime singularum in Trinitate personarum insinuare propria, aeternitas est, inquit, in Patre, species in Imagine, usus in Munere. Et quia non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum et assertione fidei vir extitit — Hilarius enim hoc in libris suis posuit — horum verborum, id est Patris et Imaginis et Muneris, aeternitatis, speciei et usus, abditam scrutatus intelligentiam, quantum valeo, non eum secutum [g] arbitror in aeternitatis vocabulo, nisi quod Pater non habet patrem, de quo sit; Filius autem de Patre est, ut sit, atque ut illi coaeternus sit.

269 « Imago enim, si perfecte implet illud cuius imago est, ipsa coaequatur ei, non illud imagini suae [h]; in qua imagine speciem nominavit, credo, propter pulcritudinem, ubi est tanta congruentia

---

[a] U *Quibusdam tamen videtur,* pro *Unde q. n. i. videtur.* [b] V add. *ad.* [c] D om. [d] Z A *naturam est.* [e] Ed. cum V D *praetermittendum.* [f] V om. [g] Z add. *me.* [h] B *sui;* D *sui vel suae.*

Similitudo est indifferens substantia; et in secunda, quasi corrigens, dixit: Similitudo est indifferentia, quasi dicat: Pater et Filius dicuntur similes, quia non sunt differentes ». [1] Inter quos Abael. IV. *Theol.* (PL 178, 1265 et seq.). [2] *De Trin.* II, n. 1 in fine (PL 10, 51). [3] Cap. 10, n. 11 (PL 42, 931)*.

et prima aequalitas et prima similitudo, nulla in re dissidens et nullo modo inaequalis et nulla ex parte dissimilis, sed ad identitatem respondens ei cuius imago est; ubi est prima et summa vita, cui non est aliud vivere et aliud esse, sed idem; et primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere et aliud intelligere, sed idem, hoc est [a] unum, tanquam verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quaedam omnipotentis et sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium, et omnes [b] unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum; ibi novit omnia Deus, quae fecit per ipsam.

« Est autem ineffabilis quidam complexus Patris et Imaginis, 270
qui non est sine perfruitione [c], sine caritate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo — si tamen aliqua humana voce digne dicitur — usus ab illo appellata est breviter, et est in Trinitate Spiritus sanctus non genitus, sed genitoris genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum. Itaque illa tria et a se invicem determinari videntur, et in se infinita sunt. Qui videt hoc vel *ex* [d] *parte vel per speculum et in aenigmate* [1], gaudeat cognoscens Deum et gratias agat; qui vero non videt, tendat per pietatem [e] ad videndum, non per caecitatem ad calumniandum, quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas [2] ».

Ecce habes, qualiter verba Hilarii praemissa accipienda sint, licet tantae sint profunditatis, ut etiam adhibita expositione, vix aliquatenus ea intelligere valeat humanus sensus, cum et ipsa eorum explanatio, quam hic Augustinus edidit, plurimum in se habeat difficultatis [f] et ambiguitatis.

Non enim [g] secundum praemissam expositionem distinguuntur 271
hic tres illae proprietates superius [3] assignatae [h], sed ipsae hypostases distinctae ab invicem monstrantur. Aeternitatis tamen nomine eadem videtur designata proprietas, quam notat hoc nomen ingenitus. Sed videamus, quid sit quod ait: « Imago si perfecte implet illud cuius imago est, ipsa coaequatur ei, non illud imagini suae ». Videtur enim dicere, quod Filius, qui est imago Patris,

[a] V add. *Verbum.* [b] A add. *sunt.* [c] V add. *id est.* [d] V *in.* [e] U add. *fidei.* [f] V *facultatis.* [g] D om. [h] D *annotatae.*

[1] I. Cor. 13, 12. [2] August., loc. cit. et n. 12. [3] Dist. XXVI.

coaequatur Patri, non Pater Filio, cum et Filius dicatur aequalis Patri in Scriptura, et Pater Filio; sed Filius hoc habet a Patre, ut sit ei aequalis, Pater autem non habet a Filio, et[a] tamen Filius plene ac perfecte aequalis est Patri, id est imago ei cuius est imago.

272 Hilarius[b] in libro *De Synodis*[c 1]: « Imago eius, ad quem[d] imaginatur species indifferens est. Neque enim sibi ipse[e] quisquam imago est; sed cum cuius imago est, necesse est ut imago demonstret. Imago igitur est rei ad rem coaequandam et imaginata et indiscreta similitudo. Est ergo Pater, est et Filius, quia imago Patris est Filius; et quia imago est, ut rei imago sit, speciem necesse est et naturam et essentiam, secundum quod imago est, in se habeat auctoris.

273 Propria igitur personarum in praedictis verbis assignasse dicitur Hilarius, quia relativa nomina personarum posuit, scilicet Patris, Imaginis et Muneris, quae relative dicuntur de personis et proprietates notant, quibus distinguuntur personae. Ita enim dicitur Spiritus sanctus munus relative, sicut donum. Verumtamen ipsas proprietates aliis tribus nominibus non significavit, iuxta praedictam Augustini expositionem, nisi solo nomine aeternitatis, quo non ipsam paternitatem, sed eam voluit intelligi notionem, qua dicitur ingenitus.

274 Hilarius[f] in libro *De Synodis*[2]: « Si quis innascibilem et sine initio dicat Filium, quasi duo sint principio[g] et duo innascibilia[h] et duo innata dicens, duos faciat deos: anathema sit. Caput enim, quod est principium omnium Filius;

[a] A *sed.* [b] Hanc notulam habent quidem omnes codices, excepto Z, sed non eodem loco. In A D occurrit ut nota lateralis ad verba superius relata *humana voce digne dicitur.* In V B C vero item ut nota lateralis ad verba hic immediate praecedentia *imago ei cuius est imago.* Tandem in U non est nota, sed continuatio ipsius textus et quidem post verba *cuius est imago,* ut in nostra editione. Ast in initio inter lineas legitur *vo,* in fine *lis,* id est *volatilis.* Editores nostri eam superius posuerunt post verba *ibi novit omnia Deus, quae per ipsam* (pag. 493). Antiquiores Commentatores Lombardi saepius huius notulae et duarum sequentium mentionem faciunt. [c] V semper *Synodo;* U add. *Omnis.* [d] V B D *quam.* [e] U *ipsi.* [f] Haec notula habetur in omnibus codd., excepto Z. In U habetur in textu ipso infra post verba *Ego et Pater unum sumus,* ast signo indicatur ponendam esse post verba *qua dicitur ingenitus.* In aliis codd. occurrit ut nota lateralis. In C post haec ipsa verba sequitur. In A B D occurrit post verba *illi unum sint,* in fine huius distinctionis. Editores nostri illam posuerunt post verba *Pater unum sumus* ad finem cap. 3 (p. 496). [g] B *sunt principes,* pro *sine principio.* [h] D om. *et duo innascibilia.*

[1] Propositio 1, n. 13 (P L 10, 490). [2] Propositio 26, n. 59 et 60 (P L 10, 521).

caput autem, quod est principium Christi, Deus [a]. Sic [b] enim ad unum ininitiabilem [c] omnium initium per Filium universa [d] referimus; Filium innascibilem confiteri, impiissimum est. Iam enim [e] non erit Deus unus, qua Deum unum praedicari, natura unius innascibilis Dei exigit. Cum ergo Deus unus sit; duo innascibiles esse non possunt; cum idcirco Deus unus sit — cum et [f] Pater Deus sit, et Filius Dei [g] Deus sit — quia innascibilitas sola penes unum sit. Filius autem idcirco Deus, quia ex innascibili essentia natus [h] existat [i]. Caput enim omnium Filius est, sed caput Filii Deus est, et ad unum Deum omnia hoc gradu et hac confessione referuntur, cum ab eo sumant universa principium [k], cum [l] ipse principium sit.

Idem in eodem [1]: « Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit, sed naturam [m] dedit Filio ex impassibili [n] ac non nata substantia perfecta nativitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia Deus esse voluit. Filius autem natus ex Deo talis subsistit, qualis et [o] Deus est, nec dissimilem sui edidit natura naturam; sed ex substantia Dei genitus naturae secundum originem attulit [p], non secundum creaturas [q] voluntatis essentiam ».

Illud etiam sciri oportet, quod earundem trium personarum 275
distinctionem Augustinus ostendere volens sine expressione illarum trium proprietatum superius commemoratarum, in I libro *De doctrina christiana* [2] sic ait: « In Patre est unitas, in Filio [r] aequalitas, in Spiritu sancto unitatis aequalitatisque concordia: et tria haec unum omnia propter Patrem, aequalia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum. Itaque Pater et Filius ac Spiritus sanctus et singulus quisque horum Deus est, et simul omnes unus Deus, et singulus quisque horum plena substantia est, et simul omnes una substantia. Pater nec Filius est nec Spiritus sanctus; Filius nec Pater est nec Spiritus sanctus; Spiritus sanctus nec Pater est nec Filius, sed Pater tantum pater, et Filius tantum filius, et Spiritus sanctus tantum spiritus sanctus. Eadem tribus aeternitas, eadem incommutabilitas, eadem maiestas, eadem potestas ». In his verbis aperte insinuatur personarum trium distinctio.

[a] U add. *Pater est.* [b] U *si.* [c] Ita U B; ed. *ininitiabile.* [d] U *omnia.* [e] B om. [f] Ed. om. [g] B D om. [h] V om. [i] Contra omnes codd. ed. add.: *Respuit ergo innascibilem Filium praedicari fides sancta, ut per unum innascibilem Deum unum Deum praedicet, ut naturam unigenitam, ex innascibili genitam essentia, in uno innascibilis Dei nomine complectatur.* [k] B (post corr.) *summam principia*, pro *sumant universa principia.* [l] Ed. *cum.* [m] A add. *quidem* [n] Ed. *innascibili.* [o] Ed. om. [p] Ed. add. *essentiam.* [q] Ed. *creaturam.* [r] U add. *est.*

[1] Propos. 24, n. 58 (PL 10, 520). [2] Cap. 5, n. 5 (PL 34, 24) *m*.

Cap. III.

Quare Patri attribuitur unitas.

276 Sed plurimos movet, quod Patri attribuit unitatem, Filio aequalitatem. Cum enim unitas dicatur secundum substantiam, non tantum in Patre est, sed et in Filio, et in [a] Spiritu sancto; et aequalitas una est Patris et Filii et Spiritus sancti. Cur ergo Patri attribuitur unitas et Filio aequalitas?

Forte eadem ratione attribuitur Patri unitas secundum Augustinum, qua supra eidem aeternitas secundum Hilarium: quia videlicet Pater ita est, ut ab alio non sit, et quia Filium genuit unum secum Deum, et Spiritus [b] ab eo procedit unus cum eo Deus. Unitas ergo in Patre esse dicitur, quia nec est aliquid aliud, a quo sit — non enim ab alio est — nec ab eo aliquid vel aliquis est ab aeterno, quod unum cum eo non sit; Filius enim et Spiritus sanctus unum sunt cum Patre. Unde Veritas ait: *Ego et Pater unum sumus* [1].

Cap. IV.

Quare Pater et Filius dicantur unum esse vel unus Deus, sed non unus.

277 Hic dici oportet, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus recte dicuntur esse unum et unus Deus, sed non unus. Res enim duae vel plures recte possunt dici unum esse, si sint unius essentiae, et earum una sit natura. Unus autem vel una non potest dici de diversis rebus, nisi addatur, quid unus vel una; quo addito, recte potest dici de rebus et unius et diversae substantiae.

Unde Augustinus in VI libro *De Trinitate* [c] [2] ait sic: « Nescio, utrum inveniatur in Scripturis dictum, unum sunt, quorum est diversa natura. Si autem et aliqua plura eiusdem naturae sint, et diversa sentiant, non sunt unum, in quantum diversa sentiunt. Cum ergo sic dicitur unum, ut non addatur quid unum, et plura unum dicuntur; eadem natura atque essentia, non dissidens neque dissentiens significatur.

---

[a] B om. [b] Ed. add. *sanctus.* [c] Ed. add. *capitulo tertio.*

---

[1] Ioan. 10, 30. [2] Cap. 3, n. 4 (PL 42, 926) *; ubi et quae sequuntur.

« Unde Paulus et Apollo, qui et ambo homines erant et idem sentiebant, unum esse dicuntur, cum dicitur [1]: *Qui plantat et qui rigat unum sunt.* Cum vero additur quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum, quamvis [a] diversis [b] natura; sicut anima et corpus non possunt utique dici unum — quid enim tam diversum? — nisi addatur vel subintelligatur, quid unum, id est unus homo. Unde Apostolus [2]: *Qui adhaeret,* inquit, *Domino* [c] *unus spiritus est.* Non dixit: Unus est, vel unum sunt, sed addidit *spiritus.* Diversi sunt enim natura spiritus hominis et spiritus Dei, sed inhaerendo fit spiritus hominis [d] unus spiritus cum Deo », quia particeps fit veritatis et beatitudinis illius. Si ergo de his quae diversae substantiae sunt, recte dicitur, quod sint *unus spiritus,* quanto magis qui unius substantiae sunt, recte dicuntur unus Deus esse? « Pater ergo et Filius unum sunt, utique secundum unitatem substantiae, et unus Deus ».

In quo [e] Ariana haeresis damnatur, quae Patrem et Filium et 278
Spiritum sanctum, ut ait Augustinus in libro *De haeresibus* [3], non vult esse unius eiusdemque substantiae atque naturae vel, ut expressius dicatur, essentiae, quae Graece dicitur usia, sed Filium esse creaturam. Nec non et Sabelliana, quae, ut ait Augustinus in eodem libro [4], dicebat, Christum eundem ipsum et Patrem et Spiritum sanctum esse, ut esset trinitas nominum sine subsistentia personarum.

« Utramque pestem, ut ait Augustinus *Super Ioannem* [5], elidit Veritas dicens: *Ego et Pater unum sumus.* Utrumque audi, et adverte et *unum* et *sumus,* et a Charybdi et a Scylla liberaberis. Quod enim dixit *unum,* liberat te ab Ario; quod dixit *sumus,* liberat te a Sabellio. Si *unum,* ergo non diversum; si *sumus,* ergo et [f] Pater et Filius: *sumus* enim non diceret [g] de uno, nec *unum* de diverso. Erubescant ergo Sabelliani, qui dicunt, ipsum esse Patrem, qui est Filius, confundentes personas, qui et dicti sunt Patripassiani, quia [h] dicunt, Patrem fuisse passum. Ariani vero dicunt, aliud Patrem esse, aliud Filium, non unam substantiam sed duas: Patrem maiorem, Filium minorem. Noli hoc dicere, tu ca-

---

[a] B add. *de.* [b] Ed. *diversa.* [c] V *Deo.* [d] V add. *et Spiritus Dei.* [e] Ed. add. *et.* [f] Ita U V; ed. om. [g] B *proferret.* [h] Ed. *qui.*

---

[1] I. Cor. 3, 8. [2] Ibid. c. 6, 17. [3] Art. 49 (P L 42, 39). [4] Art. 36 et 41 (P L 42, 32). [5] Tract. 36, n. 9 (P L 35, 1668).

tholice! In medio [a] ergo naviga, utrumque periculosum latus devita et dic: Pater pater est, et Filius filius est; alius Pater, alius Filius, sed non aliud, immo hoc ipsum, quia unus Deus [b] ».

Ecce ostensum est, quare unitas esse in Patre dicatur, cum tres illi unum sint.

279 Hilarius [c] in libro *De Synodis* [1]: « Minus forte expresse videtur de indifferenti similitudine Patris et Filii fides locuta esse, cum de Patre et Filio et Spiritu sancto ita senserit significatam in nominibus propriam uniuscuiusque nominatorum substantiam et ordinem et gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum. Volens igitur congregata sanctorum Synodus impietatem illam [d] perimere, [e] quae veritatem [f] Patris et Filii et Spiritus sancti nominum numero eluderet, ut, non subsistente causa [g] uniuscuiusque nominis, triplex nuncupatio obtineret sub falsitate nominum unionem, et Pater solus atque unus idem et ipse haberet et Spiritus sancti nomen et Filii. Idcirco tres [h] substantias esse dixerunt, subsistentium personas per substantias edocentes, non substantiam Patris et Filii diversitate dissimilis essentiae separantes. Quod autem dictum [i] est, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum, non habet calumniam; quia connominato Spiritu, id est Paraclito, consonantiae potius quam essentiae per similitudinem substantiae praedicari convenit unitatem ».

Idem [k] in eodem [2]: « Cum Deum Patrem confitemur, et Christum Dei Filium praedicamus, et inter haec duorum deorum sit irreligiosa confessio, non possunt secundum naturae indifferentiam et nomen indifferens non unum esse in essentiae genere, quorum essentiae nomen non licet esse nisi unum. Non enim religiosa unitas nominis ex indifferentis naturae essentia constitutam [l] personam genitae ademit essentiae [m], ut unica ac singularis Dei substantia per unionem nominis intelligatur, cum utriusque essentiae nomen unum, id est Deus unus, ob indiscretae in utroque naturae indissimilem substantiam praedicetur ».

Cap. V.

Quare dicitur esse aequalitas in Filio.

280 Nunc videamus, quare aequalitas dicatur esse in Filio, cum una et summa sit aequalitas trium.

Hoc ideo forte dictum est, quia Filius genitus est a Patre aequalis Gignenti et Dono, quod ab utroque procedit, et ideo illa

---

[a] D *mediam partem.* [b] U add. *est.* [c] Hanc notulam omittit Z, alii eam hic ponunt, ut notam collateralem, sed U in ipso textu, V autem ut notam collateralem, ast indicando illam hic ponendam esse. [d] V *vero.* [e] V *pertinere.* [f] Ita omnes codd., ed. *unitatem.* [g] V *eam.* [h] A B add. *personas.* [i] B *scriptum.* [k] Ed. *Item.* [l] Ita U D; ed. *constituta.* [m] V B om. *non enim religiosa... essentiae.*

[1] Num. 31, 32, (P L 10, 504). [2] Ibid. n. 41 et 42 (P L 10, 513, 514).

tria dicuntur esse aequalia propter Filium. Filius enim habet a Patre, ut sit ei aequalis et Spiritui sancto; et Spiritus sanctus ab utroque habet, ut sit aequalis utrique. Hoc autem sine assertionis supercilio et maioris intelligentiae praeiudicio dicimus, malentes in apertione [a] tam clausorum sermonum peritiores audire, quam aliquid aliis influere.

Cap. VI.

Quare in Spiritu sancto dicitur esse virtus, concordia vel connexio.

Quod autem in Spiritu sancto dicitur esse utriusque concor- 281
dia [b] et per eum omnia connexa, facilior est intelligentia nobis praemissa ad mentem revocantibus.

Supra [1] enim secundum auctoritates Sanctorum dictum est, quod [c] Spiritus sanctus amor est, quo Pater diligit Filium, et Filius Patrem. Recte igitur Spiritus sanctus dicitur connexio vel concordia Patris et Filii, et per eum omnia connexa.

Unde Augustinus in VI libro *De Trinitate* [2]: « Communio quaedam consubstantialis [d] Patris et Filii est amborum Spiritus [e] ».

Idem in VII libro [f] [3]: « Spiritus sanctus est summa caritas, utrumque coniungens, nosque subiungens ».

DISTINCTIO XXXII.

Cap. I.

Utrum Pater vel Filius ea dilectione diligat, quae procedit ab utroque, id est Spiritu sancto.

Hic oritur quaestio ex praedictis deducta. Dictum est enim 282
supra [4] atque Sanctorum auctoritatibus [g] ostensum, quod Spiritus sanctus est communio Patris et Filii, et amor quo Pater et Filius

---

[a] D add. *vel expositione.* [b] U add. *vel connexio.* [c] D add. *sicut.* [d] V *substantialis.* [e] Ed. add. *sanctus.* [f] Ed. add. *De Trinitate.* [g] V *auctoritate.*

---

[1] Dist. X. [2] Cap. 5, n. 7 (PL 42, 928); et libr. V, c. 11, n. 12 (PL 42, 919). [3] Cap. 3, n. 6 (PL 42, 938). [3] Dist. XXXI, c. 6.

se invicem diligunt. Ideo quaeritur, utrum Pater vel Filius per Spiritum sanctum vel Spiritu sancto diligat [a]. Quod utique videtur oportere dici secundum auctoritates supra positas, quibus ostenditur, Spiritum sanctum esse, quo genitus a gignente diligatur, genitoremque suum diligat.

Sed contra: Si Pater vel Filius dicatur diligere per Spiritum sanctum, videtur esse per Spiritum sanctum, quia non est aliud Deo esse, et aliud diligere, sed idem; quia, ut ait Augustinus in XV libro *De Trinitate* [1]: « Quidquid secundum qualitates in illa simplici natura dici videtur, secundum essentiam est intelligendum », ut: bonus, magnus, immortalis, sapiens, diligens et huiusmodi. Ideoque, si Pater vel Filius diligit per Spiritum sanctum, per ipsum Spiritum [b] esse videtur. Neque tantum essentia sua diligit, sed etiam Dono.

283 Huic quaestioni, cum altitudinem nimiae profunditatis contineat, id solum respondemus, quod Augustinus significare videtur, scilicet quod Pater et Filius se diligant et unitatem servent non solum essentia sua, sed [c] suo Dono proprio; quod licet supra [2] positum sit, iterare tamen non piget, quia sic expedit.

Ait ergo [d] in VI libro *De Trinitate* [3] ita: « Manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo [e] uterque coniungitur, quo genitus a gignente diligatur, genitoremque suum diligat, suntque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio *servantes unitatem* [f] *pacis* [4] ». Ecce hic dicit, quod essentia sua et Dono suo servant unitatem.

Idem in XV libro *De Trinitate* [g] [5]: « In illa Trinitate, quis audeat dicere, Patrem nec se nec Filium nec Spiritum sanctum diligere nisi per Spiritum sanctum »? Hic aperte ostendit, Patrem non tantum per Spiritum sanctum diligere; non autem simpliciter dicit, Patrem non diligere per Spiritum sanctum.

[a] D *diligant;* C *diligant se.* [b] U add. *sanctum;* C om. *ipsum.* [c] D add. *etiam;* V om. *sua.* [d] Ed. add. *Augustinus.* [e] D *quorum.* [f] B C D add. *in vinculo.* [g] Ed. add. *ait.*

[1] Cap. 5, n. 8 (P L 42, 1062). Cfr. Abael. II. *Introd.* c. 17, et I. *Theol.* c. 5, ac IV (P L 178, 1084, 1134, 1311). [2] Dist. X, c. 2. [3] Cap. 5, n. 7 (P L 42, 928). [4] Ephes. 4, 3. [5] Cap. 7, 12 (P L 42, 1065). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 11 (P L 176, 60); Abael. IV. *Theol.* (P L 178, 1298 et sqq.).

Cap. II.

Utrum Pater sit sapiens sapientia, quam genuit.

Praeterea diligenter investigari oportet, utrum Pater sit sa- 284
piens sapientia, quam genuit, quae tantum Filius est.

Quod videtur a simili posse probari. Si enim [a] diligit amore, qui ab ipso procedit, cur non et sapientia vel intelligentia quam [b] genuit, sapit vel intelligit?

« Hanc quaestionem urgere videtur, ut ait Augustinus in VII libro *De Trinitate* [1], quod scripsit Apostolus dicens [2] *Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam,* ubi quaeritur, utrum ita sit Pater sapientiae et virtutis suae, ut hac sapientia sapiens sit, quam genuit, et hac virtute potens, quam genuit. Sed absit, ut ita sit; quia si hoc est ibi esse quod sapere, non per illam sapientiam, quam genuit, sapiens est Pater; alioquin non ipsa ab illo, sed ille ab ipsa est. Si enim sapientia, quam genuit, causa est illi ut sapiens sit, etiam ut sit, ipsa illi causa est; quod fieri non potest, nisi gignendo eum aut faciendo; sed nec genitricem nec conditricem [c] Patris ullo modo quisquam dixerit sapientiam. Quid enim est insanius? Ergo [d] Pater ipsa sapientia est, qua sapiens [e] est; Filius vero dicitur sapientia Patris et virtus Patris: non quia Pater per eum sit sapiens vel potens, sed quia Filius, sapientia et virtus, est de Patre, sapientia et virtute ». Ex his [f] patet, quod Pater non est sapiens sapientia genita, sed se ipso sapientia ingenita.

Augustinus [g] in libro *83 Quaestionum* [3]: « Cum sapiens Deus dicitur, 285
et sapientia sapiens dicitur sine qua cum vel fuisse aliquando vel esse posse, nefas est credere, non participatione sapientiae sapiens dicitur, sicut anima, quae et esse et non esse sapiens potest; sed quod eam ipse genuerit, qua sapiens dicitur sapientia ».

Animadverte, lector, Patrem dici [h] sapientem genita sapientia, quod aliis 286
obviat testimoniis. Verum hoc Augustinus corrigit in libro [i] *Retractationum*

---

[a] Ed. et B (in marg.) add. *Pater.* [b] Ed. add. *ipse.* [c] D *creatricem.* [d] Ed. add. *et.* [e] D add. *Pater.* [f] Ed. add. *ergo.* [g] Haec notula, (nn. 285 et 286) in Z omissa, in Ú habetur in ipso textu, in aliis ut nota collateralis; sed in omnibus hic ponitur, cum post eam immediate continuet textus ut hic: *Post haec quaeri solet.* [h] Ed. *dici.* [i] Ed. add. *primo.*

[1] Cap. 1, n. 1 et 2 (PL 42, 933). [2] I Cor. 1, 24. [3] Quest. 23 (PL 40, 16).

inquiens [1]: « Dixi in libro 83 *Quaestionum* [a] de Patre, quod eam ipse [b] genuit qua sapiens dicitur sapientia [c]; sed melius istam quaestionem [d] in libro postea *De Trinitate* tractavi ».

287 Post haec quaeri solet a quibusdam, utrum Filius sit sapiens sapientia genita, vel ingenita. Si enim non est sapiens sapientia genita, nec se ipso sapiens est; si vero sapientia genita sapiens est, non videtur esse sapiens sapientia [e] ingenita; et ita non videtur esse sapiens a Patre, cum a Patre habeat omnia.

Ad quod dicimus, quia una est sapientia Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut una essentia, quia sapientia in illius naturae simplicitate est essentia; et tamen Filius tantum est sapientia genita, et Pater tantum [f] sapientia ingenita; et sapientia genita est de sapientia ingenita vel a sapientia ingenita. Et cum idem sit ibi esse quod sapientem esse, relinquitur, ut sapientia genita sit sapiens de sapientia ingenita.

288 Non ergo Filius dicitur sapientia Dei, tanquam ipse solus sit intelligens vel sapiens sibi et Patri et Spiritui sancto; quia, ut ait Augustinus in libro XV *De Trinitate* [2]: « Si solus ibi Filius intelligit et sibi et Patri et Spiritui sancto, ad illam redditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de se ipso, sed de Filio, nec sapientia sapientiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens esse, quam genuit: ubi enim non est intelligentia, nec sapientia potest esse. Ideoque, si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profecto Filius Patrem sapientem facit. Et [g] si hoc est Deo esse quod sapere, et ea illi [h] essentia est quae sapientia; non Filius a Patre, quod verum est, sed a Filio Pater potius habet essentiam; quod absurdissimum est atque falsissimum. Est ergo Deus Pater sapiens ea quae ipse est sua sapientia; et Filius, sapientia Patris, est sapiens de sapientia quae est Pater, de quo est genitus Filius. Ita et Pater est intelligens ea quae ipse est sua intelligentia: non enim esset sapiens, qui non esset intelligens. Filius autem, intelli-

[a] Ed. add. *quaestione 25 quae est.* [b] Ed. om. [c] Ed. *sapientiam.* [d] B *quae sunt.* [e] V add. *vel.* [f] V D om. [g] B *sed.* [h] V add. *intelligentia.*

[1] Libr. I, c. 26 (PL 32, 625). Cfr. Aug. *De Trin.*, VI, c. 1, n. 1 et seqq.; VII, c. 1-4; et XV, c. 7, n. 12 (PL 42, 923, 931, 1069). [2] Cap. 7, n. 12 (PL 42, 1065); Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. I, c. 11; II. *De Sacram.* p. I, c. 4 (PL 176, 61, 377).

gentia Patris, de intelligentia genitus est, quae est Pater, de qua [a] et [b] intelligens est [c] ».

Proinde Pater est sapientia, et Filius sapientia, et uterque una sapientia, et tamen solus Pater est ingenita sapientia, et Filius solus genita sapientia; nec tamen alia sapientia [d] Pater, alia Filius, sed una eademque [e]; sicut Pater est Deus ingenitus, et Filius est Deus genitus, neque Deus genitus est Deus ingenitus; non ideo tamen alius Deus est Pater, alius Filius, sed unus Deus uterque, non autem unus [f]. Alius est enim genitus, alius ingenitus, sed non [g] alius Deus, immo [h] uterque unum sive unus Deus. Ita non est sapientia genita sapientia ingenita, sed alia est sapientia genita, alia ingenita; non est tamen alia sapientia, sed una eademque sapientia.

Cap. III.

An Filius sit sapiens se ipso vel per se ipsum.

Ex praedictis constat, quod Filius non est sapiens a se neque 289
de se, sed a Patre et de Patre. Quaeri autem solet, utrum Filius sit sapiens se ipso vel per se ipsum.

Quidam dicunt, multiplicem hic fieri intelligentiam, et ideo distinguendum fore, ita ut, cum dicis, Filium esse sapientem se ipso vel per se ipsum, si sui natura et essentia sapientem intelligas, verus sit intellectus; si vero a se ipso vel de se ipso sapientem esse [i] intelligas, falsitati subiectam habes intelligentiam.

Alii vero simpliciter et absque determinatione concedunt huius- 290
modi locutiones: Filius sapiens est per se, sed non a se vel de se; et Filius est Deus per se, et est per se, sed non a se vel de se; hoc confirmantes verbis Hilarii, qui Filium non a se, sed per se agere, in libro *De Trinitate* [1] ait: « Naturae, inquit, cui contradicis, haeretice, haec unitas est, ut ita per se agat Filius, ne a se agat, et ita non a se agat, ut per se agat. Intellige Filium agentem, et per eum Patrem agentem. Non a se agit, cum Pater in eo manere

[a] B *quo*. [b] Ed. om. [c] D om. [d] C add. *est*. [e] Ed. add. *est*. [f] D *una persona*. [g] C add. *est*. [h] D *quia*. [i] Z D om.

[1] Num. 48 (PL 10, 319) *.

monstratur; per se agit, cum secundum nativitatem Filii agit ipse quae placita [a] sunt. Infirmus sit non a se agendo, nisi a Deo ipse agit; non sit vero in unitate naturae, si quae agit et in quibus placet non per se agit». Sicut ergo, inquiunt, Filius per se agit, sed non a se, ita Filius debet dici sapiens per se, sed non a se; sic et per se Deus est, vel esse dicendus est, ut aiunt, sed non a se vel de se.

Cap. IV.

An una tantum sit sapientia Patris.

291 Post haec a quibusdam quaeri solet, utrum una tantum sit sapientia Patris; quod non esse, nituntur probare hoc modo: Filius, inquiunt, est sapientia Patris genita, qua Pater sapiens non est; est igitur aliqua sapientia Patris, qua sapiens non est; est autem et sapientia Patris ingenita, et ea Pater sapiens est; est ergo quaedam sapientia Patris, qua sapiens est, et ipsa non est illa sapientia Patris, qua Pater sapiens non est; non est ergo una tantum sapientia Patris.

Item, sapientia [b] ingenita est sapientia Patris, et sapientia genita est sapientia Patris; non est autem sapientia ingenita sapientia genita; non est igitur una tantum sapientia Patris.

Haec et his similia tanquam sophistica et a veritate longinqua cunctisque in theologia peritis patentia abiicimus, responso indigna advertentes, id tamen adiicientes, quia una est tantum sapientia Patris, sed non uno modo dicitur. Nam sapientia Patris dicitur illa quam genuit, et sapientia Patris dicitur ea qua sapiens est; diversa est ergo ratio dicti. Illa enim dicitur Patris, quia eam genuit; et ea dicitur Patris, quia ea sapit. Una est tamen sapientia Patris, quia sapientia genita est eadem sapientia, et ea qua sapiens est, sive ea qua sapiens est intelligatur persona Patris, sive essentia Patris; quia persona Patris, quae intelligitur, cum dicitur sapientia ingenita, et persona Filii, quae significatur [c], cum dicitur sapientia genita, una eademque sapientia est, quae essentia divina intelligitur communis tribus personis.

---

[a] C *complacita ei.* [b] V add. *Patris.* [c] D *dicitur.*

Cap. V.

Sicut in Trinitate est dilectio, quae est Trinitas, et tamen Spiritus sanctus est dilectio, quae non est Trinitas, nec ideo duae sunt dilectiones, ita et de sapientia.

Et sicut in Trinitate dilectio est, quae est Pater, Filius et Spi- 292
ritus sanctus, quae est ipsa essentia deitatis; et tamen Spiritus sanctus dilectio est, quae non est Pater vel Filius, nec ideo duae dilectiones sunt in Trinitate — quia dilectio, quae proprie Spiritus sanctus est, est dilectio, quae Trinitas est, non tamen ipsa Trinitas est; sicut Spiritus sanctus est essentia, quae Trinitas est, non tamen ipse [a] Trinitas est — ita in Trinitate sapientia est, quae est essentia divina; et tamen Filius est sapientia, quae non est Pater vel Spiritus sanctus. Nec ideo duae sapientiae ibi sunt, quia sapientia, quae proprie est Filius, est sapientia, quae est Trinitas, ipsa tamen non est Trinitas; sicut est essentia Filius, quae est Trinitas, ipse tamen non est Trinitas.

Cap. VI.

Quare Pater non dicitur sapiens sapientia genita, sicut dicitur diligens dilectione, quae ab ipso procedit.

Praeterea diligenter notandum est, quod ea ratione, qua Pater 293
non dicitur esse sapiens sapientia, quam genuit, videtur fore dicendum, quod Pater non diligat Filium, vel Filius Patrem ea dilectione, quae ab utroque procedit, scilicet quae proprie Spiritus sanctus est. Sicut enim idem est Deo sapere quod esse, ita idem est ei [b] diligere quod esse. Ideoque, sicut negatur Pater esse sapiens sapientia, quam genuit — quia si ea diceretur sapiens, non ipsa [c] ab eo, sed ipse ab ea intelligeretur esse — videtur non debere concedi, quod Pater vel Filius diligat [d] dilectione, quae tantum Spiritus sanctus est; quia si ea diligit Pater vel Filius, non Spiritus sanctus videtur esse a Patre et Filio, sed Pater et Filius a Spiritu sancto, quia idem est ibi diligere quod esse.

---

[a] V *ipsa.* [b] V om. *est ei.* [c] B add. *sapientia.* [d] A B add. *ea.*

At supra [1] dictum est atque auctoritate sancitum Augustini [2], « quod in Trinitate tria sunt: Unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et ipsa dilectio »; « et non est aliquis duorum, quo genitus a gignente diligitur et genitorem suum diligit ». Quibus verbis aperte significatur Patrem Filium, et Filius Patrem diligere ea etiam dilectione, quae non est aliquis eorum, sed tantum Spiritus sanctus. Cum igitur idem ibi sit diligere quod esse, quomodo dicitur Pater vel Filius non esse ea dilectione, qua alter alterum diligit, cum ideo Pater negetur sapere sapientia quam genuit, ne ea esse intelligatur?

294 Difficilem esse [a] mihi hanc fateor quaestionem [b], praecipue cum ex dictis [c] oriatur, quae similem videntur habere rationem; quod meae [d] intelligentiae attendens infirmitas turbatur, cupiens magis ex dictis Sanctorum referre quam affere [e].

« Optimus enim lector est, inquit Hilarius in I libro *De Trinitate* [3], qui dictorum intelligentiam exspectet ex dictis potius quam imponat, et retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem praesumserit intelligendum. Cum igitur de rebus Dei sermo est, concedamus Deo sui cognitionem, dictisque eius pia veneratione famulemur ».

Investiget ergo diligenter pius lector dictorum rationem, si forte dictorum aliquam valeat reperire causam, qua nota [f], praemissa quaestio aliquatenus explicari valeat. Ego autem quaestionem non absolvens, sed errorem excludens, profiteor, non ita dictum esse, Patrem diligere Filium, vel Filium Patrem ea dilectione, quae ab utroque procedit, quae non est aliquis eorum sed tantum Spiritus sanctus, tanquam ea dilectione Pater sit vel Filius. Sed sic ea Pater diligit Filium, et Filius Patrem, ut etiam Pater per se ea, quae ipse est, dilectione diligat — sic et Filius — non autem sic, ut Pater per se non diligat et Filius, sed per eam tantum. « Quis haec in illa Trinitate, inquit Augustinus [4], opinari vel affirmare praesumat »?

Eam tamen quaestionem lectorum diligentiae plenius diiudicandam atque absolvendam [g] relinquimus, ad hoc minus sufficientes.

---

[a] V B C *difficile est;* D om. *esse.* [b] V B C add. *solvere.* [c] Ed. et D *praedictis.* [d] V *nostrae.* [e] U *asserere.* [f] B *cognita.* [g] B *solvendam.*

[1] Hic c. 4. Cfr. Abael. loc. ibi cit. [2] Lib. VI. *De Trin.* c. 5, n. 7 (PL 42, 928). [3] Num. 18 (PL 10, 38). [4] Libr. XV *De Trin.* c. 7, n. 12 (PL 42, 1065).

DISTINCTIO XXXIII.

Cap. I.

Utrum proprietates personarum sint ipsae personae, vel divina usia.

Post supradicta [a] interius considerari atque subtiliter inquiri 295
oportet, utrum proprietates personarum, quibus ipsae personae determinantur, sint ipsae personae et sint Deus, id est divina essentia, an ita sint in personis, ut non sint personae, ac per hoc nec divina essentia.

Quod enim in personis sint proprietates, nemo inficiari audet, cum aperte clamet auctoritas, quod « in personis est proprietas, et in essentia unitas ». Superius quoque multis Sanctorum testimoniis astruximus [b], personas proprietatibus distingui atque determinari, ipsasque proprietates, tres [c] scilicet, propriis expressimus vocabulis [1]. Cum ergo proprietates ipsae [d] ab aeterno fuerint, quibus ipsae personae determinantur et differunt, quomodo essent, si in eis non essent; et quomodo in eis essent, et ipsae personae non essent, quin ibi esset multiplicitas?

Quocirca sicut proprietates esse in personis, ita et eas esse personas confitemur, sicut supra [2] auctoritate Hieronymi, ut non pigeat revocare ad mentem, protestati sumus, in *Expositione fidei* ita dicentis: « Sabellii haeresim declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas vel, ut Graeci exprimunt, hypostases, hoc est subsistentias, confitemur ». Ecce aperte dicit [e] personas proprietatibus distingui [f], et ipsas proprietates esse personas; cuius hic verba perstringimus, quia supra latius posuimus.

Cumque de simplicitate deitatis supra [g] [3] dissereremus, auctori- 296
tatibus Sanctorum, scilicet Augustini, Hilarii, Isidori nec

---

[a] Z *praedicta;* D add. *haec.* [b] Z B *adstrinximus.* [c] B om. [d] B om. [e] A B *ostendit.* [f] D add. *atque determinari.* [g] B om.

---

[1] Cfr. dist. XXVI, c. 2. et dist. XXVII, c. 1. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 11 (PL 176, 58); Abael. III. *Theol.* (PL 178, 1236, 1253 et sqq.).
[2] Dist. XXV, c. 3, in fine. [3] Dist. VIII.

non et Boethii, evidenter monstravimus, Deum hoc esse omnino quod in se habet, excepto quod Pater habet Filium, nec est Filius, et Filius habet Patrem, nec est Pater; et sic esse in natura trium, ut qui habet, hoc sit quod habet, et totum, quod ibi est, unum esse, unam vitam esse; quae modo non iteramus, ne fastidium lectori ingeramus. Si ergo proprietates ibi sunt, singula earum est id in quo est, et unum eademque vita singulae sunt. Fateamur ergo, et proprietates esse in tribus [a] personis, et ipsas esse personas atque divinam essentiam.

Quod enim proprietas etiam divina natura sit, ostendit Hilarius dicens, nativitatem Filii esse naturam unde ipsa est [b], in libro VII *De Trinitate* [c] [1]: « Utriusque natura non differt: unum sunt Pater et Filius. Habet igitur hoc sacramenti nativitas, ut complectatur in se et nomen et naturam et potestatem, quia nativitas non potest non esse ea [d] natura, unde nascatur Filius ».

Idem in VI [e] [2]: « Nativitas, proprietas est, veritas est ».

Idem in VII [3] dicit, « quod naturae nativitas sit intelligenda esse in natura Dei ».

Supra [4] etiam dicit, « quia proprium Patris est, quod [f] semper Pater est, et proprium Filii, quod semper Filius est [5] », significans quod proprietas Patris est [g] Pater, et proprietas Filii [h] est Filius.

His aliisque pluribus auctoritatibus aperte significari videtur, quod proprietas Filii Filius sit, sic et Deus; ita et proprietas Patris et proprietas Spiritus sancti.

297 Hoc autem aliqui negant dicentes, quidem proprietates in personis esse, sed non esse personas ipsas, quia ita dicunt [i] esse in personis vel in essentia divina, ut non sint interius, sicut ea sunt [k] quae secundum substantiam de Deo dicuntur, ut: bonitas, iustitia, sed extrinsecus affixa [l] sunt. Atque ita esse, rationibus probare contendunt. Si enim, inquiunt, proprietates personae sunt, non eis personae [m] determinantur.

---

[a] Z *singulis.* [b] Ed. om. *ipsa est*, et mutata punctuatione legit: *naturam. Unde in libro;* Z D om. *ipsa.* [c] Ed. add. *ait.* [d] V om. [e] Z add. *libro.* [f] B *quia* et om. *est.* [g] Z add. *quod est.* [h] Z add. *quod.* [i] C D *dicuntur.* [k] V B D om. [l] Ed. cum C *affixae.* [m] V *personis.*

---

[1] Num. 21 (P L 10, 216). [2] Num. 40 (P L 10, 190). [3] Num. 22 (P L 10, 218). [4] Dist. XXVI, c. 3. [5] Lib. XII *De Trin.* n. 23 (P L 10, 446).

Contra quod dicimus, quia etiam se ipsis personae differunt, sicut supra [1] Hieronymus loquens de Patre et Filio et Spiritu sancto dicit: « Substantia unum sunt, sed personis ac nominibus distinguuntur ».

Sed iterum addunt: Si proprietates ipsae divina essentia sunt, 298
cum essentia non differant tres personae, nec proprietatibus differunt. Quomodo enim differt Pater a Filio, eo quod divina essentia est, cum in essentia unum sint?

Horum doctrinis novis et humanis commentis verbo [a] Hilarii [2] respondeo: « Immensum est quod exigitur et incomprehensibile; extra significantiam sermonis est [b], extra sensus intentionem; non enuntiatur, non attingitur, non tenetur; verborum significantiam rei ipsius natura consumit; sensus contemplationem imperspicabile lumen obcaecat; intelligentiae capicitatem quod fine nullo continetur excedit. Mihi ergo in sensu labes est, in intelligentia stupor est, in sermone vero non iam infirmitatem, sed silentium confitebor; periculosum nimis est de tantis rebus ac tam reconditis aliquid ultra praescriptum caeleste proferre, ut ultra praefinitionem Dei, sermo de Deo sit. Forma fidei certa est; non ergo aliquid addendum est, sed modus constituendus audaciae; quidquid ultra quaeritur, non intelligitur ».

Ceterum haereticorum improbitas, instinctu diabolicae fraudulen- 299
tiae excitata, nondum quiescit, sed in tanta rerum quaestione addit: Si paternitas et filiatio in Deo, sive in divina essentia sunt, eadem igitur res sibi Pater est et Filius. Nam in quo paternitas est, Pater est; et in quo filiatio, Filius est. Si igitur una eademque res habet in se paternitatem et filiationem, ipsa et generat et generatur; quod dicentes in Sabellianam haeresim pertrahuntur, extendentes Patrem in Filium, cum ipsum sibi Filium [c] proponant [d] et Patrem. Si vero negaverint, in una Dei essentia paternitatem esse et filiationem, quomodo ergo dicunt esse Deum? His [e] atque aliis argumentorum aculeis utuntur [f] in suae opinionis assertionem, ut veritatis formam dissecent.

Quorum audaciae resistentes atque ignorantiae providentes, audebimus aliquid super hoc loqui. Paternitas et filiatio non ita

---

[a] B *verbis*. [b] D om. [c] V add. *ipsum*. [d] B *praeponant*. [e] B add. interl. *itaque*. [f] B D *niluntur*.

---

[1] Dist. XXV, c. ult. [2] *De Trin.* II, n. 5 (PL 10, 54). Hic et deinceps in Gilbert. Porret. invehit Magister.

esse omnino dicuntur in divina essentia [a] sicut in ipsis hypostasibus, in quibus ita sunt, quod [b] eas determinant, ut ait Ioannes Damascenus[1]: « Characteristica idiomata sunt, id est determinativae proprietates hypostaseos, et non naturae; etenim hypostasim determinant et non naturam ». Ideoque, licet paternitas et filiatio sint in [c] divina essentia, cum eam non determinent, non ideo potest dici, quod divina essentia et generet et generetur, vel quod eadem res sit sibi [d] Pater et Filius. Ita enim proprietas determinat personam, ut hac proprietate hypostasis sit generans, et illa alia hypostasis [e] sit genita; et ita non idem generat et generatur, sed alter alterum.

Cap. II.

Quomodo proprietates possint esse in natura Dei, nec eam determinent.

300 Sed forte quaeres, cum hae proprietates non possint esse in personis, quin eas determinent, quomodo in essentia divina esse possunt, ita ut non eam determinent.

Respondeo tibi et hic cum Hilario[2]: « Ego nescio, non requiro, et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, saecula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset ergo dolor quaerelarum; non putet homo sua intelligentia generationis sacramentum posse consequi. Absolute tamen intelligendus est Pater et Filius », et Spiritus sanctus. « Stat [f] in hoc fine [g] intelligentia verborum: Est Filius a Patre, qui est unigenitus [h] ab ingenito, progenies a parente, vivus a vivo, non natura deitatis alia et alia, quia ambo unum ». « Hoc credendo incipe, percurre, persiste; etsi non perventurum sciam, tamen gratulabor profecturum [i]. Qui enim pie infinita prosequitur, etsi non contingat, aliquando tamen proficiet prodeundo. Sed ne te inseras in illud secretum, et [k] arcano [l] inopinabilis nativitatis ne te immergas, summam intelligentiae comprehendere praesumens; sed intellige incomprehensibilia esse ».

---

[a] Ed. et D *substantia*. [b] A *ut*. [c] U V B om. [d] Ed. cum D C *ibi*. [e] B add. *alia*. [f] B *sistat*. [g] B *ita hic*, pro *in hoc fine*. [h] B *ingenitus*. [i] V *perventurum*. [k] D add. *in*. [l] Ed. *arcanum*.

---

[1] *De fide orth.* III, c. 6 (P G L 94, 1002). Vide supra dist. XXVII, c. 3.
[2] Libr. II. *De Trin.* n. 9, 10, 11 (P L 10, 58 et sqq.)*. Cfr. Abael. loc. cit.

His aliisque multis evidenter ostenditur, nobis nullatenus licere *maiestatem perscrutari* [1], ius ponere potestati, modum circumscribere infinito.

Verumtamen nondum desistunt impatientiae spiritu agitati, sed 301
opinionem suam etiam Sanctorum auctoritatibus munire conantur, quibus ostendere volunt, proprietatem, qua Pater est Pater, et proprietatem, qua Filius est Filius, non esse Deum; ad hoc inducentes verba Augustini super illum locum Psalmi: *Et non est substantia,* ita dicentis [2]: « Deus est quaedam substantia. Unde etiam in fide catholica sic aedificamur, ut dicamus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius esse substantiae. Quid est unius substantiae? Quiquid est Pater, quod Deus est, hoc est Filius, hoc [a] Spiritus sanctus. Cum autem Pater est, non illud est quod [b] est. Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur; ad se autem Deus dicitur. Eo ergo quod vel quo Deus est, substantia est. Et quia eiusdem substantiae est Filius, proculdubio et Filius est Deus. At vero quod [c] Pater est, quia non substantiae [d] est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus, Filium Patrem esse, sicut dicimus, Filium Deum esse ».

Ex his verbis significari dicunt, quod proprietas Patris vel proprietas [e] Filii non sit Deus vel essentia divina. Cum enim dicit: Eo [f] quod Deus est, substantia est, sed quod Pater est, substantiae [g] non est; aperte, inquiunt, ostendit, id esse substantiam, quo [h] Deus est; id vero quo [i] Pater est, non esse substantiam. Item cum ait: Pater non illud est quod est, ostendit, eum non esse Patrem, eo quod [k] substantia est. Non enim simpliciter dixit: Pater non est illud quod est; sed ait: Cum Pater est, non illud est quod est, significans, quo Pater est non esse illud quo est, id est essentiam. Haec illi ita exponentes, sua commenta simplicibus et incautis vera videri faciunt.

Nos autem aliter ista intelligenda fore dicimus. Dicens enim: Eo quo [l] Deus est, substantia est; sed quod [m] Pater est, substantiae [n] non est, hoc intelligi voluit, quia essentia Deus est, et

---

[a] Ed. et B D add. *est.* [b] V *quo.* [c] C add. *vel quo.* [d] Ed. add. *nomen.* [e] A om. [f] A C add. *ergo.* [g] Ed. et D *substantia.* [h] D *quod.* [i] B C D *quod.* [k] B *quo.* [l] Ed. cum D *quod.* [m] B *quo.* [n] Ed. *substantia.*

---

[1] Prov. 25, 27. [2] August. *Enarratio in Psalm.* 68, 3, sermo 1, n. 5 (PL 36, 844).

deitate substantia est. Eo enim substantia est, quo Deus est, et e converso, cuius ea est deitas, quae [a] substantia, et substantia, quae deitas; sed quod Pater est, non est substantiae [b], id est, non quo Pater est, eo substantia est, quia proprietate generationis Pater est, qua substantia non est. Ipsam tamen proprietatem substantiam esse non negavit. Ita etiam illud intelligendum est quod ait: Cum Pater est, non illud est quod est, id est, non illo Pater est, quod vel quo ipse est, id est essentia, sed notione [c].

302 Item illis verbis Augustini vehementer insistunt superius [1] positis, scilicet Verbum, secundum quod sapientia est et essentia, hoc est quod Pater; secundum quod Verbum [d], non hoc est quod Pater. Si [e], inquiunt, Verbum non est hoc quod Pater, secundum quod est verbum, id ergo, quo [f] Verbum est, non est illud quod Pater est; proprietas igitur, qua Verbum est, non est id quod Pater est; non est igitur divina essentia.

Ad quod dicimus, quia licet secundum quod Verbum non sit hoc quod Pater est, ea tamen proprietas qua Verbum est, id est quod Pater est, id est divina essentia, sed non est hypostasis Patris.

DISTINCTIO XXXIV.

Cap. I.

De verbis Hilarii, quibus secundum pravorum intelligentiam videtur dicere, non idem esse divinam naturam et rem naturae, et non idem esse Deum et quod Dei est.

303 Praedictis [g] est adiiciendum, quod quidam perversi sensus homines in tantam prosilierunt insaniam, ut dicerent, non idem esse naturam Dei et personam sive hypostasim, dicentes, eandem essentiam non posse esse Patrem et Filium sine personarum confusione. Si enim, inquiunt, ea essentia, quae Pater est, Filius est, idem sibi Pater est et Filius. Si hanc rem dicis esse Patrem, et [h] aliam quaere, quam dicas [i] Filium. Si vero aliam non quaesieris, sed eandem di-

---

[a] Ed. et D add. *est.* [b] Ed. *substantia.* [c] D om. *sed notione.* [d] C add. *est.* [e] V B (corr. post.) C *sed.* [f] Ed. cum A C D *quod.* [g] U add. *autem.* [h] Ed. om. [i] Ed. et D add. *esse.*

[1] Dist. XXVII, c. 3.

xeris, idem genuit et genitus est. Propter haec et huiusmodi inter naturam et personam dividunt, ita ut non recipiant unam deitatis naturam et simplicem esse tres personas.

Idque testimonio Hilarii defendere nituntur, qui in VIII libro *De Trinitate* [1] quaerens, utrum Apostolus, nominans *spiritum Dei* et *spiritum Christi*, idem significaverit utroque verbo, inquit ita: « Gentium praedicator, volens naturae unitatem in Patre et Filio docere, ait [2]: *Spiritus Dei in vobis est. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si autem spiritus eius, qui suscitavit Christum* [a] etc. Spirituales omnes sumus, si in nobis est spiritus Dei, sed et hic spiritus Dei est et spiritus Christi. Et cum Christi spiritus est in nobis, eius spiritus [b] in nobis est, qui suscitavit Christum. Et cum eius qui suscitavit Christum [c] in nobis est spiritus, et spiritus in nobis est Christi; nec tamen non Dei est spiritus, qui in nobis est. Discerne ergo, o haeretice, spiritum Christi a spiritu Dei, et excitati a mortuis spiritum Christi a spiritu Dei, Christum a [d] mortuis excitantis; cum qui habitat [e] in nobis spiritus Christi spiritus Dei sit, et spiritus Christi a mortuis excitati spiritus Dei tantum sit Christum a mortuis excitantis [f]. Et quaero nunc, *in spiritu Dei* utrum naturam, an rem naturae significatam existimes. Non idem est enim natura quod res naturae, sicut non idem est homo et quod hominis est; nec idem est ignis et quod ipsius ignis est; et secundum hoc non idem est [g] Deus et quod Dei [h] ».

Huius dicti occasione praefati haeretici dogmatizarunt, non idem 304
esse personam et naturam Dei, asserentes, naturam Dei non esse tres personas, intelligentes in his praemissis verbis Hilarii per rem naturae personam, et nomine naturae divinam naturam. Et ideo dicunt, Hilarium interrogasse haereticum, utrum per *spiritum Dei* putaret significatam esse naturam, an rem naturae, ut sic ostenderet, distinguendum esse inter naturam et rem naturae, id est personam.

Hoc quidem dicunt, non intelligentes [i] pia diligentia [k] Scripturae circumstantiam, qua considerata, percipi potest, quomodo prae-

---

[a] Ed. *Iesum.* [b] V add. *qui.* [c] V om. *Et c. e. q. s. Christum.* [d] D *ex.* [e] V *inhabitat.* [f] D om. *cum qui habitat... excitantis.* [g] Z om. [h] Ed. add. *est.* [i] D *intendentes.* [k] V D *intelligentia.*

[1] Num. 21, 22 (P L 10, 252). Cfr. Abael. loc. cit. [2] Rom. 8, 9-11.

missa dixerit Hilarius. Subsequenter enim in eadem serie[1] ostendit, in *spiritu Dei* aliquando significari Patrem, ut cum dicitur[2]: *Spiritus Domini super me;* aliquando significari Filium, ut cum dicitur[a 3]: *In spiritu Dei eiicio daemonia,* naturae suae potestate se daemones eiicere demonstrans; aliquando Spiritum sanctum, ut ibi[4]: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Quod dicit consummatum fuisse, cum Apostoli, misso Spiritu[b], omnibus linguis locuti sunt[5].

305 Deinde, quare hanc distinctionem fecerit, et quod in superioribus verbis Apostoli idem Spiritus significatus sit, et quod ipse sit res unius naturae Patris et Filii, aperte ostendit inquiens ita[6]: « Haec idcirco sunt demonstrata, ut quacumque parte haeretica falsitas se contulisset, finibus veritatis concluderetur. Habitat enim in nobis Christus, quo habitante habitat Deus; et cum habitat in nobis spiritus Christi[7], non alius tamen habitat quam spiritus Dei. Quodsi per Spiritum sanctum Christus in nobis intelligitur esse, hunc tamen ita spiritum Dei ut spiritum Christi esse noscendum est. Et cum per naturam Dei natura ipsa habitet in nobis, indifferens natura Filii creditur esse a Patre, cum Spiritus sanctus, qui est spiritus Christi, et Spiritus Dei res naturae demonstretur unius. Quaero nunc igitur, quomodo non ex natura unum sunt. A Patre procedit Spiritus veritatis, a Filio mittitur, et a Filio accipit. Sed omnia quae habet Pater, Filii sunt; et idcirco qui ab eo accipit Dei spiritus est, et idem spiritus Christi est. Res naturae Filii est, sed et eadem res[c] et naturae Patris est, et Dei excitantis Christum a mortuis spiritus est, et idem spiritus Christi est a mortuis excitati. In aliquo differt Christi et Dei natura, ne eadem sit, si praestari[d] potest, ut spiritus, qui Dei est, non sit etiam Christi ». « Est ergo in nobis spiritus Dei, et est in nobis spiritus Christi; et cum spiritus Christi inest, inest spiritus Dei. Ita cum quod Dei est, et Christi est, et quod Christi est, Dei est, non potest quid aliud diversum Christus esse, quam Deus est. Deus igitur Christus est unus cum Deo spiritus », « secundum illud[8]: *Ego et Pater unum*

---

[a] V B *dicit;* D add. *si.* [b] Ed. add. *sancto.* [c] V add. *est.* [d] B *parari.*

---

[1] Hilar. loc. cit. n. 25 (P L 10, 254). [2] Isai. 61, 1. [3] Matth. 12, 28. [4] Ioel. 2, 28. [5] Alluditur ad Act. 2, 17. [6] Hilar. loc. cit. n. 26, 27 et 28 (P L 10, 255 et 256). [7] Alluditur ad Ephes. 3, 17 et Cor. 3, 16. [8] Ioan. 10, 30.

sumus. In quo docet Veritas, unitatem esse naturae, non solitudinem unionis ».

Ecce, si haec verba diligenter attendas, invenis Spiritum sanctum rem naturae dici [a] Patris et Filii, et eundem dici esse naturam Dei, ubi dicitur: Per naturam Dei natura ipsa habitat in nobis, si per Spiritum sanctum Christus est in nobis.

Itaque in Trinitate non ita distinguendum est inter naturam 306
et rem naturae, sicut in rebus creatis, quia, ut ait Hilarius[1]: « Comparatio terrenorum ad Deum nulla est; et si qua comparationum exempla interdum afferuntur, nemo ea aestimet [b] absolute in se rationis perfectionem continere »; « non enim humano sensu de Deo loquendum est [2] ».

Ad naturam ergo rerum creatarum respiciens inquit[3]: « Non idem est natura quod naturae res », subiiciens exempla de ipsis creaturis. Inde ostendens, erroris [c] esse, sub mensura creaturarum metiri Creatorem, addit: Et secundum hoc « non idem est Deus, et quod Dei est », ac si diceret: Si ad instar creaturarum de Creatore sentis, cogeris fateri, quia non idem est Deus et quod Dei est; quod dicere impium est, cum Spiritus Dei Deus sit, et Dei Filius sit Deus.

Non ergo secundum corporales modos, ut in eadem serie subdit, accipienda sunt haec quae de Deo dicuntur. Ubi evacuans opinionem eorum qui ita putant aliud esse Deum, et aliud quod Dei est, aliudque naturam Dei et rem naturae, ut est in creaturis, aperte docet, non aliud esse Deum et quae sua sunt, ita ut insint illi, sic dicens[4]: « Homo aut [d] aliquid ei simile, cum alicubi erit, alibi non erit, quia id quod est, illic continetur, ubi fuerit in forma, ut non ubique sit qui insistens alicubi sit. Deus autem immensae virtutis, vivens potestas, quae nusquam non adsit, nec desit usquam, se omnem per sua edocet, et sua non aliud quam se esse significat [e], ut ubi sua insint, ipse esse per sua intelligatur. Non autem corporali modo, cum alicubi sit [f], non etiam ubique esse creda-

---

[a] V add. *esse*. [b] Ed. cum V *existimet*. [c] Ed. *errorem*. [d] V *autem vel*. [e] V B C add. *ita*. [f] V om.

---

[1] Libr. I *De Trin.* n. 19 (P L 10, 38). [2] Libr. VIII *De Trin.* n. 14 (P L 10, 247). [3] De hoc et sequenti loco vide supra pag. 213, nota 1. [4] Libr. VIII, n. 24 (P L 10, 253).

tur, cum per sua in omnibus esse non desinat. Non aliud autem sint quam quod est ipse, quae sua sunt. Et haec propter naturae intelligentiam dicta sunt ».

His verbis aperte significat — si tamen intelligis, haeretice — quia divina natura non aliud est ab his quae sua sunt, ita ut insint, et per illa in omnibus est suis, quae non insunt. Sua enim sunt etiam quae non insunt, id est omnes creaturae; et sua sunt quae insunt, ut tres personae, quae sunt eiusdem naturae et eadem natura, sicut supra Augustini[1] testimonio firmavimus dicentis, tres personas esse eiusdem essentiae vel eandem essentiam, sed non ex eadem essentia, ne aliud intelligatur essentia, aliud persona.

307 Nec tamen diffitemur, aliquam[a] distinctionem habendam fore secundum intelligentiae rationem, cum dicitur hypostasis, et cum dicitur essentia; qua ibi significatur quod est commune tribus, hic vero non. Est tamen hypostasis essentia, et e converso. Fateamur ergo, unum atque idem esse tres personas secundum essentiam, differentes autem proprietatibus.

Unde Augustinus super locum Psalmi[2] praetaxatum ait: « Quaeris, quid sit Pater? Respondetur: Deus. Quaeris, quid sit Filius? Respondetur: Deus. Quaeris, quid sit Pater et Filius? Respondetur: Deus[b]. De singulis interrogatus, Deum responde. De utroque interrogatus, non deos, sed Deum responde. Non sic in hominibus. Tanta enim ibi est substantiae unitas, ut aequalitatem admittat, pluralitatem[c] non admittat. Si ergo tibi dictum fuerit, cum dicis, Filium esse quod Pater est: profecto Filius Pater est; responde: secundum substantiam tibi dixi hoc esse Filium quod Pater est, non secundum id quod ad aliud dicitur. Ad se enim dicitur Deus, ad Patrem Filius dicitur. Rursumque Pater ad se dicitur Deus, ad Filium dicitur Pater. Quod Pater ad Filium dicitur, non est Filius; quod dicitur Filius ad Patrem, non est Pater; quod dicitur Pater ad se[d], Filius ad se, hoc est Pater et Filius, id est Deus ».

[a] V om. [b] V om. *Quaeris q. s. P. e. F. R. Deus.* [c] B add. *vero.* [d] Ed. add. *et.*

[1] Libr. VII *De Trin.* c. 6, n. 11 (PL 42, 943). Cfr. dist. V, c. 2, pag. 30, nota 6, et dist. XXV, c. 1, pag. 158, nota 2. [2] *Enarrat. in Psalm.* 68, sermo 1, n. 5 (PL 36, 845). Cfr. dist. XXXIII, c. 2.

Cap. II.

Utrum ita possit dici: Unus Deus trium personarum, ut dicitur una essentia trium personarum; et tres personae unius Dei, ut tres personae unius essentiae.

Hic considerandum est, cum Deus sit divina essentia, et ita 308
dicatur unus Deus esse tres personae, sicut una essentia dicitur tres personae, utrum ita valeat sane dici, unus Deus trium personarum, vel tres personae unius Dei, sicut dicitur una essentia trium personarum, et tres personae unius essentiae.

In his locutionibus Scripturae usus nobis aemulandus videtur, ubi frequenter reperitur ita dictum: Una est essentia trium personarum [a], et tres sunt personae unius essentiae; nusquam autem occurrit legisse, unum Deum trium personarum, vel tres personas unius Dei. Quod ideo puto sanctos doctores vitasse, ne ita forte acciperetur in divinis personis, ut accipitur cum de creaturis simile quid dicitur. Dicitur enim *Deus Abraham, Isaac et Iacob* [1], et *Deus omnis creaturae* [2]. Quod utique dicitur propter principium creationis vel gratiae privilegium, et creaturae subiectionem vel servitutem. Cum ergo in Trinitate nihil sit creatum vel serviens vel subiectum, non admisit fides in Trinitate talem locutionis modum. Ita etiam e converso non dicitur de Dei essentia, quod ipsa sit essentia Abraham, Isaac et Iacob vel alicuius creaturae, ne [b] Creatoris et creaturae naturam confundere videamur.

Cap. III.

Quod potentia, sapientia, bonitas in Scriptura interdum ad personas distincte referuntur.

Ex praedictis [3] constat, quod sicut essentia, ita potentia, sa- 309
pientia, bonitas de Deo dicuntur secundum substantiam. Quae autem secundum substantiam de Deo dicuntur tribus personis pariter conveniunt. Una est [c] ergo potentia, sapientia, bonitas Patris et Filii et Spiritus sancti, et hi tres eadem potentia, eadem sapientia, eadem

---

[a] Ita U (interl.) et Z; alii om. [b] Z A add. *ideo*. [c] Z om.

---

[1] Exod. 3, 6. [2] Iudith. 9, 17. [3] Dist. XXII, c. 4. Pro hoc et seq. cap. cfr. Abael. I. *Introd.* c. 10; IV. *Theol.* (PL 178, 994, 1275).

bonitas; unde aperitur in Trinitate summa esse perfectio. Si enim ibi deesset [a] potentia, vel sapientia, vel bonitas, non esset summum bonum. Sed quia ibi est perfecta potentia, infinita sapientia, incomprehensibilis bonitas, recte dicitur et creditur summum bonum. Cumque unum et idem penitus sit in Deo potentia, sapientia, bonitas, in sacra Scriptura tamen frequenter solent haec nomina distincte ad personas referri, ut Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas tribuatur [b]. Quod quare fiat, non est otiosum inquirere.

Cap. IV.

Quare Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas tribuatur, cum sit una potentia, sapientia, bonitas trium.

310 « Id ergo sacri eloquii [1] prudentia facere curavit, ne Dei immensitatem similitudine creaturae metiremur. Dixerat enim Scriptura sacra [c], quia Deus Pater est, et quod Deus Filius est; et audivit hoc homo, qui hominem patrem viderat, Deum patrem non viderat, et cogitare coepit, ita esse in Creatore, ut viderat [d] in creaturis, a quibus haec nomina translata sunt ad Creatorem, in quibus pater est prior filio, filius est posterior patre; et ex antiquitate in patre defectus, ex posteritate in filio imperfectio sensus solet notari. Ideo occurrit Scriptura dicens Patrem potentem, ne videatur prior Filio, et ideo minus potens; et Filium sapientem, ne videatur posterior Patre, et ideo minus sapiens ».

Dictus est « etiam Spiritus sanctus [e] Deus [f], et dictus est habere spiritum Deus; et videbatur hoc quasi nomen inflationis et tumoris — unde humana conscientia ad Deum pro rigore et crudelitate accedere metuit — ideo Scriptura temperavit sermonem suum, spiritum bonum nominans, ne crudelis putaretur qui mitis erat; non quod Pater solus sit potens vel magis potens, et Filius solus sapiens vel magis sapiens, et Spiritus sanctus solus bonus vel magis bonus. Una ergo est potentia, sapientia, bonitas [g] trium, sicut una essentia; ideoque, sicut dicitur Filius homousios, id est consubstantialis Patri, ita et coomnipotens [2] ».

---

[a] D add. *perfectioni.* [b] Ed. et B D *attribuatur.* [c] B *sancta.* [d] Ed. add. *esse.* [e] D om. [f] V om. [g] V A B C *benignitas.*

---

[1] Hugo, l. *De Sacram.* p. 2, c. 8 (PL 176, 209) *. [2] Hugo, loc. cit.

Cap. V.

De hoc nomine homousion, ubi in auctoritate receptum sit, et quid significet.

Hic non est praetermittendum, quod Augustinus in libro II [a 1], 311
Contra Maximinum dicit de hoc nomine homousion, quo Latini tractatores frequenter utuntur. « Pater, inquit, et Filius unius sunt eiusdemque substantiae. Hoc est illud [b] homousion, quod in Concilio Nicaeno adversus haereticos Arianos a catholicis Patribus veritatis auctoritate firmatum est; quod postea in Concilio Ariminensi, propter novitatem verbi, minus quam potuit intellectam — quam tamen fides antiqua pepererat — multis [c] paucorum fraude deceptis, haeretica impietas sub haeretico imperatore Constantio [d] labefactare tentavit. Sed post non longum tempus libertate fidei catholicae praevalente, postquam vis verbi, sicut debuit, intellecta est, homousion illud catholicae fidei sanitate longe lateque defensum est et diffusum. Quid enim est homousion nisi unius eiusdemque substantiae? Quid est, inquam, homousion nisi [a 2]: *Ego et Pater unum sumus?* Non ergo inter profanas novitates vocum hoc vitandum est ».

Praeterea sciendum est, quod in assignatione distinctionis no- 312
minum, inter alia, quae supra diligenter executi sumus, quaedam diximus [3] translative ac per similitudinem de Deo dici, ut: speculum, splendor, character, figura et huiusmodi. De quibus pio lectori breviter trado quod sentio, ut scilicet, ratione similitudinis considerata, ex causis dicendi dictorum intelligentiam assumat, sed catholicam.

De sacramento Unitatis atque Trinitatis summae et ineffabilis multa iam diximus. Nihil tamen [f] eius ineffabilitate dignum tradidisse profitemur, sed potius ex nobis mirificatam eius scientiam [4], nec potuisse nos ad illam [g].

---

[a] D add. *De Trinitate.* [b] Z om. [c] B add. *fidelibus.* [d] Z *Constantino.* [e] D add. *unius eiusdemque substantiae quod est.* [f] D add. *de.* [g] Ed. add. *pervenire;* B (manu multum posteriori) add. in marg. *contingere.*

---

[1] Cap. 14, n. 3 (PL 42, 772). [2] Ioan. 10, 30. [3] Dist. XXII, c. 1. [4] Respicitur Psalm. 138, 6.

DISTINCTIO XXXV.

Cap. I–VI.

De scientia et praescientia, providentia, dispositione et praedestinatione Dei [a].

313 Cumque supra [1] diseruerimus ac plura dixerimus de his quae communiter secundum substantiam de Deo dicuntur, eorum tamen quaedam specialem efflagitant tractatum; de quibus amodo tractandum est, scilicet [b] de scientia, praescientia, providentia, dispositione, praedestinatione, voluntate et potentia.

Sciendum est igitur, quod sapientia vel scientia Dei, cum sit una et simplex, tamen propter varios status rerum et diversos effectus plura ac diversa sortitur nomina. Dicitur enim non tantum scientia, sed etiam praescientia vel praevidentia, dispositio, praedestinatio et providentia.

314 [Cap. II]. Et est praescientia sive praevidentia de futuris tantum, sed de omnibus, de bonis scilicet et [c] malis.

315 [Cap. III]. Dispositio vero de faciendis.

316 [Cap. IV]. Praedestinatio de hominibus [d] salvandis, et de bonis [e], quibus et hic liberantur et in futuro coronabuntur. Praedestinavit autem [f] ab aeterno Deus homines ad bona eligendo, et praedestinavit eis bona praeparando.

Quod homines praedestinavit, Apostolus [2] ostendit dicens: *Praedestinavit quos praescivit fieri conformes imaginis Filii sui.* Et alibi [3]: *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati.*

---

[a] In omnibus codd. omnia a cap. I usque ad VII exclusive sub una rubrica continentur; quibus nos conformare volumus, capitulorum numeris intra parentheses reiectis. [b] Ed. *id est.* [c] Ed. et D add. *de.* [d] C *omnibus.* [e] V add. *scilicet operibus.* [f] Ed. et B *enim;* D om.

---

[1] Dist. VIII, XIX, XXII, XXX. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 12; I. *De Sacram.* p. 2, c. 9 (PL 176, 61, 210); pro hac dist. cfr. Abael. III. *Introd.* c. 7; *Sic et non* c. 26-29 (PL 178, 1109, 1386 et sqq.). [2] Rom. 8, 29. [3] Ephes. 1, 4.

Quod autem eis bona praeparaverit, propheta Isaias ostendit dicens [1]: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus vel exspectantibus te.*

Ergo ab aeterno praedestinavit quosdam futuros bonos et beatos, id est elegit, ut essent boni et beati, et bona eis praedestinavit, id est praeparavit.

[Cap. V]. Providentia autem est gubernandorum, quae utique 317
eodem modo videtur accipi, quo dispositio. Interdum tamen providentia accipitur pro praescientia.

[Cap. VI]. Sapientia vero [a] vel scientia [b] de omnibus [c] est, sci- 318
licet bonis et malis, et de praesentibus, praeteritis et futuris, et non tantum de temporalibus, sed etiam de aeternis. Non enim ita scit Deus [d] ista temporalia, ut se ipsum nesciat, sed ipse solus se ipsum perfecte novit, cuius scientiae comparatione omnis creaturae scientia imperfecta est.

Cap. VII.

Utrum praescientia vel dispositio vel praedestinatio Dei esse potuerit, si nulla essent futura.

Hic considerari oportet, utrum scientia vel [e] praescientia, vel 319
dispositio, vel praedestinatio potuerit esse in Deo, si nulla fuissent futura.

Cum enim « praescientia sit futurorum, et dispositio faciendorum, et praedestinatio salvandorum [2] », si nulla essent futura, si nihil esset facturus Deus, vel aliquos salvaturus, non videtur potuisse in Deo esse praescientia, vel dispositio, vel praedestinatio; potuit autem Deus nulla praescire futura, potuit non creare aliquid, vel non salvare aliquos; potuit ergo non esse in Deo praescientia, vel dispositio, vel praedestinatio.

Ad hoc autem ita a quibusdam opponitur: Si, inquiunt, potuit praescientia Dei [f] non esse in Deo ab aeterno, et potuit non esse; si vero potuit non esse, cum praescientia Dei sit eius scientia, et

---

[a] B om. [b] B add. *quae.* [c] V *hominibus.* [d] V om. [e] B om. *scientia vel.* [f] V om.

---

[1] Isai. 64, 4, et I. Cor. 2, 9. [2] Hugo, *Sum. Sentent.*, tr. 1, c. 12 (PL 176, 61).

scieptia sit eius essentia, potuit ergo non esse ab aeterno id quod est divina essentia. Ita et de dispositione et de [a] praedestinatione, quae est divina essentia, obiiciunt.

320 Addunt quoque et alia [b], ita dicentes: « Si potuit Deus non praescire aliqua, cum idem sit Deo praescire quod scire, et scire quod esse, potuit ergo non esse. Item, cum idem sit Deo praescium esse et Deum esse, si potuit non esse praescius, potuit non esse Deus; potuit autem non esse praescius, si potuit nulla praescire; at potuit nulla praescire, quia potuit nulla facere.

Ad hoc iuxta modulum nostrae intelligentiae ita dicimus [1]: Praescientia, et [c] dispositio, vel praedestinatio ad aliquid dici videntur. Sicut enim creator ad creaturam relative dicitur, ita praescientia vel praescius ad futura referri videtur, et dispositio ad facienda, ac praedestinatio ad salvanda. Verumtamen creator [d] ita relative dicitur, ut essentiam non significet. Praescientia vero vel praescius et in respectu futurorum dicitur, et essentiam designat [e]; ita etiam dispositio et praedestinatio.

321 Ideoque cum dicitur: Si nulla essent futura, non esset in Deo praescientia, vel non esset Deus praescius, quia varia est ibi causa dicendi, distingui oportet rationem dicti. Cum ergo dicis: Si nulla essent futura, non esset in Deo praescientia, vel non esset praescius [f], si in dicendo hanc causam attendis, scilicet quia nulla essent subiecta eius praescientiae, unde ipsa possit dici praescientia, vel ipse praescius, quod utrumque dicitur propter futura; verus est intellectus. Sin autem ex [g] ea ratione id dicis, quod non sit in eo scientia, qua praescit futura, vel quod ipse non sit Deus, qui est futurorum praescius, falsa est intelligentia.

Similiter et illae locutiones determinandae sunt: Potuit non esse praescientia Dei, vel potuit non esse praescius, et potuit Deus non praescire aliqua: id est, potuit esse, quod nulla futura subiecta essent eius scientiae, et ita non posset dici praescius vel praescire, vel eius scientia praescientia; non eo tamen ipse minus esset vel eius scientia, sed non posset dici praescius vel praescire vel praescientia, si eius scientiae futura nulla forent subiecta.

---

[a] Ed. et D om. [b] V om. *et alia.* [c] Ed. *vel.* [d] C add. *ad creaturam.* [e] V B *significat.* [f] D add. *Deus.* [g] Ed. cum B C om.; V *in.*

---

[1] Cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 2, c. 14, 15, 16 (P L 176, 211).

Similiter de dispositione et praedestinatione vel providentia. Haec enim, ut dictum est, ad temporalia referuntur et de temporalibus tantum sunt.

Cap. VIII.

Quod scientia Dei est de temporalibus et aeternis.

Scientia vero vel sapientia non tantum de temporalibus, sed 322
etiam de aeternis est [a], ideoque, etsi nulla fuissent futura, esset tamen in Deo scientia eadem, quae modo est [b], nec minor esset quam modo, nec maior est [c] quam esset [d]. Scivit ergo Deus ab aeterno aeternum et omne quod futurum erat, et scivit immutabiliter. Scit quoque non minus praeterita vel futura quam praesentia, et sua aeterna sapientia et immutabili scit ipse omnia quae sciuntur. « Omnis enim ratio supernae et terrenae sapientiae, ut ait Ambrosius [1], in eo est, quia omnem sapientiam et essentiam [e] capit sua immensa scientia ».

Cap. IX.

Quomodo omnia dicuntur esse in Deo et vita in eo.

Propterea [f] omnia dicuntur esse in Deo et fuisse ab aeterno. 323
Unde Augustinus *Super Genesim* [2]: « Haec visibilia, inquit, antequam fierent, non erant. Quomodo ergo Deo [g] nota erant quae non erant? Et rursus: Quomodo ea faceret, quae sibi nota non erant? non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde, antequam fierent, et erant, et non erant: erant in Dei scientia, non erant in sua natura. Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cum ea fecisset, quam illo quo ea noverat, ut faceret, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* [3] ». Ecce hic habes, quia visibilia haec antequam fierent, in Dei scientia erant.

Ex hoc igitur sensu omnia dicuntur esse in Deo, et omne quod 324
factum est dicitur [4] esse *vita in ipso;* non ideo, quod creatura sit

---

[a] V om. [b] B D om. [c] B om. [d] B A C *modo.* [e] B D *scientiam.* [f] A C *praeterea.* [g] B C om.

---

[1] *In Epistolam ad Colos.* 2, 3 (P L. 17, 427)*. [2] *De Genesi ad litteram,* libr. V, c. 18, n. 36 (P L. 34, 333). [3] Iac. 1, 17. [4] Ioan. 1, 3, 4.

Creator, vel quod ista temporalia essentialiter sint in Deo, sed quia in eius scientia semper [a] sunt, quae vita est.

325 Inde est etiam [b], quod omnia dicuntur ei esse praesentia, non solum ea quae sunt, sed etiam [c] ea quae praeterierunt, et ea quae futura sunt, secundum illud [1]: *Qui vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt:* « quia, ut ait Ambrosius in libro *De Trinitate* [2], ita cognoscit ea quae non sunt, ut ea quae sunt ». Et hac ratione omnia dicuntur esse in eo vel apud eum sive ei praesentia.

Unde Augustinus, super illum locum Psalmi [3]: « *Et pulcritudo agri mecum est,* ideo inquit, *mecum est,* quia apud Deum nihil praeteriit, nihil futurum est. Cum illo sunt omnia futura, et ei non detrahuntur iam [d] praeterita. Cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabili sapientiae Dei ». Ecce hic aperit Augustinus, ex qua intelligentia accipienda sint huiusmodi [e] verba: Omnia sunt Deo praesentia, in Deo sunt omnia, vel cum Deo, vel apud Deum, vel in eo [f] vita; quia ineffabilis omnium cognitio in eo est [g].

DISTINCTIO XXXVI.

Cap. I.

Utrum omnia debeant dici esse in Dei essentia, ut in Dei cognitione vel praesentia esse dicuntur.

326 Solet hic quaeri, cum omnia dicantur esse in Dei cognitione seu praesentia [h], vel in Deo per cognitionem, et eius cognitio vel praesentia sit divina essentia, utrum concedendum sit, omnia esse in divina essentia vel in Deo per essentiam.

Ad quod dicimus, quia Dei cognitio eius utique essentia est, et eius praesentia, in qua sunt omnia, ipsius cognitio est, nec tamen omnia, quae sunt in eius praesentia vel cognitione, in eius essentia esse dici debent. Si enim hoc diceretur, intelligerentur esse eiusdem

---

[a] D om. [b] B C om. [c] B om. [d] Ed om. [e] C *ista.* [f] Z add. *sunt;* D *Deo.* [g] D om. [h] Hic et in toto hoc et sequenti cap., contra omnes codd., ed. semper legit *praescientia.* Lectionem nostram et codd. optime congruere textui Magistri, cfr. dist. XXXV, c. 9.

---

[1] Rom. 4, 17. [2] Id est V. *De fide ad Gratian.* c. 16, n. 198 (PL 16, 689). [3] Psalm. 49, 11; August. in hunc Psalm. n. 18 (PL 36, 577)*.

cum eo [a] essentiae. In Deo enim [b] dicitur esse per essentiam, quod est divina essentia, quod est Deus. Habet ergo Deus apud se in praesentia sua, quae non habet in sui natura.

Unde Augustinus de verbis Apostoli [1] ita ait: « *Elegit nos ante mundi constitutionem.* Quis sufficit hoc explicare? Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vane eligit; eligit tamen et habet electos quos creaturus est eligendos, quos habet apud semetipsum non in natura sua, sed in praesentia sua ». Nondum erant quibus promittebatur [c], sed et ipsi promissi sunt, quibus promittebatur.

Ecce hic aperte dicit, Deum apud semetipsum habere electos ante mundum, non in natura sua, sed in praesentia sua [d], cum tamen eius praesentia non sit aliud quam [e] natura, quia ipsius praesentia est eius notitia. Potest tamen ad electos referri, cum ait: in natura sua, id est illorum. Illos quippe habuit ab aeterno apud se, non in natura sui [f], id est illorum [g], quia [h] nondum erant, sed in sua praesentia, quia eos ita novit, ac si essent.

Cap. II.

Qua ratione bona dicuntur esse in Deo, et non mala.

Post praedicta quaeritur, cum omnia dicantur esse in Deo, non 327
per essentiam naturae, sed per cognitionem scientiae, et Deus sciat bona et mala, utrum concedendum sit simpliciter, mala esse in Deo, sive esse in Deo per cognitionem.

Scit enim Deus et scivit semper omnia, tam bona quam mala, etiam antequam fierent, et praescivit ab aeterno ea futura. Ideoque cum omnia bona dixerimus esse in Deo propter praesentiam cognitionis, eadem ratione videtur dicendum, omnia mala esse in eo [i], cum ea semper noverit, et per cognitionem ei praesentia fuerint. Praecognovit enim Deus ab aeterno quosdam futuros malos et eorum malitiam, ut ait Augustinus [2], praescivit, sed non praeparavit. Cum ergo peccata omnium sciat, nunquid intelligendum est, ea in-

---

[a] Ed. cum A C *Deo.* [b] D *etiam.* [c] V B Z add. *regnum.* [d] V B om. [e] Ita U V; ed. add. *eius.* [f] Ed. cum A C D *sua.* [g] B om. *id est illorum;* D om. *Illos quippe... illorum.* [h] Ed. et D *qui.* [i] D *Deo.*

[1] Ephes. 1, 4; August., sermo 26, c. 4, n. 4 (P L 38, 173). [2] Libr. *De praedestinatione Sanctorum,* c. 10 (P L 44, 974 et seq.)*

cludi in illa generalitate locutionis, qua dicit [a] Apostolus [1], omnia esse in Deo? *Ex ipso*, inquit, *et per ipsum et in ipso sunt omnia.*

328 Sed quis, nisi insanus dixerit, mala esse in Deo? Illa enim esse in Deo intelliguntur, quae ex ipso et per ipsum sunt; ea vero per ipsum sunt et ex ipso, quorum auctor est; sed non auctor est nisi bonorum. Non ergo ex ipso vel [b] per ipsum sunt nisi bona; ita ergo nec in ipso sunt nisi bona; non ergo mala in Deo sunt, quia, licet ea noscat, non tamen ita noscit omnino, ut bona. Mala quasi de longe cognoscit [c], ut ait Propheta [2], *et alta de* [d] *longe cognoscit*, id est superbiam. Et alibi ad Deum loquens de malis ait [3]: *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.*

Quod exponens Augustinus [e] [4]: « Abscondita, inquit, peccata sunt, quae a lumine tuae [f] veritatis absconduntur ». Sed quomodo peccata [g] a lumine veritatis divinae absconduntur, cum a Deo sciantur? Si enim non sciret, quomodo de illis iudicaret, et pro illis malos damnaret?

Alibi [5] Propheta dicit [h]: *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente* [i] deest. Quod exponens Cassiodorus inquit: « Neque a bonis, neque a malis deest Deus, sed omnibus praesens et cognitor est ». Cognoscit ergo Deus et bona et mala per scientiam, sed bona cognoscit etiam per approbationem [k], per beneplacitum; mala vero non.

Unde Cassiodorus *Super Psalmum* dicit [6]: « Peccata abscondita Deo sunt, quia non novit, id est non approbat ».

Et ex [l] eo sensu Augustinus dixit ea abscondi [m] a lumine Dei. Qui etiam in libro *Ad Helvidium* [n] [7] insinuat, cognitionem Dei variis modis accipiendam, inquiens: « Si ad scientiam referas, non ignorat Deus aliquos vel aliqua, qui tamen in iudicio quibusdam dicet: *Non novi vos* [8], sed eorum improbatio hoc verbo insinuata est ». Ecce non cognoscere dicitur Deus quae non approbat, quae

[a] Ed. *dixit.* [b] Ed. *et.* [c] V om. [d] Ed. *a.* [e] U add. *ait.* [f] B (post. corr.) *divinae.* [g] V om. [h] Ed. om. [i] B add. marg. *quoniam Deus iudex est.* [k] Ed. et B (interl.) add. *et.* [l] C om. [m] Ed. *abscondita.* [n] Ita omnes codd., ed. *Epistola ad Evodium.*

[1] Rom. 11, 36. [2] Psalm. 137, 6. [3] Psalm. 16, 14. [4] *Enarrat. in Psalm.* 16, n. 13 (PL 36, 147). [5] Psalm. 74, 7; Cassiodorus, *Expositio in Psalterium* in hunc locum (PL 70, 538)*. [6] Ibid. *In Psalm.* 16, 16 (PL 70, 122)*. [7] Rectius *Ad Evodium*, epist. 169, n. 2 (PL 33, 743)*. [8] Matth. 7, 23 et Luc. 13, 27.

ei non placent. Apparet itaque, verum esse quod diximus, scilicet quia quodam modo cognoscit Deus bona, quo non cognoscit mala. Pariter quidem utraque eodemque modo noscit quantum ad notitiam, sed bona etiam approbatione et beneplacito cognoscit.

Et inde est, quod bona tantum dicuntur esse in Deo, non mala, 329
et illa prope, haec longe, quia licet in Deo aliqua dicantur esse propter cognitionis praesentiam, et Deus bona et mala cognoscat, mala tamen non cognoscit nisi per notitiam, bona vero non solum per scientiam, sed etiam per approbationem et beneplacitum. Et ob talem cognitionem aliqua dicuntur esse in Deo, scilicet quia ita ea scit, ut etiam approbet, et placeant, id est, ita scit, ut eorum sit auctor.

Cap. III.

Utrum idem sit: Omnia esse ex Deo, et per ipsum et in ipso.

Proinde si diligenter inspiciamus, idem videtur esse omnia 330
esse [a] ex Deo et per ipsum et in ipso.

Unde Ambrosius in III libro *De Spiritu sancto* [1]: « Haec tria: *ex ipso et per ipsum et in ipso sunt* [b] *omnia* [2]; unum esse, supra diximus. Cum dicit, *per ipsum* esse omnia [c], negavit *in ipso* esse omnia. Eandem vim habent omnia haec, scilicet *in ipso* et *cum ipso* et *per ipsum*, et unum in his atque consimile, non contrarium intelligitur ».

Ecce habes, quia ex eadem intelligentia Scriptura dicit, omnia esse *in ipso* et *per ipsum* et *ex ipso* vel *cum ipso*. Cum ergo ex ea ratione omnia dicantur esse ex Deo vel *per ipsum*, non solum quia scit, sed etiam quia auctor est eorum; consequitur, ut eadem ratione ea esse in Deo dicantur, scilicet quia scit et eorum auctor est [d], dicitur, quia *in illo vivimus* [e], *movemur et sumus* [3], quia ex [f] eo auctore sumus, et [g] movemur et vivimus. Cum ergo non sit auctor nisi bonorum, merito sola bona in eo esse dicuntur, sicut *ex ipso* vel [h] *per ipsum*. Cum igitur in eius cognitione vel praesentia sint omnia, scilicet bona et mala, in eo tamen non dicuntur esse nisi bona, quorum auctor est.

---

[a] Ed. om. *omnia esse*. [b] Ed. om. [c] Ed. et D add. *non*. [d] BC (secunda manu) add. *esse*. [e] Ed. add. *et*. [f] Ita U D; ed. om. [g] Ed. om. [h] Ed. *et*.

[1] Cap. 11, n. 84 (PL 16, 796)*. [2] Rom. 11, 36. [3] Act. 17, 28.

Unde Augustinus in libro *De natura boni* [1]: « Cum audimus, inquit, *ex* Deo et *per ipsum* et *in ipso* esse omnia, omnes utique naturas intelligere debemus, et omnia quae naturaliter sunt. Neque enim ex ipso sunt peccata, quae naturam non servant, sed vitiant, quae ex voluntate peccantium nascuntur [a] ». Hic aperte dicitur, quod in illa generalitate locutionis bona tantum continentur.

Cap. IV.

Quod omnia sunt in quolibet trium et per ipsum et in ipso.

331 Praeterea sciendum est, quod licet ibi indicetur distinctio personarum, cum dicitur: *ex ipso* [b], *per ipsum* [c], *in ipso*, omnia tamen ex Patre et per [d] Patrem et in Patre sunt; similiter de Filio et [e] Spiritu sancto accipiendum est.

Unde Augustinus in [f] libro *De Trinitate* [2]: « Non confuse, inquit, accipiendum est quod ait Apostolus, *ex ipso, et per ipsum, et in ipso: ex ipso* dicens propter Patrem, *per ipsum* propter Filium, *in ipso* propter Spiritum sanctum ». Vigilanter autem attende, ne, quia Patrem volens intelligi dixit *ex ipso* [g], sic intelligas, omnia esse ex Patre, ut neges, omnia esse ex Filio vel ex Spiritu sancto, cum ex Patre et per Patrem et in Patre omnia esse sane dici possit [h]; similiter et de Filio et de Spiritu sancto sentiendum [i] est.

Cap. V.

Quod non omnia, quae ex Deo sunt, etiam de ipso sunt.

332 Illud etiam hic [k] annectendum [l] est, quod non omnia quae dicuntur esse ex Deo, etiam de ipso esse dici debeant; « quia, ut ait Augustinus in libro *De natura boni* [3], non hoc significat penitus *ex ipso,* quod de ipso. Quod enim de ipso est, potest dici [m]

---

[a] V add. *omnia.* [b] Ed. add. *et.* [c] Ed. add. *et.* [d] Z *propter.* [e] Ed. add. *de.* [f] U (manu posteriori) add. *quarto.* [g] V add. *ut.* [h] Ed. et B *possint.* [i] A *concedendum;* C *sciendum.;* ed. *dicendum.* [k] U add. *attendendum est vel.* [l] C D *attendendum.* [m] Ed. cum B (interl.) add. *esse.*

---

[1] Cap. 28 (P L 42, 590). [2] Libr. VI, c. 10, n. 12, unde prima verba sumta sunt (P L 42, 932); alia sunt ex l. c. 6, n. 12 (P L 42, 827). [3] Cap. 27 (P L 42, 563).

ex ipso, sed non omne quod *ex ipso* est, potest dici esse de ipso, quia non est de sua substantia. *Ex ipso* enim sunt caelum et terra, quia ipse fecit ea, non autem de ipso, quia non de substantia sua. Sicut aliquis homo si [a] generat [b] filium et facit domum, ex ipso est filius, ex ipso est et domus, sed filius de ipso, domus vero de terra et [c] ligno », non de se [d] ipso.

In praemissis apertum est, quod in Dei cognitione sive praesentia sunt omnia, scilicet bona et mala, sed non omni modo sunt ibi mala, quo bona; et quod in Deo bona tantum sunt, sicut *ex ipso,* et *per ipsum,* non mala; et ex quo sensu haec accipienda sint, assignatum est; et quod de ipso non dicitur esse proprie quod aliud est ab ipso; *ex ipso* autem dicuntur esse omnia quae eo auctore sunt.

DISTINCTIO XXXVII.

Cap. I.

Quibus modis dicitur esse Deus in rebus.

Et quoniam demonstratum est ex parte, quomodo omnia di- 333
cantur esse in Deo, addendum videtur hic, quibus modis Deus dicatur esse in rebus, si tamen [e] humana mens vel ex parte digne valeat cogitare, vel sufficiat eloqui lingua [1].

Sciendum igitur est, quod Deus, incommutabiliter semper in se existens, praesentialiter, potentialiter, essentialiter est in omni natura sive essentia sine sui definitione, et in omni loco sine circumscriptione, et in omni tempore sine mutabilitate [f].

Et praeterea in sanctis spiritibus et animabus est excellentius, scilicet per gratiam inhabitans, et in homine Christo excellentissime, *in quo plenitudo divinitatis corporaliter habitat* [g], ut ait Apostolus [2]. In eo enim Deus habitavit non per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis.

Ne autem ista, quia capacitatem humanae intelligentiae exce- 334
dunt, falsitatis arguere aliqui praesumant, Sanctorum auctoritatibus munienda mihi videntur.

---

[a] D *qui.* [b] V *gignat.* [c] A D add. *de.* [d] Ed. et D om. [e] Ed. add. *id.* [f] A add. *sui.* [g] Ed. *inhabitat.*

---

[1] Cfr. Abael. *Sic et non* c. 43 et 44 (PL 178, 1404 et sqq.). [2] Colos. 2, 9.

Beatus Gregorius [1] *Super Canticis* [a] *Canticorum* inquit [b]: « Licet Deus communi modo omnibus rebus insit praesentia, potentia, substantia [c], tamen familiariori modo dicitur inesse per gratiam illis, qui mirificentiam operum Dei acutius et fidelius considerant ».

De hoc [d] eodem Augustinus *Ad Dardanum* [2] in libro *De praesentia Dei* ait: « Cum Deus sit natura incorporea et incommutabiliter viva, aeterna stabilitate in se ipso manens, totus adest rebus omnibus, et singulis [e] totus; sed in quibus habitat, habent eum pro suae [f] capacitatis diversitate, alii amplius, alii minus, quos ipse dilectissimum sibi templum gratia suae bonitatis aedificat ».

Hilarius quoque in libro VIII *De Trinitate* [3] apertissime docet, Deum esse ubique: « Deus, inquit, immensae virtutis, vivens potestas, quae nusquam non adsit, nec desit usquam, se omnem per sua edocet, ut ubi sua sint, ipse esse intelligatur. Non autem corporali modo, cum alicubi sit, non etiam ubique esse credatur, cum et in omnibus esse non desinat ».

Ambrosius, etiam [g] in I libro *De Spiritu sancto* [4], Spiritum sanctum probat non esse creaturam, quia ubique est, quod est proprium divinitatis, ita dicens: « Cum omnis creatura certis naturae suae sit circumscripta limitibus, quomodo quis audeat creaturam appellare Spiritum sanctum, qui non habeat [h] circumscriptam determinatamque virtutem, qui [i] et in omnibus ubique et semper est? quod utique divinitatis et dominationis est proprium ».

Idem in eodem [5]: « Domini est omnia complere, qui dicit: *Ego caelum et terram compleo* [6]. Si ergo [k] Dominus est qui caelum et terram complet, quis ergo potest Spiritum sanctum iudicare dominationis et divinae potestatis exsortem, qui replevit orbem, et quod plus est, replevit [l] Iesum, mundi totius Redemptorem »?

---

[a] Ed. et D *Cantica.* [b] Ed. om. [c] C (secunda manu) *essentia.* [d] Ed. add. *enim.* [e] B add. *inest.* [f] V *sua.* [g] Ed. cum D C om. [h] Ed. *habet.* [i] Ed. *quia.* [k] In U B *ergo* est add. interlin.; V om. [l] Ed. add. *et.*

---

[1] Errat Magister citando Gregorium, cum male intellexerit glossam ordinariam (ad Cantica 5, 17), cuius tantum pars est ex Gregorio, illa verba autem non. Hunc errorem Magistri secuti sunt cum aliis Scholasticis etiam S. Bonav., hic p. I, a. 3; q. 2, arg. 1, et S. Thomas *Summa* I. q. 8, a. 3; cfr. De Rubeis, *Dissertationes,* dissert. 31, c. 1. [2] Epist. 187, c. 6, n. 19 (P L 33, 739). [3] Num. 24 (P L 10, 253). [4] Cap. 7, n. 81 (P L 16, 723). [5] Ibid. n. 86. [6] Ier. 23, 24.

Ex his aliisque pluribus auctoritatibus aperte monstratur, quod Deus ubique et [a] in omni creatura essentialiter, praesentialiter, potentialiter est [b].

Cap. II.

Quod Deus non ubicumque est, habitat, sed e converso.

In Sanctis vero etiam habitat, in quibus est per gratiam. Non 335
enim ubicumque est, ibi habitat [c], ubi vero habitat, ibi est. In solis bonis habitat, qui sunt templum eius et sedes eius.

Unde per Isaiam [1] Dominus ait: *Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum,* quia in electis, qui sunt caelum, habitat Deus et regnat, qui eius voluntati devoti obtemperant; malos vero, qui sunt terra, iudicii districtione calcat.

Unde etiam in libro Sapientiae [2] dicitur: Thronus sapientiae anima iusti, quia in iustis specialius est quam in aliis rebus, in quibus tamen omnibus totus est.

« Quemadmodum anima, ut [d] ait Augustinus in *Epistola ad* 336
Hieronymum [3] de origine animae, per omnes particulas corporis tota adest simul, nec minor in minoribus, nec in maioribus maior est [e], sed tamen in aliis intensius [f], in aliis remissius operatur, cum in singulis particulis [g] corporis essentialiter [h] sit »: ita et Deus, cum sit in omnibus essentialiter ac totus, in illis tamen plenius esse dicitur, quos inhabitat, id est, in quibus ita est, ut faciat eos templum suum. Et hi tales cum eo sunt iam ex parte, sed in beatitudine perfecte; mali vero, etsi ibi sint, ubi ipse est, qui nusquam deest, non tamen sunt cum eo.

Unde Augustinus *Super Ioannem* [4]: « Non satis fuit dicere: *Ubi ego sum, et illi sint* [5], sed addidit *mecum,* quia et miseri possunt esse, ubi et ille est, qui nusquam deest [i]; sed Beati sunt [k] cum illo, quia [l] non sunt beati nisi ex eo ». Cum illo sunt

---

[a] Ed. om. [b] D om. [c] V B *inhabitat* et om. *ibi.* [d] Ed. om. [e] Ed. et D om. [f] D *immensius;* ed. add. *et.* [g] D *partibus.* [h] Ed. add. *tota,* quod in U est add. interlin. [i] C add. *non tamen sunt cum eo.* [k] V C om. *sunt,* quod in U est add. interl. [l] A D *qui.*

---

[1] Cap. 66, 1. Cfr. Abael. loc. cit. [2] Respicitur Sap. 7, 27; et c. 9, 10.
[3] Epist. 166, c. 2, n. 4 (PL 33, 722). [4] Tract. 111, n. 2 (PL 35, 1927).
[5] Ioan. 17, 24. Quae sequuntur sumta sunt ex Aug. loc. cit. n. 3 et 2.

qui [a] fruuntur eo [b], vident illum, sicut est; mali vero [c] non sunt [d] cum illo, ut [e] caeci [f] in luce non sunt [g] cum luce. Nec boni ita nunc cum eo sunt, ut videant per speciem, etsi [h] aliquo modo cum eo per fidem.

Quomodo autem Deus habitet in bonis, ex illis aliquatenus intelligere valebis, quae supra [1] dicta sunt, cum de Spiritus sancti processione temporali ageretur, ubi, licet ex parte, exponitur — *ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus* [2] — quomodo Spiritus [i] habitet in nobis, qui non sine Patre et Filio inhabitat.

Cap. III.

Ubi erat Deus, antequam esset creatura.

337 Si autem quaeris, ubi habitabat Deus, antequam Sancti essent; dicimus, quia in se habitabat.

Unde Augustinus in libro [k] *Contra Maximinum* [3]: « In templo, inquit, suo habitat Deus », « scilicet in Sanctis, qui sunt templum Dei modo secundum fidem ambulantes; et [l] templum Dei erunt aliquando etiam secundum speciem, qualiter etiam nunc templum Dei sunt Angeli. Sed dicet aliquis: Antequam faceret Deus caelum et terram, antequam faceret Sanctos, ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se [m] habitat [n] et apud se est. Non ergo sic sunt Sancti domus Dei, ut, ipsa [o] subtracta, cadat Deus; immo sic habitat Deus in Sanctis, ut, si ipse discesserit, cadant [4] ».

338 « Sciendum [p] etiam, quia, ut ait Augustinus in libro [q] *Ad Dardanum* [5], dici nisi stultissime nequit, Spiritum sanctum non habere locum in nostro corpore, quod totum nostra anima impleverit. Stultius enim [r] dicitur, angustiis alicubi impediri Trinitatem, ut Pater et [s] Filius et Spiritus sanctus alicubi simul esse non possint ». « Verum illud est multum mirabilius, quod cum Deus ubique

---

[a] D *quia.* [b] Ed. add. *et.* [c] D om. [d] B om. *non sunt;* D om. *sunt;* in U V *non* est add. interlin. [e] A D *non.* [f] A B D om. [g] D *nec,* pro *non sunt.* [h] Ed. add. *sunt.* [i] Ed. cum B (interlin.) add. *sanctus.* [k] Ita U (interl.) et D; alii om. *in libro.* [l] Z *sed.* [m] B *te.* [n] Ed. *habitabat.* [o] Ed. *ea.* [p] Ed. et D add. *est.* [q] Z om. *in libro.* [r] Ed. cum V D *etiam.* [s] A C *aut.*

---

[1] Dist. XIV. [2] I. Cor. 13, 9. [3] Libr. II, c. 21, n. 1 (P L 42, 791). [4] *Enarrat. in Psalm.* 122, 1, n. 4 (P L 37, 1632). [5] Epist. 187, c. 4, n. 15, et c. 5, n. 16 (P L 33, 837).

sit totus, non tamen in omnibus habitat. Qui porro audeat opinari, nisi inseparabilitatem Trinitatis penitus ignoret, quod in aliquo possit habitare Pater aut [a] Filius, in quo non habitet Spiritus sanctus, aut in aliquo Spiritus sanctus, in quo non habitet Pater et Filius? Fatendum est igitur, ubique esse Deum per divinitatis praesentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem [b] gratiae [c] non dicimus: *Pater noster, qui es* ubique, cum et hoc verum sit; sed *qui es in caelis* [1] », id est in Sanctis, in quibus est quodam excellentiori modo.

« Illud quoque mirabile est, quia, ut ait Augustinus in in eodem [2], Deus est inhabitator quorundam nondum cognoscentium Deum, et non quorundam cognoscentium Deum. Illi enim ad templum Dei non pertinent, qui *cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificant* [3]. Ad templum Dei pertinent parvuli sanctificati Sacramento Christi et remunerati [d] Spiritu sancto, qui nondum valent cognoscere Deum. Igitur quem potuerunt illi nosse nec habere, isti potuerunt habere, antequam nosse. Beatissimi autem sunt illi, quibus hoc est Deum habere quod nosse ». Hic aliquatenus aperit Augustinus, quomodo Deus habitet in aliquo, id est habeatur, cum videlicet ita est in aliquo, ut ab eo cognoscatur et diligatur.

Ex praedictis patet, quod Deus ubique totus est per essentiam, et in Sanctis habitat per gratiam.

Cumque superius, licet tenuiter, ostensum sit, qua ratione di- 339
catur habitare in quibusdam, efflagitaret ordinis ratio, id etiam assignari, quomodo ubique per essentiam et totus sit, nisi huius considerationis sublimitas atque immensitas humanae mentis sensus omnino excederet.

Ut enim ait Chrysostomus *Super Epistolam ad Hebraeos* [4]: « Sicut multa de Deo intelligimus, quae loqui penitus non valemus; ita multa loquimur, quae intelligere non sumus idonei, verbi gratia, quod ubique Deus est, scimus et dicimus; quomodo autem ubique sit, intellectu non capimus. Item, quod est incorporea quaedam virtus, quae omnium est causa bonorum, scimus; quomodo autem, vel quae ista sit, penitus ignoramus ».

---

[a] Ed. *et*. [b] Ed. *inhabitationem*. [c] V B om. [d] Ed. *regenerati*.

---

[1] Matth. 6, 9, et Luc. 11, 2. [2] Cap. 6, n. 21 (P L 33, 840). [3] Respicitur ad Rom. 1, 21. [4] Homil. 2, n. 1 (P G L 63, 19).

340 Quidam tamen, immensa ingenio suo metiri praesumentes, hoc ita fore intelligendum tradiderunt, quod Deus ubique esse per essentiam dicitur, non quod Dei essentia proprie sit in omni loco et in omni creatura, sed quia omnis natura atque omne quod naturaliter est, in quocumque loco sit, per eum [a] habet esse, et omnis locus, in quo illud est. Ipsi [b] iidem etiam dicunt, ideo Deum ubique dici esse per praesentiam vel per potentiam, quia cuncta loca sunt ei praesentia, et quae in eis sunt, nec in eis aliquid operari cessat. Nam et ipsa loca, et quidquid in eis est, nisi ipse conservet, manere non possunt. In eis ergo per substantiam Deus esse dicitur, ut aiunt, quia per virtutem propriae substantiae suae facit, ut etiam loca sint, et omnia quae in eis sunt.

Sed licet haec vera sint, quae asserunt in explanandis intelligentiis praedictorum, in illis tamen verbis, quibus dicitur Deus ubique esse per essentiam, plus contineri credendum est; quod homo vivens capere non valet.

Cap. IV.

Quod Deus, cum sit in omnibus rebus essentialiter, non tamen coinquinatur sordibus rerum.

341 « Solet etiam ab eisdem quaeri, quomodo [c] substantialiter insit omnibus rebus, et corporalium sordium inquinationibus non contingatur.

« Quod tam frivolum est, ut nec responsione sit dignum, cum etiam spiritus creatus sordibus corporeis [d] etiam leprosi vel quantumcumque polluti inquinari non possit. Sol quoque radios suos sine sui pollutione effundit super loca et corpora non solum munda, sed etiam immunda ac sordibus foetentia, quorum contactu homines ac quaedam aliae res inficiuntur; solis vero radii impolluti et incontaminati, ea contingentes, existunt. Non est igitur mirandum, si essentia divina omnino simplex et incommutabilis omnia replet loca, et omnibus creaturis essentialiter inest, nec tamen cuiusquam rei sordibus contaminetur vel contingatur [1] ».

---

[a] D *Deum.* [b] Ed. om. [c] Ita U V; ed. add. *Deus.* [d] Ed. et A B D *corporis.*

---

[1] Aug. *De agone christiano* c. 18, n. 20 (PL 40, 300). Pro hoc cap. et sqq. cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 3, c. 17 (PL 176, 223); Abael. *Sic et non* c. 44 (PL 178, 1405 et sqq.).

Unde [a] Augustinus in libro *De natura boni* [1]: « Cum in Deo, inquit, sint omnia quae condidit, non tamen inquinant eum illi [b] qui peccant. De cuius etiam sapientia, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter* [2], dicitur: *Attingit* omnia propter suam munditiam, et *nihil inquinatum in eam incurrit* [3] ».

Augustinus *De agone christiano* [c] [4]: « Timent quidam quod fieri non 342
potest, scilicet ne humana carne veritas et substantia Dei [d] inquinetur; et tamen praedicant, istum visibilem solem radios suos per omnes faeces et sordes spargere, et eos mundos et sinceros servare [e]. Si ergo visibilia munda [f] visibilibus immundis contingi possunt et non inquinari, quanto magis invisibilis et incommutabilis [g] Veritas ».

Postremo respondeant, quid potius de Deo respondendum ae- 343
stiment: vel quod nusquam per essentiam sit, vel quod ubique, vel [h] alicubi [i], ita quod non ubique? Sed quis audeat dicere, quod nusquam divina essentia sit, vel quod alicubi [k], et non ubique? Si enim ita est alicubi, quod non ubique, ergo localis est. Est ergo ubique tota, quae continet totum et penetrat totum, quae nec pro sui simplicitate dividi, nec pro sui puritate maculari, nec pro sui immensitate ullo modo comprehendi potest.

Unde Augustinus [5]: « Deus ubique est, cui non locis, sed actionibus propinquamus [l] ».

Cap. V.

Cum Deus sit ubique et semper, non tamen localis, nec loco, nec tempore movetur.

Cumque divina natura veraciter et essentialiter sit in omni 344
loco et in omni tempore, non tamen movetur per loca vel per [m] tempora [6], nec localis est, nec temporalis. Localis non est, quia

---

[a] V add. *ait.* [b] B om. [c] Ed. om. *August. d. a. christiano.* Haec notula, in Z D omissa, in U ponitur in margine inferiori, cum signo indicante ponendam esse post verbum *incurrit.* In aliis est ut nota collateralis. [d] B om. [e] Ed. *servari.* [f] Ed. et B add *a.* [g] B *incomprehensibilis.* [h] A C add. *quod.* [i] A add. *sit.* [k] D om. *ita quod non... alicubi;* ed. add. *sit.* [l] D *appropinquamus.* [m] B om.

---

[1] Cap. 29 (P L 42, 560). [2] Sap. 8, 1. [3] Ibid. 7, 25. [4] Cap. 18, n. 20 (P L 40, 300). [5] *Enarrat. in Psalm.* 34, serm. 2, n. 6 (P L 37, 337) et l. *De doctrina christ.* c. 10, n. 10 (P L 34, 23). [6] August., VIII. *De Genes. ad lit.* c. 20, n. 39, 40 (P L 34, 388).

penitus non circumscribitur loco, quia nec ita est in uno loco, quod non sit in alio, neque dimensionem habet, sicut corpus, cui secundum locum assignatur principium, medium et finis, et ante et retro, dextra et sinistra, sursum et insum [a], quod sui interpositione facit distantiam circumstantium [b].

Cap. VI.

Quibus modis aliquid dicatur locale aut circumscriptibile.

345 Duobus namque his modis dicitur in Scriptura aliquid locale sive circumscriptibile, et e converso, scilicet [c] vel quia dimensionem capiens longitudinis, altitudinis et latitudinis [d] distantiam facit in loco, ut corpus; vel quia loco definitur ac determinatur, quoniam, cum sit alicubi, non ubique invenitur; quod non solum corpori, sed etiam omni creato spiritui congruit.

Omne igitur corpus omni modo locale est; spiritus vero creatus quodam modo localis est, et quodam modo non est localis. Localis quidem [e] dicitur, quia definitione loci terminatur, quoniam cum alicubi praesens sit, totus alibi non invenitur; non autem ita localis est, ut, dimensionem capiens, distantiam [f] in loco faciat.

346 Divina igitur sola essentia omnino in-localis et incircumscriptibilis est, quae nec locis movetur [g] aliquo modo — scilicet [h] vel determinatione finita, vel dimensione suscepta — nec temporibus, scilicet affectu et cognitione [i]. His enim [k] duobus modis, scilicet loco vel tempore, fit mutatio creaturae, quae longe est a Creatore.

Unde Augustinus *Super Genesim* [1]: « Deus, inquit [l], omnipotens, incommutabili aeternitate, voluntate, veritate semper idem, movet per tempus creaturam spiritualem; movet etiam per tempus et locum creaturam corporalem, ut eo motu naturas, quas condidit, administret. Cum ergo tale aliquid agit, non debemus opinari eius substantiam, quae [m] Deus est, temporibus locisque mutabilem, sive per tempora et loca mobilem, cum sit ipse et inte-

---

[a] Ed. et D *deorsum.* [b] D *circumstantiam.* [c] D om. [d] B om. *et latitudinis.* [e] D *vero.* [f] D *circumstantiam.* [g] D add. *aliquando vel.* [h] Z B om. [i] U V *cogitatione,* sed U corr. interl. *vel cognitione.* [k] B *tantum.* [l] V *enim.* [m] Ed. et D *qua.*

---

[1] Libr. VIII, c. 26, n. 48 (PL 34, 391). Pro cap. 6, 7 et 8 cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 3, c. 15 et 16 (PL 176, 221 et seq.).

rior omni re, quia in ipso sunt omnia; et exterior omni re, quia ipse est super omnia; et antiquior omnibus, quia ipse est ante omnia; et novior omnibus, quia ipse idem est [a] post omnia », scilicet post omnium initia [b].

Ecce hic aperte ostenditur, quia nec locis nec temporibus mutatur vel movetur Deus. Spiritualis autem creatura per tempus movetur, corporalis vero etiam per tempus et locum.

Cap. VII.

Quid sit mutari secundum tempus.

Mutari autem per tempus est variari secundum qualitates in- 347
teriores, quae sunt in ipsa re, quae mutatur, ut quando suscipit vicissitudinem gaudii, doloris, scientiae, oblivionis, vel variationem formae sive alicuius qualitatis exterioris. Haec enim mutatio, quae fit secundum tempus, variatio est qualitatum, quae fit in corporali vel spirituali creatura, et ideo vocatur tempus.

De mutatione vero loci magna [c] inter conquirentes disceptatio versatur. Sunt enim qui dicunt, nullum spiritum aliquo modo posse mutari loco, ab omni spiritu locum universaliter removere volentes, quoniam secundum dimensionem tantum et circumscriptionem locum constare asserunt, atque in solum locale vel in loco esse dicunt, quod dimensionem recipit, et distantiam in loco facit. Et hoc dicunt Augustinum sensisse, mutationem temporis tantum spirituali creaturae tribuentem, loci vero et temporis corporeae.

Sed, ut supra [1] diximus, dupliciter dicitur res esse localis vel 348
circumscriptibilis, scilicet vel quia dimensionem recipit et distantiam facit, vel quia loci termino definitur, quorum utrumque convenit corporeae creaturae, alterum vero tantum spirituali. Nam, ut supra [2] diximus, corporalis creatura ita est localis vel circumscriptibilis, quod terminatur [d] definitione loci, et quod [e] dimensionem recipiens distantiam facit; spiritualis vero tantum definitione loci concluditur, cum ita sit alicubi, quod non alibi; sed nec dimensionem recipit, nec distantiam in loco facit, quia si multi spiritus essent hic, non [f] coangustarent [g] locum, quo minus de corporibus

[a] B *ante omnia,* pro ipse *idem est.* [b] Z B *principium.* [c] V *magis.* [d] Ed. *determinatur.* [e] V om. [f] Ed. add. *eo.* [g] Z *angustarent.*

[1] Hic c. 6. [2] Ibid.

contineret. Ideoque Augustinus attribuit mutationem loci corpori, non spiritui, quia licet spiritus transeat de loco ad locum, non tamen ita, ut dimensionibus circumscriptus, interpositione sui faciat distantiam circumstantium, sicut corpus.

Cap. VIII.

Utrum spiritus creati sint locales et circumscriptibiles.

349 Sunt ergo spiritus creati in loco et transeunt de loco ad locum, et quodam modo locales et circumscriptibiles sunt [a], sed non omni eo modo, quo creaturae corporeae. Spiritus autem increatus, qui Deus est, in loco quidem est et in omni loco, sed omnino in-localis et incircumscriptibilis est.

Unde Beda *Super Lucam* [1] ait: « Cum ad nos Angeli veniunt, sic exterius implent ministerium, ut tamen ante Deum interius per contemplationem assistant, quia, etsi Angelus est spiritus circumscriptus, summus tamen spiritus, qui Deus est, incircumscriptus est, intra quem currit Angelus, quocumque mittatur ». Ecce hic dicitur, quia spiritus angelicus circumscriptus est, spiritus autem, qui Deus est, incircumscriptus.

Alibi etiam Ambrosius, distantiam ostendens inter spiritum increatum et spiritum creatum, dicit, Seraph de loco ad locum transire, ita inquiens in libro *De Trinitate* [2]: « Dixit Isaias [3]: Quia *missus* est *ad me unus de Seraphim*. Et Spiritus quidem sanctus missus dicitur, sed Seraph ad unum, Spiritus [b] ad omnes. Seraph mittitur in ministerio, Spiritus operatur mysterium [c]. Seraph de loco ad locum transit — non enim complet omnia — sed ipse repletur a Spiritu ». Hic aperte monstratur, quod Angeli quodam modo locales sunt.

Cap. IX.

Quod Deus est ubique sine locali motu.

350 Fateamur itaque, divinam naturam pro immensitate sui nusquam deesse, eamque solam omnino in-localem et incircumscripti-

[a] B D om. [b] Ed. add. *vero;* Z B add. *sanctus.* [c] U Z *ministerium.*

[1] Cap. 1 (P L 92, 313). Haec verba Beda sumsit ex S. Gregorio, *Homil.* 34. in Evang. (P L 76, 1250). [2] Potius libr. I *De Spiritu sancto,* c. 10, n. 115, et c. 11, n. 116 (P L 16, 731, 732). [3] Cap. 6, 6.

bilem nullo concludi loco, sed *a fine usque ad finem attingere* [1], non tamen spatiosa magnitudine nec locali motu, sed immensitate atque immobilitate suae essentiae.

Unde Augustinus *Ad Dardanum* [2] ait: « Non quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus aut lux ista diffunditur, sed potius sicut in duobus sapientibus, quorum alter altero corpore grandior est, sed sapientior non est, una sapientia est, nec est in maiore maior, nec in minore minor, nec minor in uno quam in duobus; ita Deus, sine labore regens et continens mundum, in caelo totus est, in terra totus, et in utroque totus, et nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus ».

Idem quoque *Super Psalmum* [3] ait: « Ad Verbum Dei pertinet non esse in parte, sed ubique esse per se ipsum. Haec est enim sapientia Dei, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter*, non tamen motu locali, sed immobilitate sui: velut si moles aliqua saxea impleat aliquem locum, dicitur, quod attingit a fine illius loci usque ad finem, cum tamen alterum non deserat, alterum occupando; non ergo habet motum localem Verbum illud, et Sapientia illa solida est et ubique ».

Ex praedictis innotescit, quod Deus ita est ubique per essentiam, quod nec spatiosa magnitudine diffunditur, nec, uno deserto loco, alium occupat, quia localem motum non habet.

Ideoque Augustinus, volens praescidere [a] a Dei puritate 351
omnem localem motum et localem circumscriptionem, potius dicit, omnia esse in illo, quam ipsum esse alicubi, nec tamen ipsum esse locum, qui non est in loco, in libro *83 Quaestionum* [4] ita inquiens: « Deus non alicubi est. Quod alicubi est continetur loco; quod continetur loco corpus est; Deus autem non est corpus; non igitur alicubi est. Et tamen, quia est, et in loco non est, in illo sunt potius omnia, quam ipse alicubi; nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus. Locus enim in spatio est, quod longitudine et latitudine et altitudine corporis occupatur; nec Deus tale aliquid est. Et omnia igitur in ipso sunt, et locus non est, nec in loco est [b]: locus tamen

[a] Ed. *praescindere.* [b] Ed. om. *nec i. l. est.*

[1] Respicitur Sap. 8, 1. [2] Epist. 187, c. 4, n. 11 (PL 33, 836)*. Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 3, c. 16 et 17 (PL 176, 223). [3] *Enarrat. in Psalm. 147*, n. 22 (PL 37, 1931)*. [4] Quest. 20 (PL 40, 15).

Dei, sed improprie, dicitur templum Dei, non quod eo contineatur. Id autem nihil melius quam anima munda intelligitur.

Ecce hic dicit, Deum non esse in loco. Sed intelligendum est, eum non esse in loco localiter, scilicet quia nec circumscriptionem nec localem motum habet.

352 Ad hoc autem solet opponi sic: Quotidie fiunt creaturae, quae ante non erant, et in eis Deus est, cum ante non esset in eis; est ergo ubi ante non erat, ideoque mutabilis videtur.

Sed licet quotidie incipiat esse in creaturis, in quibus ante non erat, quia illae non erant; hoc tamen fit sine sui mutatione, qualiter in mundo coepit esse, quem fecit, tamen sine [a] mutabilitate; similiter et desinit esse, in quibus ante [b] erat, sine sui mutatione, nec tunc [c] ipse deserit locum, sed locus desinit esse.

Iam sufficienter demonstratum videtur, quomodo omnia dicantur esse in Deo, et Deus in omnibus; quam disceptationem [d] quasi incidenter suscepimus, quia id videbatur postulare res, circa quam noster versabatur sermo. Disserebamus enim de scientia sive sapientia Dei, et [e] cum doceremus [f] Deum scire omnia, quaesitum est, utrum propter cognitionem, quam de omnibus habet, dicerentur omnia esse in Deo, an alia ratione hoc diceret Scriptura. Huius ergo quaestionis occasio in praemissam nos deduxit disputationem.

DISTINCTIO XXXVIII.

Cap. I.

An scientia vel praescientia Dei sit causa rerum, vel e converso.

353 Nunc ergo ad propositum revertentes, coepto insistamus. Supra [1] dictum est, quod praescientia Dei futurorum tantum est, sed omnium tam bonorum quam malorum; scientia vero vel sapientia non modo de praeteritis [g], sed etiam de praesentibus et futuris, nec tantum de temporalibus, sed etiam [h] de aeternis, quia se ipsum novit Deus.

---

[a] Ed. cum B (secunda manu) add. *sui.* [b] B add. *non.* [c] Ed. et D *tamen.* [d] Z *disputationem.* [e] V *quasi.* [f] Ed. cum C *diceremus;* B correxit *diceremus* in *doceremus.* [g] Ita A B; alii *futuris.* [h] V B om.

---

[1] Dist. XXXV, c. 1. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 12 (PL 176, 61).

Hic oritur quaestio non dissimulanda, utrum scilicet scientia vel praescientia sit causa rerum, an res sint causa scientiae vel praescientiae Dei.

Videtur enim praescientia Dei causa esse eorum quae ei subsunt, ac necessitatem eveniendi eis facere, quia nec aliqua futura fuissent, nisi ea Deus praescisset, nec possunt non evenire, cum Deus ea praesciverit. Si autem impossibile est, ea non evenire, quia praescita sunt, videtur igitur [a] ipsa praescientia, qua praescita sunt, eis esse causa eveniendi. Impossibile est autem, ea non evenire, cum praescita sint, quia si non evenirent, cum praescita sint, falleretur Dei praescientia; at Dei praescientia falli non potest; impossibile est ergo ea non evenire, cum praescita sint. Sic igitur [b] praescientia [c] causa esse eorum videtur, quae praescita sunt. Hoc idem et de scientia dicitur, scilicet quod, quia Deus aliqua novit, ideo sint.

Cui sententiae Augustinus attestari videtur in XV libro *De* 354
Trinitate [1] sic dicens: « Non ista ex aliquo tempore cognovit Deus, sed futura omnia temporalia atque in eis etiam, quid et quando ab illo petituri fueramus, et quos et de quibus rebus vel exauditurus vel non exauditurus esset, sine initio ante praescivit. Universas autem creaturas, et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit. Non enim nescivit quae fuerat creaturus; quia ergo scivit, creavit, non quia creavit, scivit; nec aliter scivit creata quam creanda. Non enim [d] eius sapientiae aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus, sicut oportebat et quando oportebat, illa mansit ut erat. Unde in Ecclesiastico [2]: *Antequam crearentur, omnia nota sunt illi, sic et postquam consummata sunt.* Ecce [e] his verbis videtur Augustinus innuere, scientiam vel praescientiam Dei causam esse eorum quae fiunt, cum dicit ideo ea esse, quia Deus novit.

Idem quoque in VI libro [3] dicere videtur: « Cum, inquit, decedant et succedant tempora, non decedit aliquid vel succedit scientiae Dei, in qua novit omnia quae fecit per ipsam. Non enim haec [f] quae creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt, sed [g] potius ideo facta sunt, quia immutabiliter [h] ab eo sciuntur ». Et

---

[a] D om. [b] U om. [c] Z add. *Dei.* [d] Z om. [e] D *ex;* B add. *ex.* [f] V om.; in U est add. interl. [g] V B D om. [h] V *incommutabiliter.*

---

[1] Cap. 13, n. 22 (PL 42, 1075). [2] Cap. 23, 29. [3] *De Trin.* c. 10, n. 11 (PL 42, 931) *.

hic etiam significare videtur, Dei scientiam causam esse eorum quae fiunt, dicens, non ideo Deum ea novisse, quia facta sunt, sed ideo facta, quia novit ea Deus. Ideoque videtur scientia Dei vel praescientia causa eorum esse quae novit.

355 Quod si ita est, est [a] igitur causa omnium malorum, cum omnia mala sciantur et praesciantur a Deo; quod longe est a veritate. « Si enim Dei scientia vel praescientia causa esset malorum, esset utique Deus auctor malorum, quod penitus falsum est [1] ». Non igitur scientia vel praescientia Dei causa est omnium quae ei subsunt.

« Neque etiam res futurae causa sunt Dei praescientiae: licet enim non essent futurae, nisi praescirentur a Deo, non tamen ideo praesciuntur, quia futurae sunt. Si enim hoc esset, tunc eius quod aeternum est, aliquid existeret causa ab eo alienum, ab eo diversum, et ex creaturis penderet praescientia Creatoris, et creatum causa esset increati [2] ».

Origenes tamen *Super Epistolam ad Romanos* [3] ait: « Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, ideo scitur a Deo, antequam fiat ».

356 Hoc videtur praemissis verbis Augustini obviare. Hic enim significari [b] videtur, quod res futurae causae [c] sint praescientiae; ibi vero, quod praescientia causa sit rerum futurarum.

Hanc igitur quae videtur repugnantiam de medio tollere cupientes, dicimus, res futuras nullatenus causam esse praescientiae vel scientiae Dei, nec ideo praesciri vel sciri, quia futurae vel factae sunt; ita exponentes quod ait Origenes, « quia futurum est, ideo scitur a Deo, antequam fiat, id est [d] quod [e] futurum est, a Deo scitur, antequam fiat, neque sciretur, nisi futurum esset, ut non notetur ibi causa, nisi sine qua non fieret [4] ». Ita etiam dicimus, scientiam vel praescientiam Dei non esse causam eorum quae fiunt, nisi talem, sine qua non fiunt, si tamen scientiam ad notitiam tantum referamus. Si vero nomine scientiae includitur etiam beneplacitum atque dispositio, tunc [f] recte potest dici causa eorum quae Deus facit. His enim duobus modis, ut superius [5] prae-

---

[a] V om. [b] V D *significatione*. [c] Ita U V; ed. *causa*. [d] V om. *id est*. [e] V *neque*. [f] V om.

---

[1] Hugo, *Sum. Sent.*, tract. 4, c. 12 (PL 176, 61) *. [2] Ibidem *.
[3] Libr. VII, n. 8. (ad Rom. 8, 30) (PGL 14, 1126). [4] Hugo, ibidem *.
[5] Dist XXXVI, c. 2.

taxatum est, accipitur cognitio vel scientia Dei, scilicet pro notitia sola, vel pro notitia simul et beneplacito.

Hoc modo forte accepit Augustinus dicens: Ideo sunt, quia novit, id est, quia scienti placuit, et quia sciens disposuit. Et hic sensus ex eo adiuvatur, quia de bonis ibi tantum agit Augustinus, scilicet de creaturis [a], de his quae Deus facit, quae omnia novit non solum scientia, sed beneplacito etiam ac dispositione. Sic ergo ibi accipitur Dei cognitio, ut non modo notitiam, sed etiam beneplacitum Dei significet.

Mala vero scit Deus et praescit, antequam fiant, sed sola no- 357
titia, non beneplacito. Praescit enim Deus et praedicit etiam quae non est ipse facturus, sicut praescivit et praedixit infidelitatem Iudaeorum, sed non fecit. Nec ideo, quia praescivit, ad peccatum infidelitatis eos coegit, nec praescisset vel praedixisset [b] eorum mala, nisi essent ea habituri.

Unde Augustinus *Super Ioannem* [1]: « Deus, inquit, futurorum praescius per Prophetam praedixit infidelitatem Iudaeorum, sed non fecit, neque praescisset mala eorum, nisi ea haberent. Non enim ideo quemquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata praenovit; illorum enim peccata praescivit, non sua. Ideoque si ea quae ille praescivit ipsorum, non sunt ipsorum [c] non vere [d] ille praescivit. Sed quia illius praescientia falli non potest, sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos [e] esse praescivit. Et ideo, si non malum sed bonum facere voluissent, non malum facturi praeviderentur ab eo, qui novit quid sit quisque facturus ».

His verbis aperte ostenditur, si diligenter intendamus [f] praescientiam Dei non esse causam malorum, quae praescit, quia non ea praescit tanquam facturus nec tanquam sua, sed illorum qui sunt ea facturi vel habituri. Praescivit ergo illa sola notitia, non beneplacito auctoritatis. Unde datur intelligi, quod Deus e converso praescit bona tanquam sua, tanquam ea quae facturus est [g], ut in illa praesciendo simul fuerit [h] ipsius notitia et auctoritatis beneplacitum.

---

[a] Ed. add. *et.* [b] B D *scisset.* [c] A B C om. [d] A B C *vera.* [e] V *peccatores,* quod U habuit, sed correxit in *peccaturos.* [f] Ed. *attendamus;* A *inspiciamus.* [g] D om. [h] V *fiant;* B *sint.*

---

[1] Tract. 53, n. 4 (PL 35, 1776) *.

Cap. II.

Utrum praescientia Dei possit falli.

358 Ad hoc autem, quod supra dictum est, scilicet praescientiam Dei falli non posse, solet a quibusdam sic opponi: Deus praescivit hunc lecturum, vel aliquid huiusmodi; sed potest esse, ut iste non legat; ergo potest falli Dei praescientia.

Quod omnino falsum est. Potest equidem non fieri aliquid, et illud tamen praescitum est fieri; non ideo tamen potest falli Dei praescientia, quia si illud non fieret, nec a Deo praescitum esset fieri [1].

359 Sed adhuc urgent quaestionem dicentes: Aut aliter potest fieri, quam Deus praescivit, aut non aliter; si non aliter, ergo necessario cuncta eveniunt; si vero aliter, potest igitur Dei praescientia falli vel mutari. Sed potest aliter fieri, quia potest [a] aliter fieri, quam fiat; ita fit autem, ut praescitum est; aliter ergo potest fieri, quam praescitum est.

Ad quod dicimus, illam locutionem multiplicem facere intelligentiam, scilicet: aliter potest fieri, quam Deus praescivit, et huiusmodi, ut: potest non esse quod Deus [b] praescivit; et: impossibile est, non esse quod Deus praescivit; et: impossibile est, non esse praescita omnia quae fiunt, et huiusmodi. Possunt enim haec coniunctim intelligi, ut conditio sit implicita, et disiunctim. Si enim ita intelligas: Non potest aliter fieri, quam Deus praescivit, id est, non potest utrumque simul esse, scilicet quod Deus praesciverit ita fieri, et aliter fiat; verum intelligis. Si autem per disiunctionem intelligas, ut dicas, hoc aliter non posse evenire, quam evenit [c], quo modo futurum Deus praescivit; falsum est. Hoc enim aliter potest evenire, quam evenit, et tamen Deus hoc modo futurum praescivit. Similiter et alia determina [d], scilicet [e] impossibile est id non evenire, quod Deus praescivit, vel cum Deus praescierit; si coniunctim intelligas, verum dicis; si disiunctim, falsum. Ita etiam et illud: impossibile est, non esse praescitum omne quod

---

[a] V add. *aliquid.* [b] V om. [c] Ed. add. *et.* [d] Ed. *determinatio.* [e] V om.

---

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 12 (PL 176, 63); Abael. III. *Introd.* c. 7 (PL 178, 1109 et sqq.).

fit, id est, non potest esse utrumque simul, scilicet, ut fiat, et non sit praescitum, hic sensus verus est. Si vero dicis, Deum non potuisse non praescire omne quod fit, falsum est. Potuit enim facere, ut non fieret, et ita non esset praescitum.

DISTINCTIO XXXIX.

Cap. I.

Utrum scientia Dei possit augeri vel minui, vel aliquo modo mutari.

Praeterea solet quaeri, utrum scientia Dei possit augeri vel 360
minui, utrumque enim videtur posse probari [1].

Quod [a] divina scientia possit augeri vel mutari [b], hoc modo probatur: quia potest Deus scire quod nunquam scit. Est enim aliquis, qui non est lecturus hodie, et tamen potest esse, ut legat hodie; potest enim hodie legere. Nihil autem potest fieri, quod non possit a Deo sciri. Potest ergo Deus scire, hunc lecturum hodie; potest igitur aliquid scire, quod non scit; ergo potest eius scientia augeri vel mutari [c]. Eademque [d] videtur posse minui. Est enim aliquis hodie lecturus, quem Deus scit lecturum. At potest esse, ut non legat; ergo potest Deus non scire hunc lecturum [e]; potest igitur non scire aliquid, quod scit; ergo potest eius minui scientia [f], vel mutari.

Ad quod dicimus, quia Dei scientia omnino immutabilis est, 361
nec augeri potest vel minui.

Nam, ut ait Augustinus in XV libro *De Trinitate* [2]: « Scientia Dei est ipsa sapientia, et sapientia [g] est ipsa essentia sive substantia Dei; quia in illius naturae simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse, sed quod sapere est, hoc est etiam esse ».

« Ideoque novit omnia Verbum, quae novit Pater; sed [h] ei nosse de Patre est, sicut esse; nosse enim et esse ibi unum est. Et ideo Patri, sicut esse non est a Filio, ita nec nosse. Proinde, tanquam

---

[a] Ed. add. *enim.* [b] D *minui.* [c] Z *minui.* [d] B *eadem quippe.* [e] V om. [f] Z om. *eius* et *scientia.* [g] B add. *Dei.* [h] V *et.*

---

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 12 (PL 176, 62 et seq.). [2] Cap. 13, n. 22 (PL 42, 1076); cfr. Abael. III. *Introd.* c. 5 (PL 178, 1103 et seq.).

se ipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi aequale [a] per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo, quam in se ipso. Hoc est ergo omnino Verbum, quod Pater; non tamen Pater est, quia iste Filius, ille Pater. Sciunt ergo invicem Pater et Filius, sed ille gignendo, iste nascendo. Et omnia quae sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt, non particulatim aut singillatim, velut alternante conspectu hinc illuc [b], et inde huc et rursus inde, vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia; sed omnia simul videt, quorum nullum est, quod non semper videat [1] » et sciat.

« Eius itaque scientia inamissibilis et invariabilis est. Nostra vero scientia et amissibilis est et receptibilis, quia non hoc est nobis esse, quod scire. Propter hoc, sicut nostra scientia illi scientiae Dei [c], sic et nostrum verbum, quod nascitur de scientia nostra, dissimile est illi Verbo, quod natum est de Patre scientia [2] ».

Ex hac auctoritate clare ostenditur, scientiam Dei omnino invariabilem esse, sicut ipsa [d] essentia Dei omnino invariabilis est; et quod Pater et Filius cum Spiritu sancto simul omnia sciunt et vident. Sicut ergo non potest augeri vel minui divina essentia, ita nec divina scientia. Et tamen conceditur posse scire quod non scit, et posse non scire quod scit; quia posset aliquid esse subiectum eius scientiae, quod non est, et posset non esse subiectum aliquid, quod est, sine permutatione ipsius scientiae.

Cap. II.

An Deus possit noviter vel ex tempore scire vel praescire aliquid.

362 Hic opponitur a quibusdam ita: Si Deus potest aliquid [e] scire vel praescire quod nunquam scivit nec [f] praescivit; potest ergo ex tempore aliquid scire vel praescire.

Ad quod dicimus: Potest quidem Deus scire vel praescire omne quod potest facere, et potest facere quod nunquam fiet; potest igitur scire vel praescire, quod nunquam fiet, nec est, nec fuit. Nec

---

[a] Ed. *coaequale.* [b] Ed. *illinc.* [c] Ed. add. *dissimilis est;* B in marg. add. *similis est.* [d] V om. [e] Ed. om. [f] Ed. et B D *vel.*

---

[1] Ibid. c. 14, n. 23*. [2] Ibid. c. 13, n. 22; cfr. Abael. loc. cit.

illud scit vel scivit, neque praescit vel praescivit, quia scientia eius non est, nisi [a] de his quae sunt vel fuerunt vel erunt; et praescientia non est nisi de futuris. Et licet possit scire vel praescire quod nunquam est, nec erit; non tamen potest aliquid scire vel praescire ex tempore. Potest utique scire vel praescire quod nunquam est, nec erit; nec illud scitum vel praescitum est ab aeterno; non tamen potest incipere scire vel praescire illud, sed ita potest modo scire vel praescire, sicut potest scisse vel praescisse ab aeterno. Si enim dicas, eum modo posse scire vel praescire quod ab aeterno non scivit vel praescivit, id est, ita quod ab aeterno non sciverit vel praesciverit, quasi utrumque simul esse possit; falsum est. Si vero dicis, eum posse modo scire vel praescire quod ab aeterno non scivit vel praescivit, id est, habere potentiam sciendi et [b] praesciendi ab aeterno et modo aliquid, nec illud tamen praescitum est vel futurum; verum est. Non potest ergo noviter vel ex tempore scire vel praescire aliquid, sicut non potest noviter vel ex tempore velle aliquid [c]; et tamen potest velle quod nunquam voluit.

Cap. III.

Utrum Deus possit scire plura, quam scit.

Item a quibusdam dicitur Deus posse plura scire, quam sciat, 363
quia potest scire omnia quae scit, et potest aliqua facere, quae nunquam erunt, et illa potest scire: non enim aliqua [d] incognita facere potest. Si vero omnia essent, quae modo sunt, et alia quaedam faceret, quae non sunt, nec erunt, et illa omnia sciret, pro certo plura sciret, quam modo sciat. Nec tamen eius scientia augeri potest [e], quia hoc totum fieri posset sine mutabilitate scientiae.

Constat ergo, Dei scientiam omnino esse immutabilem, nec augeri posse vel minui, sed ei subiecta.

Cap. IV.

Quod Deus et semper et simul scit omnia.

Ei vero quod praedictum est, scilicet quod Deus omnia semper 364
videt et simul, videtur obviare, quod ait Hieronymus in *Expo-*

[a] V om. [b] Ita U; ed. et B D *vel.* [c] V om. *scire vel praescire... aliquid.* [d] Z om. [e] D add. *vel minui.*

sitione Habacuc [1]: « Absurdum est, inquit, ad hoc deducere Dei maiestatem, ut sciat per momenta singula, quot culices nascantur, quotve moriantur, quota pulicum et muscarum sit multitudo, quotve pisces natent in aquis, et similia. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum providentiam eius etiam ad ima retrudimus, in nos ipsos iniuriosi simus, eandem irrationabilium et rationabilium providentiam esse dicentes ». Hic videtur dicere Hieronymus, quod Deus illorum minimorum scientiam sive providentiam non habeat. Quodsi [a] est, tunc non omnia simul scit et semper.

365 Ex tali itaque sensu illud dictum esse [b] noverimus, ut Deum illa alternatim vel particulatim scire neget, nec per diversa temporum momenta sic illa cognovit, sicut per varia momenta illorum quaedam deficiunt, quaedam incipiunt. Neque illis aliisque irrationabilibus ita providet, quemadmodum rationabilibus. *Nunquid enim,* ut ait Apostolus [2], *cura est Deo de bobus?* Et sicut non est cura Deo de bobus, ita nec de aliis irrationabilibus. Dicit tamen Scriptura [3], quia ipsi *cura est de omnibus.* Providentiam ergo et curam universaliter de cunctis quae condidit, habet, ut habeat unumquodque quod sibi debetur et convenit. Sed specialem providentiam atque curam habet de rationabilibus, de quibus praecepta tradidit, eisque recte vivendi legem praescripsit, ac praemia promisit. Hanc providentiam et curam de irrationabilibus non habet. Ideoque Apostolus dicit, quia *non est cura Deo de bobus.* Providet tamen omnibus et curat, id est gubernat omnia, *qui* omnibus *solem suum oriri facit et pluviam dat* [4]. Scit itaque Deus, quanta sit multitudo pulicum, culicum et muscarum ac piscium, et quot nascantur, quotve moriantur; sed non scit hoc per momenta singula, immo simul et semper omnia, neque ita scit, ut eandem habeat providentiam irrationabilium et rationabilium, id est, ut eodem penitus modo provideat irrationabilibus et rationabilibus. Rationabilibus enim et praecepta dedit; et « Angelos ad custodiam [c] delegavit [5] ».

Simul itaque et immutabiliter scit Deus omnia quae fuerunt et sunt et erunt, tam bona quam mala; praescit quoque omnia futura, tam bona quam mala [6].

---

[a] Ed. add. *hoc.* [b] V om. [c] A add. *eorum.*

---

[1] Ad c. 1, 14 (PL 25, 1286). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 12 (PL 176, 62). [2] 1. Cor. 9, 9. [3] Sap. 12, 13. [4] Respic. Matth. 5, 45. [5] Hugo, loc. cit. [6] Cfr. Abael. loc. cit.

DISTINCTIO XL.

Praedestinatio [a] vero de bonis salutaribus est et de hominibus 366
salvandis.

Ut enim ait Augustinus in libro *De praedestinatione sanctorum* [1], « praedestinatio est gratiae praeparatio, quae sine praescientia esse non potest. Potest autem sine praedestinatione esse praescientia. Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus; sed praescivit Deus etiam quae non est [b] ipse facturus, id est omnia mala ».

Praedestinavit eos quos elegit, reliquos vero reprobavit, id est, ad mortem aeternam praescivit peccaturos.

Cap. I.

An aliquis praedestinatus possit damnari, vel reprobus salvari.

Praedestinatorum nullus videtur posse damnari, nec repro- 367
borum aliquis posse [c] salvari.

Unde Augustinus in libro *De correptione et gratia* [2]: « In Apocalypsi [3], inquit, dicitur [d]: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Si alius non est accepturus, nisi iste [e] perdiderit, certus est electorum numerus », id est, non potest augeri vel minui.

Ad hoc autem obiiciunt quidam, nitentes probare, numerum 368
electorum posse minui et augeri, sic: Posset Deus non apponere gratiam quibus apponit, et posset subtrahere quibus non subtrahit; quod si fieret, utique [f] damnarentur; possent ergo damnari isti,

---

[a] C D incipiunt dist. XL cum sequente capitulo: *Praedestinatorum nullus videtur*. Et revera, secundum distributionem capitulorum, hae quinque propositiones pertinent ad ultimum capitulum distinctionis praecedentis. S. Bonaventura autem, S. Thomas et alii, ut patet ex divisione textus, hic incipiunt distinctionem XL. Ordinem receptum turbandum non esse censemus. [b] Ed. *esset.* [c] Z om. [d] D *legitur.* [e] D *ipse.* [f] D om.

[1] Cap. 10, n. 19 (PL 44, 974), sed ultima verba ex Glossa ad Rom. 8, 29.
[2] Cap. 13, n. 39 (PL 44, 940). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 12 (PL 176, 62).
[3] Cap. 3, 11.

qui tamen salvabuntur; posset itaque minui electorum numerus. Ita posset etiam augeri, quia posset apponi gratia quibus non apponitur, per quam salvarentur; possent ergo salvari, habita gratia, qui tamen sine ea damnabuntur; posset itaque augeri numerus electorum.

Quibus respondemus, ex ea ratione dictum esse et verum esse, numerum electorum non posse augeri vel minui, quia non potest utrumque simul esse, scilicet, ut aliquis salvetur et non sit praedestinatus, vel ut aliquis praedestinatus sit et damnetur. Intelligentia enim conditionis implicitae veritatem facit in dicto, et impossibilitatem [a] in vero. Si vero simpliciter intelligatur, impossibilitas non admittitur, ut cum dicitur: Praedestinatus potest vel non potest damnari, et reprobus potest salvari. In his enim et huiusmodi locutionibus ex ratione dicti diiudicanda est sententia dictionis. Alia namque fit intelligentia, si per coniunctionem haec accipiantur dicta, atque alia, si per disiunctionem, ut supra [1], cum de praescientia agebatur, praetaxatum est. Si enim, cum dicis: Praedestinatus non potest damnari, intelligas ita: id est, non potest esse, ut praedestinatus sit et damnetur, verum dicis, quia coniunctim intelligis; falsum autem, si disiunctim, ut si intelligas, istum non posse damnari, quem dico praedestinatum. Potuit enim non esse praedestinatus, et ita damnaretur.

369 Verumtamen adhuc instant et secundum coniunctionem argumentando ita procedunt. Non [b], inquiunt, potest esse, ut aliquis praedestinatus sit et damnetur. Utrumque istorum simul esse non potest; sed alterum horum non potest non esse, scilicet, quin iste sit praedestinatus; ab aeterno enim praedestinatus est, et non potest modo non esse praedestinatus. Cum ergo impossibile sit, simul utrumque esse, et impossibile sit, alterum non esse, videtur, non posse alterum esse, scilicet ut damnetur. Quod si [c] est, ergo non potest esse, ut non salvetur.

In huius quaestionis solutione mallem alios audire quam docere; dicimus tamen, similem de praescientia posse moveri quaestionem; ideoque, tam hic quam ibi, unam facimus responsionem dicentes, determinandum fore illud, cui innititur tota haec quaestio, scilicet impossibile est, alterum non esse, scilicet, quin iste modo

[a] D add. *facit.* [b] Ed. add. *enim.* [c] Ed. add. *ita.*

[1] Dist. XXXVIII, c. 2.

sit praedestinatus; ab aeterno enim iste praedestinatus est. Distinguendum enim est, cum ait: iste non potest modo non esse praedestinatus, vel non potest modo esse, quin sit praedestinatus. Hoc enim et coniunctim et disiunctim intelligi potest. Non enim potest esse, ut ab aeterno sit praedestinatus et modo non sit praedestinatus, nec potest esse simul, ut sit praedestinatus et non sit praedestinatus; sed tamen potuit esse ab aeterno, quod non esset praedestinatus, et potuit non esse ab aeterno praedestinatus. Et sicut ab aeterno Deus potuit eum non praedestinare, ita conceditur a quibusdam, quod et modo potest Deus eum non praedestinasse. Ab aeterno ergo potest Deus non praedestinasse eum; ergo potest iste non fuisse praedestinatus. Si vero non fuisset praedestinatus, nec modo [a] esset praedestinatus; ergo potest modo non esse praedestinatus. Ita et de praescientia et [b] praescitis dicunt; quod in actionibus vel [c] operationibus [d] Dei et hominum nullatenus concedunt [e]. Ex quo enim aliquid factum est vel dictum, non concedunt [f], quod possit non esse vel non fuisse, immo impossibile est, non esse vel non fuisse quod factum est vel dictum, referentes possibilitatem vel impossibilitatem ad naturam rei existentis. Cum vero de praescientia vel praedestinatione Dei agitur, possibilitas vel impossibilitas ad potentiam Dei refertur, quae semper eadem fuit et est [g], quia praedestinatio, praescientia, potentia unum in Deo est [h].

Cap. II.

Quid sit reprobatio Dei, et in quibus consideretur, et quid sit praedestinationis effectus.

Cumque praedestinatio sit gratiae praeparatio, id est divina 370
electio, *qua elegit quos voluit ante mundi constitutionem*, ut ait Apostolus [1]; reprobatio e converso intelligenda est praescientia iniquitatis quorundam et praeparatio damnationis eorundem. Sicut enim praedestinationis effectus illa gratia est, qua in praesenti iustificamur atque ad recte vivendum et in bono perseverandum adiuvamur, et illa qua in futuro beatificamur; ita reprobatio Dei, qua

[a] V om.; U habet in margine *modo*. [b] Ed. et D add. *de*. [c] Ed. et D add. *in*. [d] D *comparationibus*. [e] C add. *esse;* D *conceditur*. [f] D *conceditur*. [g] D add. *et erit*. [h] C *sunt*.

[1] Ephes. 1, 4.

ab aeterno non eligendo quosdam reprobavit, secundum duo consideratur, quorum alterum praescit et non praeparat, id est iniquitatem, alterum praescit et praeparat, scilicet aeternam poenam [a].

Unde Augustinus *Ad Prosperum et Hilarium* [1]: « Haec, inquit, regula inconcusse tenenda est, peccatores in peccatis praescitos esse, non praeparatos, poenam autem praeparatam esse ».

« Praeparavit enim Deus, ut Augustinus ait in libro *De bono* [b] *perseverantiae* [2], in [c] praescientia sua, quibus voluit bona sua; et quibuscumque donat, proculdubio se donaturum esse praescivit ».

« Praeparavit etiam Deus, ut ait Fulgentius [3], malis ignem aeternum, illis utique, quos iuste praeparavit ad luenda supplicia; nec tamen praeparavit [d] ad facienda peccata. Praeparavit enim Deus, quod divina aequitas redderet, non quod humana iniquitas admitteret [e]. Non enim, sicut praeparavit Sanctos ad iustitiam percipiendam, sic praeparavit iniquos ad iustitiam [f] amittendam [g], quia pravitatis praeparator nunquam fuit ».

371 Sicut ergo praedestinatio Dei proprie est praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur [4]; ita reprobatio Dei est praescientia malitiae in quibusdam non finiendae, et praeparatio poenae non terminandae. Et sicut praedestinationis effectus est gratiae appositio, ita reprobationis aeternae quodam modo effectus esse videtur obduratio.

« Nec obdurat Deus, ut ait Augustinus *Ad Sixtum* [5], impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam, sicut nec digni sunt. Quibus enim non impertitur nec digni sunt, nec merentur; potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur ».

Unde Apostolus [6] ait [h]: *Cuius vult miseretur Deus, et quem vult indurat;* misericordiam appellans praedestinationem et praecipue praedestinationis effectum, id est gratiae appositionem, obdurationem vero gratiae privationem.

---

[a] D om. [b] U *beneficio,* sed corr. interl. *vel de bono.* [c] V *et.* [d] B add. *eos.* [e] V *committeret.* [f] B D *iniustitiam.* [g] A B D *admittendam.* [h] D om.

---

[1] Non in citatis libris, sed in libr. VI *Hypognosticon* c. 6 (PL 45, 1061). [2] Vel *De dono perseverantiae,* c. 17, n. 41 (PL 45, 1018). [3] Libr. I *Ad Monimum,* c. 25 (PL 65, 172)* ad verbum in Glossa loc. cit. [4] August. *De dono persever.* c. 14, n. 35 (PL 45, 1014). [5] Epist. 194, c. 3, n. 14 (PL 33, 879). [6] Rom. 9, 18.

« Non enim, ut ait Augustinus *Ad Simplicianum* [1], intelligendum est, quod Deus ita induret, quasi quemquam peccare cogat; sed tantum [a] quibusdam peccatoribus misericordiam iustificationis suae non largitur, et ob hoc eos obdurare [b] dicitur, quia non eorum miseretur, non quia impellit [c] ut peccent. Eorum autem non miseretur, quibus gratiam non esse praebendam acquitate occultissima et ab humanis sensibus remotissima iudicat »; « quam non aperit, sed miratur Apostolus dicens [2]: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei* [3] »!

DISTINCTIO XLI.

Cap. I.

Utrum aliquid sit meritum obdurationis vel misericordiae.

Si autem quaerimus meritum obdurationis et misericordiae, 372
obdurationis meritum invenimus, misericordiae vero meritum non invenimus, quia nullum est misericordiae meritum, ne gratia vacuetur [d], si non gratis donatur, sed meritis redditur. Miseretur itaque [e] secundum gratiam, quae [f] gratis datur; obdurat autem secundum iudicium, quod meritis redditur.

« Unde datur intelligi, ut sicut reprobatio Dei est nolle misereri, ita obduratio Dei [g] sit non misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur [4] ».

Ex his aperte ostenditur, quid misericordiam, quid obdurationem intellexerit Apostolus [5], et quia misericordiam [h] nullum advocat meritum, obduratio vero non est [i] sine merito [k]. Et misericordiae verbo hic accipitur praedestinatio, et praecipue praedestinationis

---

[a] Ed. *tamen.* [b] Ed. *indurare.* [c] V *compellit.* [d] Ed. *evacuetur.* [e] C add. *Deus.* [f] D *qua.* [g] Z om. [h] Ed. *misericordia.* [i] U (interlin.), B (in marg.) et D add. *semper.* [k] Ed. add. *sed habet nolle misereri.*

---

[1] Libr. I, quaest. 2, n. 16 (PL 40, 121)*. [2] Rom. 11, 33. [3] Epist. modo citata *Ad Sixtum*, c. 2, n. 5 (PL 33, 876). [4] August., l. *Ad Simplician.* q. 2, n. 15 (PL 40, 120). [5] Rom. 9, 18.

effectus, obdurationis vero non ipsa Dei aeterna reprobatio, quia eius nullum est meritum, sed gratiae privatio sive subtractio [a], quae quodam modo est reprobationis effectus. Accipitur tamen aliquando reprobatio pro obduratione, sicut et praedestinatio pro suo effectu, qui est gratia apposita [b]: gratia enim, quae apponitur, effectus est praedestinationis.

Cum igitur gratiae, quae apponitur homini ad iustificationem [c], nulla sint merita, multo minus et ipsius [d] praedestinationis, qua ab aeterno elegit Deus quos voluit, aliqua possunt existere merita; ita nec reprobationis, qua ab aeterno quosdam praescivit futuros malos et damnandos: sicut elegit Iacob, et Esau [1] reprobavit, quod non fuit pro meritis eorum, quae tunc haberent, quia nulla habebant, quoniam nec ipsi existebant; nec propter futura merita, quae praevideret, vel illum elegit, vel illum reprobavit.

Cap. II.

De variis super hoc carnalium opinionibus.

373 Opinati sunt quidam tamen, Deum ideo elegisse Iacob, quia talem futurum [e] praescivit, qui in eum crederet et ei serviret.

Quod aliquando se Augustinus sensisse dicit in libro *Retractationum* [2], ubi aperte ostendit, quod si propter futura merita electus esset [f], iam non ex gratia esset electio. Non ergo ideo electus est a Deo, quia talis futurus erat, sed ex electione talis est factus, ita dicens: « Disputans, quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit, serviturum esse [g] maiorem, et quid in eodem maiore similiter nondum nato reprobaverit, ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem: Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in praescientia, quae ipse daturus est, sed fidem elegit in praescientia, et quem sibi crediturum esse praescivit, ipsum elegit [h], cui

---

[a] V *detractio.* [b] A *gratiae appositio.* [c] U *iustitiam,* sed corr. interl. *vel iustificationem.* [d] Z om. [e] VD add. *esse.* [f] V add. *nam.* [g] VD om. [h] D add. *in praescientia.*

---

[1] Respic. Malach. 1, 2 et 3. Cfr. Rom. 9, 13. [2] Libr. I, c. 23, n. 2, 3 (PL 32, 621). Retractatio refertur ad ea quae ipse dixerat in *Exposit. Epist. ad Romanos,* c. 60 (PL 35, 2078). Cfr. I. *Ad Simplician.* q. 2, n. 8 (PL 40, 115), et *De praedest. Sanctor.* c. 3, n. 7 (PL 44, 964).

Spiritum sanctum daret, ut bona operando etiam aeternam vitam consequeretur ».

Ecce hic aperte dicit, non propter opera eum elegisse, sed propter fidem, qua eum praescivit [a] creditурum.

Sed quia et in fide meritum est, sicuti et in operibus, hoc 374
retractavit dicens [1]: « Nondum diligentius quaesiveram nec adhuc inveneram, qualis sit electio gratiae, de qua dicit Apostolus [2]: *Reliquiae* [b] *per electionem gratiae salvae fient* [c]; quae utique non est gratia, si [d] ex meritis procedit, ut iam quod datur non secundum gratiam, sed secundum debitum reddatur potius meritis, quam donetur. Proinde quod continuo dixi [e]: Dicit enim idem [f] Apostolus [3]: *Idem* [g] *Deus qui* [h] *operatur omnia in omnibus.* Nusquam autem [i] dictum est: Deus credit [k] omnia in omnibus. Ac deinde subiunxi: Quod ergo credimus, nostrum est; quod vero bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum. Profecto non dicerem, si iam scirem, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quae dantur in eodem spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, et utrumque datum est per [l] spiritum fidei et caritatis. Et quod paulo post dixi: Nostrum est enim credere et velle, illius autem dare credentibus et volentibus facultatem bene operandi per *Spiritum sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus nostris* [4], verum est quidem, sed eadem regula [m] et utrumque ipsius est, quia ipse praeparat voluntatem, et utrumque nostrum, quia [n] non fit, nisi volentibus nobis [o] »; ergo et meritum fidei de misericordia Dei [p] venit. Non ergo propter fidem vel aliqua merita elegit Deus aliquos ab aeterno, vel apposuit gratiam iustificationis in tempore, sed gratuita bonitate sua elegit, ut boni essent.

Unde Augustinus in libro *De praedestinatione Sanctorum* [5]: « Non quia futuros nos tales esse praescivit, ideo elegit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiae suae, qua *gratificavit nos in dilecto Filio suo* [6] ».

---

[a] D add. *esse.* [b] C add. *Israel.* [c] D *erunt.* [d] D *sed.* [e] D *subiunxi.* [f] D om. [g] D *ideo.* [h] D om. [i] V *tamen.* [k] V B *condidit.* [l] D *propter.* [m] C *secundum eandem regulam.* [n] Z add. *nostrum.* [o] V *eum.* [p] Z om.

---

[1] Loc. cit. [2] Rom. 11, 5. [3] I. Cor. 12, 6. [4] Rom. 5, 5. [5] Cap. 19, n. 38 (PL 44, 988). [6] Ephes. 1, 6.

375 His tamen videtur adversari, quod dicit Augustinus[1] *Super Malachiam* prophetam, ubi scriptum est[2]: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui:* « *Cui vult,* inquit, *miseretur, et quem vult indurat*[3]. Sed haec voluntas Dei iniusta esse non potest. Venit enim [a] de occultissimis meritis, quia et ipsi peccatores cum propter generale [b] peccatum unam massam fecerunt, non tamen nulla inter eos est diversitas. Praecedit ergo aliquid in peccatoribus, quo. quamvis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione. Et item praecedit in aliis peccatoribus, quo digni sunt obtusione ».

Ecce hic videtur Augustinus dicere, quod et ipsa Dei voluntas, qua alios elegit, alios reprobat, ex meritis veniat [c], sed occultissimis, id est, quod pro [d] meritis alios voluerit eligere, alios reprobare, et [e] quod pro meritis aliis apponitur gratia [f] iustificationis, aliis non, unde obtunduntur.

« Sed quid intelligere voluerit, ignoratur, nisi forte dicatur hoc intellexisse, quod supra diximus eum retractasse [g]. Nam ibidem etiam quaedam alia continue subdit, quae in libro *Retractationum*[4] aperte retractat; quod utrumque legenti patebit. Unde verisimile est, in praemissis etiam hoc retractasse ».

376 Quidam tamen ex eo sensu accipiunt fore dictum, non quia aliquis praedestinetur pro meritis vel iustificationis gratiam mereatur, sed quia aliqui non adeo mali sunt, ut mereantur sibi gratiam non impertiri. Nullus enim gratiam Dei mereri potest, per quam iustificatur; potest tamen mereri, ut non apponatur, ut penitus abiiciatur. Et [h] quidem aliqui in tantum profundum iniquitatis devenerunt, ut hoc mereantur, ut hoc digni sint; alii vero ita vivunt [i], ut, etsi non mereantur gratiam iustificationis, non tamen merentur omnino repelli et gratiam sibi subtrahi. Ideoque dixit, in quibusdam [k] praecedere quo digni sint iustificatione, et in aliis quo digni sint obtusione. Sed hoc frivolum est [l].

---

[a] U *autem.* [b] AC *originale.* [c] Ed. *proveniat.* [d] U om. [e] Z om. *quod p. m. a. v. e. a. r. et.* [f] B *apponit gratiam.* [g] V *tractasse.* [h] V *ut.* [i] V *se habent.* [k] Ita UD; ed. add. *peccatoribus.* [l] V om. *sed h. f. est.*

---

[1] Libr. *83 Quaest.* q. 68, n. 4 (PL 40, 72). Verbotenus ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 12 (PL 176, 63). [2] Malach. 1, 2 et 3. [3] Rom. 9, 18. [4] Libr. 1, c. 26 (PL 32, 624 et sqq.).

« Multi vero [a] de isto profundo quaerentes reddere rationem, 377
atque secundum coniecturas cordis sui inscrutabilem [b] altitudinem
iudiciorum Dei cogitare conantes, in fabulas vanitatis abierunt, di-
centes, quia animae sursum in caelo peccant et secundum sua pec-
cata ad corpora pro meritis diriguntur, et dignis sibi quasi carce-
ribus includuntur. Ierunt [c] hi tales post cogitationes suas, et volentes
disputare de Dei profundo, versi sunt in profundum, dicentes, ani-
mas in caelo ante conversatas, et ibi aliquid boni vel mali egisse, et pro
meritis ad corpora terrena detrusas esse. Hoc autem respuit catho-
lica fides propter evidentem Apostoli sententiam, qua ait [1]: *Cum
nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent* [2] » etc.
Melior est ergo fidelis ignorantia quam temeraria scientia.

« Elegit ergo quos voluit gratuita misericordia, non quia fide-
les erant futuri, sed ut fideles essent, eisque gratiam dedit, non quia
fideles erant, sed ut fierent. Ait enim Apostolus [3]: *Misericordiam
consecutus sum, ut fidelis essem;* non ait, quia fidelis eram. Datur
quidem et fideli, sed data est etiam prius, ut esset fidelis [4] ». Ita
etiam reprobavit quos voluit, non propter merita futura, quae prae-
videret, veritate tamen rectissima, et a nostris sensibus remota [d] [5].

Sed quaeritur, utrum [e], sicut dicitur elegisse quosdam, ut 378
boni fierent et fideles, ita etiam concedi debeat, reprobasse quos-
dam, ut mali essent et infideles, et obdurare, ut peccent.

Quod nullatenus concedi oportet: Non enim reprobatio ita est
causa mali, sicut praedestinatio [f] causa boni; neque obduratio ita
facit hominem malum, quemadmodum misericordia facit [g] bonum.

Cap. III.

An ea quae semel scit Deus vel praescit, semper sciat et praesciat, et semper scierit et praescierit.

Praeterea considerari oportet, utrum ea omnia quae semel scit 379
vel praescit Deus, semper sciat et scierit, et praesciat ac praescierit;
an olim scierit vel praescierit, quod modo non scit vel praescit.

---

[a] V *quidem.* [b] Z *scrutabilem.* [c] C *abierunt.* [d] V *remotis-
sima.* [e] D om. [f] Ed. add. *est.* [g] V B add. *esse;* D add. *hominem.*

---

[1] Rom. 9, 11 et 12. [2] August., *Serm.* 165, c. 5, n. 6 (PL 38, 905).
[3] I. Cor. 7, 25. [4] August., l. *Retract.* c. 23, n. 4 (PL 32, 622) *, et *De prae-
dest. Sanctor.* c. 3, n. 7 (PL 44, 964). [5] Libr. I. *De diversis quaest. ad
Simplician.* q. 2, n. 16 (PL 40, 120).

De praescientia primo respondemus dicentes, multa eum praescisse, quae modo non praescit. Cum enim eius praescientia non sit nisi de futuris, ex quo illa quae futura erant, praesentia fiunt vel praetereunt, sub Dei praescientia esse desinunt, sub scientia vero semper sunt. Praescivit ergo Deus ab aeterno, omnia, quae futura erant, neque praescire desinit, nisi cum futura esse desinunt. Neque cum praescire desinit aliqua, quae [a] ante praesciebat, minus ea noscit, quam ante noscebat [b]. Non enim dicitur ex defectu scientiae eius [c], quod aliqua praescierit aliquando, quae modo non praesciat, sed ex ratione verbi quod est praescientia: praescire enim est ante scire, quam aliquid fiat. Ideoque non potest dici Deus praescire, nisi quae futura sunt [1].

De scientia autem aliter dicimus. Scit enim Deus semper omnia quae aliquando scit: omnem enim scientiam, quam aliquando habet, semper habuit et habet et habebit.

380 Ad hoc autem opponitur ita: Olim scivit hunc hominem nasciturum, qui natus est, modo non scit eum nasciturum; scivit ergo aliquid, quod modo non scit. Item scivit mundum creandum esse, modo non scit, eum esse [d] creandum: aliquid ergo scivit, quod modo non scit; et alia huiusmodi infinita induci possent.

Sed [e] ad hoc dicimus [2], quod idem de nativitate huius hominis et mundi creatione nunc [f] etiam scit, quod [g] sciebat, antequam fierent, licet tunc et nunc hanc scientiam eius exprimi diversis verbis oporteat. Nam quod futurum tunc erat, nunc praeteritum est; ideoque verba commutanda sunt ad ipsum designandum; sicut diversis temporibus loquentes, eandem diem modo per hoc adverbium cras, dum adhuc futura est, designamus; modo per hodie, dum praesens est [h]; modo per heri, dum praeterita est. Ita [i] antequam crearetur mundus, sciebat Deus hunc creandum; postquam creatus est, scit eum [k] creatum. Nec est hoc scire diversa, sed idem omnino de mundi creatione; sicut antiqui patres crediderunt,

---

[a] Z add. *iam.* [b] Ita U; ed. *cognoscebat.* [c] U *Dei.* [d] V om. [e] U om. [f] V add. *omnia.* [g] VD *quae.* [h] U om. [i] Ed. *itaque.* [k] U add. *esse.*

---

[1] Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 2, c. 16 (PL 176, 212). [2] De sequenti sententia Magistri et Nominalium, quod omnino idem sint propositiones de eadem re, sed sub diversis temporum differentiis prolatae, dicendum, quod est insufficiens et ex parte falsa. Cfr. S. Bonaventura, *Opera omnia* tom. I, pag. 731, a. 2, q. 2. De eadem re loquitur Magister etiam infra dist. XLIV, c. 2.

Christum nasciturum et moriturum, nos autem credimus, eum iam natum et mortuum; nec diversa tamen credimus nos et illi, sed eadem. « Tempora enim, ut ait Augustinus [1], variata sunt; et ideo verba mutata sunt [a], non fides ». Indubitanter igitur teneamus, Deum semper omnia scire, quae aliquando scit.

DISTINCTIO XLII.

Cap. I.

De omnipotentia Dei, quare dicatur omnipotens, cum nos multa possimus, quae ipse non possit.

Nunc [b] de omnipotentia Dei agendum est, ubi prima consi- 381
deratio occurrit, quomodo vere Deus dicatur omnipotens: an quia omnia possit, an tantum, quia ea possit quae vult.

Quod enim Deus omnia possit, pluribus auctoritatibus probatur [c].

Ait enim Augustinus in libro *Quaestionum veteris ac novae Legis* [2]: « Omnia quidem potest Deus, sed non facit nisi quod convenit veritati eius et iustitiae ».

Idem [d] in eodem [3]: « Potuit Deus cuncta simul facere, sed ratio prohibuit », id est voluntas. Rationem nempe [e] ibi voluntatem appellavit, quia Dei voluntas rationabilis est et aequissima. Fatendum [f] est ergo, Deum omnia posse.

Cap. II.

Quomodo dicatur Deus omnia posse.

Sed quaeritur [4], quomodo omnia posse dicatur, cum nos quae- 382
dam possimus, quae ipse non potest: non enim potest ambulare, loqui et huiusmodi, quae a natura divinitatis penitus sunt aliena,

---

[a] VBD om. [b] B add. *autem.* [c] Ed. et D *comprobatur.* [d] D om. [e] B *quippe.* [f] D *fateamur*, om. *est.*

---

[1] *In Ioan.* tract. 45, n. 9 (PL 35, 1722) *. [2] *Quaest. ex novo Test.* q. 97 (PL 35, 2291). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 14 (PL 176, 68 et sqq.). [3] Ibid. ex utroque mixtim q. 106 (PL 35, 2320). [4] Plura, quae in hac dist. sequuntur, sumta sunt ex Hugone, loc. cit., et ex Abaelardo, III. *Introd. ad theol.* n. 4 (PL 178, 1091 et sqq.).

cum horum instrumenta nullatenus habere queat incorporea et simplex substantia.

Quibus id respondendum arbitror, quod huiusmodi actiones, ambulatio scilicet et locutio et huiusmodi, a Dei potentia alienae non sunt, sed ad ipsam pertinent. Licet enim huiusmodi actiones in se Deus habere non possit — non enim potest ambulare vel loqui et huiusmodi — eas tamen in creaturis potest operari. Facit enim, ut homo ambulet et loquatur, et huiusmodi. Non ergo per istas actiones divinae potentiae detrahitur aliquid, quia et haec [a] potest facere Deus [b] omnipotens.

383 Sed sunt alia quaedam, quae nullatenus Deus facere potest, ut peccata: non enim potest mentiri, non potest peccare [1].

Sed non ideo omnipotentiae [c] Dei detrahitur in aliquo vel derogatur, si peccare non posse dicitur, quia non esset hoc potentiae, sed infirmitatis: si enim hoc posset, omnipotens non esset. Non igitur impotentiae, sed potentiae imputandum est, quod ista non potest.

Unde Augustinus in XV libro *De Trinitate* [2]: « Magna, inquit, Dei potentia est non posse mentiri ». Sunt enim quaedam, quae in aliis rebus potentiae deputanda [d] sunt, in aliis vero minime, et quae in aliis laudabilia sunt, in aliis [e] sunt reprehensibilia. Non ergo ideo Deus minus potens est, quia peccare non potest, cum omnipotens nullatenus sit qui hoc potest.

384 Sunt etiam et alia quaedam, quae Deus [f] non potest; unde videtur non omnia posse: non enim potest mori vel falli.

Unde Augustinus in libro *De Symbolo* [3]: « Deus omnipotens non potest mori, non potest falli, non potest miser fieri, non potest vinci. Haec utique [g] et huiusmodi, absit ut omnipotens possit: si enim huiusmodi passionibus atque defectibus [h] subiici posset, omnipotens minime foret ». Et inde monstratur [i] omnipotens, quia haec ei appropinquare [k] non valent; potest tamen haec in aliis operari.

---

[a] Ed. et D *hoc.* [b] D om. [c] Ed. *omnipotentia.* [d] Z *imputanda.* [e] Ed. add. *vero.* [f] Z add. *facere.* [g] D *enim.* [h] Z *defectionibus.* [i] D *Et ideo ostenditur.* [k] Ita U D; ed. *propinquare.*

---

[1] Hugo, ibidem. [2] Cap. 15, n. 24 (P L 42, 1077). [3] *Ad Catech.* c. 1, n. 2 (P L 40, 627) *.

Cap. III.

Quod omnipotentia Dei secundum duo consideretur.

Sic [a] igitur diligenter considerantibus omnipotentia eius se- 385
cundum duo apparet, scilicet quod omnia facit quae vult, et nihil omnino patitur. « Secundum utrumque Deus omnipotens verissime praedicatur, quia nec aliquid est, quod ad patiendum corruptionem ei inferre valeat, nec aliquid ad faciendum impedimentum afferre. Manifestum est itaque, Deum omnino nihil posse [b] pati et omnia posse facere, praeter ea sola quibus dignitas eius lacderetur, eiusque excellentiae derogaretur [c]; in quo tamen non est minus omnipotens, hoc [d] enim posse non esset posse, sed non posse. Nemo ergo Deum impotentem in aliquo dicere praesumat, qui [e] omnia potest, quae posse potentiae est; et inde vere dicitur omnipotens [1] ».

Ex quibusdam tamen auctoritatibus traditur, ideo vere omni- 386
potens dici, quia quidquid vult potest.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [2]: « Non ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult, potest, nec voluntate cuiuspiam creaturae voluntatis omnipotentis impeditur effectus ».

Idem in libro *De spiritu et littera* [3]: « Non potest Deus facere iniusta, quia ipse summa iustitia est et bonitas. Omnipotens vero est, non quod omnia possit facere, sed quia potest efficere quidquid vult, ita ut nihil valeat eius voluntati resistere, quin compleatur, aut aliquo modo impedire eandem ».

Ioannes Chrysostomus in homilia quadam *De expositione Symboli* [4] ait: « Omnipotens dicitur [f], quia posse illius non potest invenire non posse, dicente Propheta [5]: *Omnia quaecumque voluit, fecit;* ipse est ergo omnipotens, ut totum quod vult, possit. Unde Apostolus [6]: *Eius,* inquit, *voluntati quis* [g] *resistit*?

---

[a] B *hic,* om. *igitur.* [b] V om. [c] B om. *eiusque excell. derogaretur.* [d] CD *haec.* [e] U *quia.* [f] Ed. add. *Deus.* [g] B *quid.*

---

[1] Hugo, I. *De Sacram.* p. 2, c. 22 (PL 176, 214) *; Abael. loc. cit. [2] Cap. 96, n. 24 (PL 40, 276). [3] Cap. 34, n. 53 et ultimo (PL 44, 234 et seqq.) *. Cfr. Hugo, loc. cit. [4] Non invenitur in nova ed. Chrysost., sed in ed. antiqua (cfr. supra pag. 208, nota 8), ubi est in hom. 2. [5] Psalm. 113, 11. [6] Rom. 9, 19.

His auctoritatibus videtur ostendi, quod Deus ex eo dicatur tantum omnipotens, quia omnia potest, quae vult, non quia possit omnia.

Sed ad haec [a] potest dici, quod Augustinus [b], ubi dicit: « Omnipotens non dicitur, quia omnia possit » etc., tam ample et generaliter accepit omnia, ut etiam mala includeret, quae Deus nec vult, nec potest. Non ergo negavit, eum [c] posse omnia quae convenit ei posse. Similiter, cum dicit: « Non ob aliud veraciter dicitur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult, potest », non negat, eum posse etiam ea quae non vult; sed adversus eos qui dicebant, Deum multa velle, quae non poterat, affirmat, eum posse quidquid vult, et ex eo vere dici omnipotentem, non ob aliud [d], quia potest quidquid vult.

387 Sed cave, quomodo intelligas: potest quidquid vult, an, quidquid vult se posse, an, quidquid vult facere, an, quidquid vult fieri. Si enim dicas, ideo omnipotentem vocari, quia potest quidquid vult se posse, ergo et Petrus nunc [e] omnipotens similiter dici potest, vel quilibet sanctorum Beatorum, quia potest quidquid vult se posse, et potest facere quidquid vult facere. Non enim vult facere, nisi quod facit, nec posse, nisi quod potest; sed non potest facere quidquid vult fieri [1]. Vult enim, salvos fieri [f] qui salvandi sunt; verumtamen eos salvare non valet. Deus autem quidquid vult fieri, potest facere. Si enim vult aliquid fieri per se, potest illud per se facere, et per se facit, sicut caelum et terram per se fecit, quia voluit. Si autem vult fieri per creaturam et per eam operatur — sicut per homines facit domos et huiusmodi artificialia — et Deus quidem ex se et per se potest; homo autem vel Angelus, quantumcumque beatus [g], non est potens per se vel ex se.

388 Sed forte dices: Nec Dei Filius potest a se, nec Spiritus sanctus, sed solus Pater: ille enim potest a se, qui est a se; Filius autem, quia non est a se, sed a Patre, non potest a se, sed a Patre; et Spiritus sanctus ab utroque.

Ad quod dicimus, quia licet Filius non possit a se, nec operetur a se, potest tamen et operatur per se; sic et Spiritus sanctus.

---

[a] Ita U; ed. *hoc.* [b] V B add. *dicit.* [c] V *Deum.* [d] Ita U V D; ed. add. *nisi.* [e] Ed. om. [f] D add. *eos.* [g] Ed. add. *est.*

---

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 14 (PL 176, 68 et sq.).

Unde Hilarius in libro IX *De Trinitate* [1]: « Naturae, inquit, cui contradicis, haeretice, haec unitas est, ut ita per se agat Filius, ne a se agat, et ita non a se agat, ut per se agat ». Per se autem dicitur agere et potens esse, quia naturalem habet potentiam eandem, quam et Pater, qua [a] potens est et operatur; sed quia illam habet a Patre, non a se, ideo a Patre, non a se dicitur posse et agere. Homo autem vel Angelus gratuitam habet potentiam, qua potens est.

Ideo igitur vere ac proprie Deus Trinitas omnipotens dicitur, 389
quia per se, id est naturali potentia, potest quidquid vult fieri, et quidquid vult se posse. Nihil enim vult fieri, quod non possit facere per se vel per creaturam [b]: et nihil vult se posse, quod non possit; et omne quod vult fieri, vult se posse; sed non omne quod vult se posse, vult et fieri. Si enim vellet, et fieret, quia voluntati eius nihil resistere posset [c] [2].

DISTINCTIO XLIII.

Cap. unicum.

Invectio contra illos qui dicunt, Deum nil posse, nisi quod vult et facit.

Quidam [3] tamen « de suo sensu gloriantes, Dei potentiam coarc- 390
tare sub mensura conati sunt. Cum enim dicunt: Hucusque potest Deus et non amplius, quid est hoc aliud, quam eius potentiam, quae infinita est, restringere [d] et concludere [e] ad mensuram? Aiunt enim: Non potest Deus aliud facere, quam facit, nec melius facere id quod facit, nec aliquid praetermittere de his quae facit [4] ». Istamque [f] suam opinionem verisimilibus argumentis causisque commentitiis, nec non et sacrarum [g] auctoritatum testimoniis munire nituntur [h], dicentes: Non potest Deus facere, nisi quod bonum est et

---

[a] B *quia.* [b] Ed. *creaturas.* [c] Ita U; ed. *potest.* [d] U *constringere.* [e] B *includere.* [f] Ed. add. *primam.* [g] B *sanctorum.* [h] V *conantur.*

---

[1] Num. 48 (PL 10, 319). [2] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 14 (PL 176, 68). [3] Inter quos Abael. III. *Introd.* c. 4, et V. *Theol.*; qui tamen hanc opinionem retractavit in sua *Fidei confessione* (PL 178, 1093 et sqq., 132 et sqq., 107 et 187). [4] Hugo, I. *De Sacram.* p. 2, c. 22 (PL 176, 214) *.

iustum fieri; non est autem bonum et iustum fieri ab eo, nisi quod facit. Si enim aliud iustum est et bonum eum [a] facere, quam facit, non ergo facit omne quod iustum est et bonum est [b] eum facere. Sed quis audeat hoc dicere [1]?

Addunt etiam: Non [c] potest facere, nisi quod iustitia eius exigit; sed non exigit eius iustitia [d], ut faciat, nisi quod facit; non ergo potest facere, nisi quod facit. Eademque iustitia exigit, ut id non faciat, quod non [e] facit; non autem potest facere contra iustitiam suam [f]; non igitur [g] potest aliquid eorum facere, quae dimittit.

391 Iis autem respondemus, duplicem verborum intelligentiam aperientes, et ab eis involuta evolventes, sic: Non potest facere Deus, nisi quod bonum est et iustum, id est, non potest facere, nisi illud quod, si faceret, bonum esset et iustum, verum est; sed multa potest facere, quae nec [h] bona sunt nec iusta, quia nec sunt, nec erunt, nec bene fiunt vel [i] fient, quia nunquam fient.

Item, quod secundo propositum fuit: Non potest [k] facere, nisi quod iustitia sua exigit [l], et non potest id facere, quod iustitia sua exigit, ut non fiat; dicimus, quia exactionis verbum de Deo congrue non dicitur, nec proprie accipitur: et in illis [m] locutionibus duplex est sensus.

Si enim intelligas: Non potest facere, nisi quod iustitia sua exigit, id est, nisi quod iusta voluntas sua vult, falsum dicis. Iustitia enim Dei ipsius aequissima voluntas accipitur [n], qualiter accepit [o] Augustinus [2], illa verba Domini in Genesi loquentis ad Loth [3]: *Non possum quidquam facere, donec illo introeas,* exponens: « Non posse, inquit, se dixit, quod sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per iustitiam »; quasi [p]: poterat quidem, sed [q] non volebat [r], et illa voluntas iusta erat.

Si vero per haec verba intelligas, eum non posse facere nisi illud quod, si fieret, iustitiae eius [s] conveniret, verum dicis. Similiter distingue illud: Non potest facere [t], quod iustitia eius [u] exigit

[a] V om. [b] Ed. cum B om. [c] A C add. *igitur.* [d] V *substantia.* [e] V om. [f] Z om. [g] D *autem.* [h] Ed. *non.* [i] Ed. *nec.* [k] B add. interl. *Deus.* [l] C add. *ut fiat.* [m] Z *aliis.* [n] U *intelligitur.* [o] Ed. *accipit.* [p] Ed. add *dicat.* [q] V add. *quod.* [r] C *nolebat,* pro *non volebat.* [s] V om. [t] Z B add. *nisi.* [u] Ed. *sua.*

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tract. 4, c. 14 (PL 176, 69). [2] Libr. I. *Contra Gaudentium,* c. 30, n. 35 (PL 43, 727). [3] Cap. 19, 22.

ut non faciat, id est, non potest facere id quod ipse, qui est summa iustitia, non vult facere [a], falsum est. Si autem intelligas his verbis, cum non posse facere id quod iustitiae eius convenire non potest, verum dicis.

Addunt quoque et alia dicentes [1]: Non potest Deus facere 392
nisi [b] quod debet; non autem debet facere nisi quod facit. Si enim debet alia facere, non ergo facit omne quod debet; si vero facit omne quod debet, nec potest facere nisi quod debet, non ergo potest facere nisi quod facit.

Item, aut debet dimittere quod dimittit, ne faciat, aut non debet. Si non debet, non recte dimittit; si vero debet dimittere, ergo non debet facere. Si autem [c] non debet, nec decet, nec oportet eum facere; et si non decet, nec oportet eum facere, ergo non potest facere; non ergo potest facere nisi quod facit. Nec potest illud dimittere quod facit, quin faciat, quia debet illud facere; et quod debet [d] facere, non potest illud dimittere.

Sed, ut mihi videtur [2], hoc verbum debet venenum habet. Multiplicem enim et involutam tenet [e] intelligentiam, nec Deo proprie competit [f], qui non est debitor nobis, nisi forte ex promisso, nos vero ei debitores sumus ex commisso. Ut autem venenum evacuetur, distingue verbi sensus: Non potest Deus [g] facere nisi quod debet, id est, nisi quod vult, falsum est: sic enim [h] potest ipse dici debere aliquid, quia vult illud. Si autem dicatur: Non potest nisi quod debet, id est, non potest nisi illud quod, si faceret, ei bene conveniret, verum est.

Adiciunt [i] quoque illi dicentes: Nihil facit aut dimittit, nisi 393
optima et rationabili causa, licet nobis occulta sit, secundum [k] quam [l] oportet eum facere et dimittere, quae [m] facit vel dimittit. Ratio enim penes eum est, qua illa facit et illa dimittit; quae ratio aeterna est et semper manens, praeter quam non potest facere aliquid vel dimittere. Illa ergo manente, non potest quod facit dimittere, nec quod dimittit facere, et ita non potest facere, nisi quod facit.

---

[a] C add. *quod.* [b] Z add. *id.* [c] V add. *haec.* [d] V add. *illud.* [e] Ed. *continet.* [f] B *convenit.* [g] B om. [h] V *si tamen,* pro *sic enim.* [i] Ed. et B *addunt.* [k] V *scilicet.* [l] V D *quod.* [m] V *quod;* D *ea quae.*

[1] Cfr. Hugo, loc. cit. [2] Ibidem.

Et ad hoc respondemus, ambiguitatem locutionis [a] determinantes. Cum enim dicitur: Ratio vel [b] causa optima penes Deum est, qua facit cuncta quae facit, et dimittit ea quae dimittit, verum quidem est, quia in eo voluntas est aequissima et rectissima, qua facit et dimittit quae [c] vult, contra quam facere non potest, nec praeter eam facere potest. Nec [d] utique contra eam faceret nec praeter eam, si [e] quae facit dimitteret, vel quae dimittit faceret, sed eadem manente ratione et causa, alia potuit facere et ista dimittere. Licet ergo ratio sit penes eum, qua alia facit, alia dimittit, potest tamen secundum eandem rationem et dimittere quae facit, et facere quae [f] dimittit.

394 Ipsi autem [g] addunt: Ratio est, eum facere, quae facit et non alia; et non potest facere, nisi quod ratio est eum facere; et ita non potest facere nisi quod facit. Item, ratio est, eum dimittere quod dimittit; et non potest non dimittere, quod ratio est eum dimittere; et ita non [h] potest non dimittere quod dimittit.

Et ad hoc dicimus, locutiones ambiguas esse, et ideo determinandas. Si enim, cum dicitur: Non potest facere, nisi quod ratio est eum facere, intelligas, eum non posse facere, nisi ea quae rationabilia sunt, et ea quae, si fierent, rationabilia essent, verus est sensus. Si autem intelligas, eum non posse facere alia rationabilia et bona, nisi ea quae vult et facit, falsus est intellectus.

395 Item aliud adiungunt dicentes [1]: Si potest aliud facere Deus quam facit, potest igitur facere quod non praescivit; et si facere potest quod non praescivit, potest sine praescientia operari, quia omne quod facturum se praescivit facit, nec facit aliquid quod non praesciverit [i]. Quod si praeter praescientiam eius aliquid fieri impossibile est, omne quod praescitum est, fieri necesse est; ergo aliud fieri, quam fit, nulla ratione possibile est; non ergo potest a Deo fieri, nisi quod fit.

Haec autem quaestio de praescientia facile determinari potest per ea quae superius [2] dicta sunt, cum de praescientia ageretur.

396 His autem illi scrutatores, *qui defecerunt scrutantes scrutinia* [3], Sanctorum annectunt testimonia.

[a] D *sermonis.* [b] V om. [c] V *quod.* [d] V *haec.* [e] Ed. add. *ea.* [f] V *quod.* [g] V *quoque.* [h] B *nec,* et om. *et ita.* [i] Ed. *praescivit.*

[1] Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 2, c. 22 (PL 176, 214). [2] Dist. XXXVIII, XXXIX. [3] Psalm. 63, 7. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 14 (PL 176, 68).

Dicit enim Augustinus in libro *De Symbolo* [1]: « Hoc solum non potest Deus, quod non vult [a] ». Per quod videtur non posse facere aliquid, nisi quod vult; sed non vult nisi quod facit; et ita videtur non posse nisi quod facit.

Illud autem ita intelligendum est: Id solum non potest Deus, quod non vult, scilicet se posse.

Idem in libro VII *Confessionum* [2] ad Deum loquens ait: « Nec cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non est maior quam [b] potentia; esset autem maior, si te ipso tu ipse maior esses ».

Ex hoc videtur, quod Deus non possit plura, quam vult, sicut non vult plura, quam potest. Sicut enim voluntas non est maior potentia, ita nec potentia maior est voluntate. Ideoque, sicut plura non vult, quam potest [c], ita eum non plura posse quam velle dicunt.

Sed ad hoc dicimus, quia nec voluntas potentia, nec potentia maior voluntate est, quia una [d] et eadem res est potentia et voluntas, scilicet ipse Deus, qui esset maior se ipso, si voluntas esset maior potentia, vel potentia voluntate. Nec hac auctoritate negatur, Deum plura posse quam velle, quia plura sunt subiecta eius potentiae quam voluntati. Fateamur itaque [e] Deum multa posse facere, quae non vult, et posse dimittere quae facit [3].

Quod ut certius firmiusque teneatur, Scripturae testimoniis af- 397
feramus [f], Deum plura facere posse, quam faciat.

Veritas ipsa secundum Matthaeum [4] ait: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo* [g] *plus quam duodecim legiones Angelorum?* Ex quibus verbis patenter innuitur, quia et Filius poterat rogare quod non rogabat, et Pater exhibere quod non exhibebat. Uterque igitur poterat facere quod non faciebat.

Augustinus etiam in *Enchiridio* [5] ait: « Omnipotentis voluntas multa potest facere, quae nec vult nec facit: potuit enim facere, ut duodecim legiones Angelorum pugnarent contra illos qui Christum ceperunt ».

---

[a] C add. *scilicet.* [b] V om. [c] V *facit.* [d] V om. [e] Z *ergo ita.* [f] BD *asseramus.* [g] V om.

---

[1] Serm. *Ad Catech.* c. 1, n. 2 (PL 40, 627); cfr. Hugo, loc. cit. (PL 176, 215). [2] Cap. 4, n. 6 (PL 32, 736). [3] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 14 (PL 176, 68 et 69), ubi et multa quae hic sequuntur. [4] Cap. 26, 53. [5] Cap. 95, n. 24 (PL 40, 275) *; et *De Spiritu et littera*, c. 1 et 35 (PL 44, 201, 241) *.

Item in eodem [1]: « Cur apud quosdam non *factae sunt virtutes, quae si factae fuissent, egissent* illi homines *poenitentiam* [2]; et factae sunt apud eos qui non fuerant [a] crediturі? Tunc [b] non latebit quod nunc latet. Nec utique Deus iniuste noluit salvos fieri, cum possent salvi esse, si vellet. Tunc in clarissima luce Sapientiae videbitur quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa et incommutabilis [c] et efficacissima sit voluntas Dei, quae multa possit et [d] non velit, nihil autem quod non possit, velit ».

Idem in libro *De natura et gratia* [3]: « Dominus Lazarum suscitavit in corpore. Nunquid dicendum est, non potuit Iudam suscitare in mente? Potuit quidem, sed noluit [4] ».

His auctoritatibus multisque aliis aperte docetur, quod Deus multa possit facere, quae non vult.

398 Quod etiam ratione probari potest. Non enim vult Deus omnes homines iustificare, et tamen quis dubitat, eum posse? Potest ergo Deus aliud facere, quam facit, et tamen, si aliud faceret, alius ipse non esset [e]. Et potest aliud velle, quam vult, et tamen eius voluntas nec alia nec nova nec mutabilis aliquo modo potest esse. Etsi enim possit velle quod nunquam voluit, non tamen noviter nec nova voluntate, sed sempiterna tantum [f] velle potest: potest enim [g] velle, quod potest ab aeterno voluisse. Habet enim potentiam volendi et nunc et ab aeterno, quod tamen nec modo vult, nec ab aeterno voluit.

DISTINCTIO XLIV.

Cap. I.

An Deus possit facere aliquid melius, quam facit, vel alio vel meliori modo.

399 Nunc illud restat discutiendum [5], utrum melius aliquid Deus possit facere, quam facit.

---

[a] Ed. *erant.* [b] U *in futuro,* sed corr. interl. *tunc;* D add. *scilicet in futuro.* [c] Ita U; ed. *immutabilis.* [d] VAC *quae.* [e] V *facit et alius ipse non esset.* [f] Ed. add. *voluntate.* [g] U add. *etiam.*

---

[1] *Enchirid.* loc. cit. *. [2] Matth. 11, 21. [3] Cap. 7, n. 8 (PL 44, 250). [4] Respic. Ioan. 11, 43. [5] Praesens cap. quasi verbotenus desumitur ex Hugone, *Sum. Sent.* loc. cit. et l. *De Sacram.* p. 2, c. 22 (PL 176, 69 et sqq., ac 214); Abael. loc. cit. in dist. praec.

Solent enim scrutatores illi dicere, quod ea quae facit Deus, non potest meliora facere, quia si posset [a] facere et non faceret, invidus esset et non summe bonus. Et hoc a [b] simili astruere conantur.

Ait enim Augustinus in libro *83 Quaestionum* [1]: « Deus quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit — nihil enim Deo melius [c] — debuit [d] aequalem. Si enim voluit et non potuit, infirmus est [e]; si potuit et noluit, invidus. Ex quo conficitur [f], aequalem genuisse filium ». A simili volunt dicere, quod si potest Deus rem meliorem facere, quam facit, invidus est. Sed non valet huius similitudinis inductio, quia Filium genuit de sua substantia; ideoque, si posset gignere aequalem et non gigneret, invidus esset. Alia vero, quae non de sua substantia [g] facit, meliora facere potest.

Verumtamen [h] hic [i] responderi ab eis deposco, cur dicant [2], rem aliquam sive etiam rerum universitatem, in qua maior consummatio est expressa, non posse esse meliorem, quam est: sive ideo, quia summe bona est, ita ut nulla omnino boni perfectio ei desit; sive ideo, quia maius bonum, quod ei deest, capere ipsa non valeat. Sed si ita summe bona dicitur, ut nulla ei perfectio boni desit, iam creatura Creatori aequatur [k]. Si vero ideo melior non potest esse, quia bonum amplius, quod ei deest, capere ipsa non valet; hoc iam ipsum non posse defectionis est, non consummationis; et potest esse melior, si fiat capax melioris boni, quod ipse potest qui eam fecit. Potest ergo Deus meliorem rem facere, quam faciat.

Unde Augustinus *Super Genesim* [3]: « Talem potuit Deus hominem fecisse, qui nec peccare posset, nec vellet; et si talem fecisset, quis dubitat eum meliorem fuisse »?

Ex praedictis constat, quod potest Deus et alia facere, quam facit, et quae facit, meliora ea facere, quam facit.

Post haec [l] considerandum est, utrum alio modo vel meliori, 400
quam facit, possit ea facere quae facit. Si modus operationis ad sapientiam opificis referatur, nec alius nec melior esse potest [m].

---

[a] A B add. *meliora.* [b] Ed. cum Z *ex.* [c] U add. interl. *est.* [d] Ed. cum D *generare debuit;* B *genuit.* [e] U *fuit.* [f] U *convincitur;* B prius habuit *conficitur,* sed mutavit in *efficitur,* et add. *se.* [g] V om. [h] Ita U; ed. *verum.* [i] B *hoc.* [k] Z B *coaequatur.* [l] V *quae.* [m] V add. *modus.*

---

[1] Quaest. 50 (P L 40, 31); cfr. II. *Contra Maximin.* c. 7 (P L 42, 761).
[2] Cfr. Hugo, locis citatis. [3] *De Gen. ad lit.* XI, c. 7, n. 9 (P L 34, 433).

Non enim potest facere aliquid aliter vel melius, quam facit, id est alia sapientia vel maiori [a] sapientia; nihil enim sapientius potest facere, quam facit. Si vero referatur modus ad rem ipsam, quam facit Deus, dicimus, quia et alius et melior potest esse modus. Et secundum hoc concedi potest quia ea quae facit, potest facere melius et aliter, quam facit, quia potest quibusdam meliorem modum existendi praestare, et quibusdam alium.

Unde Augustinus in XIII libro *De Trinitate* [1] dicit, quod fuit et alius modus nostrae liberationis possibilis Deo, qui omnia potest; sed nullus alius modus nostrae miseriae sanandae fuit convenientior. Potest igitur Deus eorum quae facit, quaedam alio modo meliori, quaedam alio modo aeque bono, quaedam etiam minus bono facere, quam facit; ut tamen modus referatur ad qualitatem [b] creaturae, non ad Creatoris sapientiam.

Cap. II.

Utrum Deus semper possit omne quod potuit.

401 Praeterea quaeri solet, utrum Deus semper possit omne quod olim potuit. Quod [c] quibusdam non videtur dicentibus: Potuit Deus incarnari, et potuit mori et resurgere, et alia huiusmodi, quae modo non potest. Potuit ergo quae modo non potest [d], et ita habuit potentiam, quam modo non habet; unde videtur eius potentia imminuta.

Ad quod dicimus, quia sicut omnia semper scit, quae aliquando scivit, et semper vult, quae aliquando voluit, nec unquam aliquam scientiam amittit, vel voluntatem mutat, quam habuit; ita omnia semper potest, quae aliquando potuit, nec unquam aliqua sua potentia privatur. Non est ergo privatus potentia incarnandi vel resurgendi, licet non possit modo incarnari vel resurgere. Sicut enim potuit olim incarnari, ita et modo potest esse incarnatus in quo eiusdem rei potentia monstratur [2].

402 Ut enim olim scivit se resurrecturum, ita [e] et modo scit, se resurrexisse, nec est scientia alia illud olim scivisse, et hoc modo

---

[a] U *meliori;* D add. *vel meliori.* [b] U add. *operis id est.* [c] V om. [d] V om. *Potuit e. q. m. n. potest.* [e] Ita U; ed. om.

---

[1] Cap. 10, n. 13 (PL 42, 1024)*. [2] Cfr. Abael. III. *Introd.* c. 5 (PL 178, 1162 et seq.).

scire, sed eadem omnino; et sicut olim voluit resurgere, et modo resurrexisse, in quo unius rei voluntas exprimitur: ita potuit olim nasci et resurgere, et modo potest natus fuisse et resurrexisse; et est eiusdem rei potentia. Si enim posset modo nasci et resurgere, non esset idem posse. Verba enim diversorum temporum, diversis prolata temporibus et diversis adiuncta adverbiis, eundem faciunt sensum, ut modo loquentes dicimus: Iste potest hodie legere; cras autem dicemus: Iste potest legisse, vel potuit legere heri, ubi [a] unius rei monstratur potentia. Si autem diversis temporibus loquentes eiusdem temporis verbis et adverbiis utamur, dicentes hodie: Potest iste legere hodie [b], et dicentes cras: Iste potest hodie legere; non idem, sed diversa dicimus eum posse. Fateamur igitur, Deum semper posse quidquid semel potuit, id est habere omnem illam potentiam, quam semel habuit et illius omnis rei potentiam cuius semel habuit; sed non semper posse facere omne illud, quod aliquando potuit facere; potest quidem facere aut fecisse quod aliquando potuit. Similiter [c] quidquid voluit, et vult, id est, omnem quam habuit voluntatem et modo habet; et cuiuscumque rei voluntatem habuit, et modo habet; non tamen vult esse vel fieri omne, quod aliquando voluit esse vel fieri, sed vult fuisse vel factum esse. Ita et de scientia Dei dicendum est.

DISTINCTIO XLV.

Cap. I.

De voluntate Dei, quae essentia Dei est, et de signis eius.

Iam de voluntate Dei aliquid pro sensus nostri imbecillitate 403
dicendum est.

Sciendum est igitur, quia voluntas sive volens de Deo secundum essentiam dicitur. Non est enim ei aliud velle et aliud esse, sed omnino idem. Et sicut idem est ei bonum esse quod Deum esse, ita idem est ei esse volentem quod esse Deum: nam voluntas, qua semper volens est, non affectus vel motus est, qui in Deum cadere non valet, sed divina usia, qua volens est, Deus est [d], et huiusmodi.

---

[a] Ed. *ubique.* [b] U om. [c] V add. *enim.* [d] A C D om.

Cap. II.

. Quod, licet idem sit Deo velle quod esse, non tamen potest dici Deus omnia esse quae vult.

404 Et licet, sit idem Deo velle quod esse, non tamen dicendum est, Deum omnia esse quae vult.

Quod quidam, de Dei voluntate non recte sentientes, nobis obiiciunt dicentes: Si idem est Deo velle quod esse, ergo cum dicimus, Deum velle omnia quae facit, dicimus, eum esse omnia quae facit; alioquin non ibi illo verbo [a] idem significatur, quod significatur hoc verbo esse, cum de Deo dicitur. Et si ita est, non semper dicitur de Deo velle secundum essentiam. Si vero secundum essentiam non dicitur aliquando, quomodo ergo de Deo dicitur? Relative enim nunquam dicitur.

Ad quod dicimus, quia licet idem penitus sit Deo velle quod esse, non tamen potest dici esse omnia quae vult; sicut idem est Deo esse quod scire, nec tamen sicut dicitur scire omnia, ita quoque potest dici esse omnia.

Cap. III.

De intelligentia harum locutionum: Deus scit, vel Deus vult, Deus scit omnia vel vult aliquid.

405 Et [b] ubicumque Deus [c] scire dicitur vel sciens, et velle vel volens, haec de eo [d] secundum essentiam dicuntur.

Cum enim dicitur: Deus scit vel Deus vult, sive Deus est sciens vel volens, essentia divina praedicatur, et Deus esse enuntiatur. Cum autem additur omnia vel aliquid vel aliqua, et dicitur: Deus scit omnia, vel vult aliquid vel aliqua [e], essentia quidem divina praedicatur, non simpliciter et absolute, sed ita ut scientiae, quae ipsa [f] est, omnia subiecta [g] monstrentur, et voluntati, quae ipsa [h] eadem est, aliquid vel aliqua subiecta esse [i] dicantur, ut talis fiat sensus: Deus scit omnia, id est, Deus est, cuius scientiae, quae ipsius essentia est, omnia subiecta sunt. Similiter: Deus vult haec

---

[a] C add. *velle.* [b] V *at.* [c] Z om. [d] AD *Deo.* [e] V om. *et d. D. s. o. v. v. a. v. aliqua.* [f] Ed. et B *ipse.* [g] BC add. *esse.* [h] B *ipse.* [i] VBD om.

vel illa, id est, Deus est, cuius voluntati, quae ipse est, haec sive illa subiecta sunt. Volens ergo sive velle dicitur Deus secundum essentiam, cuius voluntas essentia est sempiterna et immutabilis — licet ea varientur et transeant, quae ei subiecta sunt — quae non potest esse iniusta nec mala, quia Deus est.

Cap. IV.

Quod Dei voluntas summe bona causa est omnium, quae naturaliter sunt, eius autem causa non est quaerenda, quia prima est et summa causa omnium.

Haec itaque summe bona voluntas causa est omnium, quae 406
naturaliter fiunt vel facta sive futura sunt, quae nulla praeventa est causa, quia aeterna est. Ideoque causa ipsius quaerenda non est: qui enim eius [a] causam quaerit, aliquid maius ea quaerit, cum nihil maius ea sit.

Unde Augustinus in libro *83 Quaestionum* [1]: « Qui quaerit, quare voluerit Deus mundum facere, causam quaerit voluntatis Dei. Omnis autem [b] causa efficiens maior est eo quod efficitur; nihil autem maius est voluntate Dei; non ergo eius causa quaerenda est ».

Idem in libro [c] *Contra Manichaeos* [2]: « Si qui dixerint: Quid placuit Deo facere caelum et terram? respondendum est eis qui voluntatem Dei nosse desiderant, causas et [d] voluntatem [e] Dei scire quaerunt: quod [f] voluntas Dei omnium quae sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas [g], est aliquid, quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est [h] credere. Qui ergo dicit: Quare Deus fecit caelum et terram? respondendum est illi: quia voluit. Voluntas enim Dei causa est caeli et terrae, et ideo maior est voluntas Dei [i] quam caelum et terra. Qui autem dicit: Quare voluit facere caelum et terram? maius aliquid quaerit, quam est voluntas

---

[a] Z om. [b] Z om. [c] Ed. add. *De Genesi.* [d] Ed. om. [e] Ed. *voluntatis,* om. *et;* V *voluntates.* [f] Ed. *cum.* [g] Z add. *Dei.* [h] B add. *dicere vel.* [i] V om.

---

[1] Quaest. 28 (PL 40, 18). Cfr. Abael. IV. *Theol.*, et *Sic et non*, c. 13 (PL 178, 1291, 1368). [2] Libr. I. *De Genesi contra Man.* c. 2, n. 4 (PL 34, 175). Cfr. Abael. loc. cit.

Dei; nihil autem maius inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est non quaerat, ne id quod est non inveniat ».

Ecce his auctoritatibus aperte insinuatur [a], quod voluntatis Dei causa nulla est, et ideo quaerenda non est.

407 « Voluntas igitur Dei, ut ait Augustinus in libro III *De Trinitate* [1], prima et summa est causa omnium specierum [b] atque motionum: nihil enim fit, quod non de interiori atque intelligibili aula summi Imperatoris egrediatur secundum ineffabilem iustitiam ».

« Ubi enim non operatur quod vult omnipotentis Dei sapientia, quae *pertingit* [c] *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* [2] »? « et non solum [d] ea quae perseverantia consuetudinis admirationem non admittunt [e 3] », « sed etiam [f] ea [g] quae propter raritatem et insolitum eventum mira videntur, ut sunt defectus luminarium et terrae motus et monstruosi animantium partus et his similia, quorum nihil fit sine [h] Dei voluntate. Sed plerisque non apparet; ideoque placuit vanitati philosophorum [i] etiam causis aliis ea tribuere [k], cum omnino videre non possent superiorem ceteris omnibus causam, id est voluntatem Dei. Itaque non nisi Dei voluntas causa prima est sanitatis, aegritudinis, praemiorum atque poenarum, gratiarum et retributionum [4] ».

Haec igitur sola est, unde ortum est quidquid est, et ipsa non est orta sed aeterna.

Cap. V.

Quibus modis accipitur Dei voluntas.

408 Hic non est praetereundum [l] nobis, quod sacra Scriptura de voluntate Dei variis modis loqui consuevit; et [m] non est Dei voluntas diversa, sed locutio diversa est de voluntate, quia nomine

[a] Z *insinuari videtur.* [b] D add. *et formarum et actionum.* [c] V Z *praetendit;* D *protendit.* [d] Ed. et B (interl.) add. *facit.* [e] B *admittit.* [f] Z om. [g] B om. [h] V Z B *nisi.* [i] V *plurimorum.* [k] A D *attribuere.* [l] V *praetermittendum.* [m] Ed. et B D add. *tamen.*

[1] Cap. 4, n. 9 (P L. 42, 873) *. [2] Ibid. c. 1, n. 6 (P L. 42, 871); Sap. 8, 1. [3] Augustin. ibid. c. 2, n. 7. [4] Ibid. c. 3, n. 8 et c. 4, n. 9.

voluntatis diversa accipit. Nam voluntas Dei vere ac proprie dicitur quae in ipso est, et ipsius essentia est; et haec una est, nec multiplicitatem recipit nec mutabilitatem [1], quae inexpleta esse non potest.

De qua Propheta ait [2]: *Omnia quaecumque voluit, Dominus fecit.* Et Apostolus [3]: *Voluntati eius quis resistit?* Et alibi [4]: *Ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.* Et haec voluntas recte appellatur beneplacitum Dei sive dispositio.

Cap. VI.

Quod praeceptio, prohibitio, permissio, consilium, operatio, nomine voluntatis interdum intelliguntur.

« Aliquando vero, secundum quandam dicendi figuram, voluntas Dei vocatur, quod secundum proprietatem [a] non est voluntas 409
eius [b], ut: prohibitio, praeceptio, consilium, nec non permissio et operatio. Ideoque pluraliter aliquando Scriptura voluntates Dei pronuntiat.

« Unde Propheta [5]: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Cum non sit nisi una voluntas Dei, quae ipse est, pluraliter tamen dicit voluntates Dei [c], quia voluntas Dei variis modis ac pro [d] diversis accipitur, ut dictum est.

« Ita etiam idem Propheta propter multos effectus misericordiae et iustitiae pluraliter dicit [6]: *Misericordias Domini in aeternum cantabo.* Et alibi [7]: *Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda,* cum tamen in Deo una sit misericordia, una [e] iustitia [8] », eademque sit misericordia quae iustitia, scilicet divina usia.

---

[a] Z add. *locutionis.* [b] V *Dei.* [c] Ed. et B om. [d] Z om. [e] VAB add. *sit.*

---

[1] Quae praecedunt, sunt ex Hugone, I. *De Sacram.* p. 4, c. 2 (PL 176, 235); cfr. etiam Abael. III. *Theol.* c. 4 (PL 178, 1093). Quae sequuntur usque in finem cap., sunt ex Hugone, I. *Sum. Sent.* c. 13 (PL 176, 65) *. [2] Psalm. 113, 11. [3] Rom. 9, 19. [4] Rom. 12, 2. [5] Psalm. 110, 2. [6] Psalm. 88, 2. [7] Psalm. 18, 9. [8] Hugo, loc. cit. (PL 176, 64 et seq.); cfr. Abael. loc. cit.

410 Ideo autem « praeceptio et prohibitio atque consilium, cum sint tria, dicitur tamen unumquodque eorum Dei voluntas, quia ista signa sunt divinae voluntatis. Quemadmodum et signa irae dicuntur ira, et dilectionis signa dilectio appellantur, et dicitur iratus Deus, et [a] non est ira aliqua in eo, sed signa tantum, quae foris fiunt [b], quibus iratus ostenditur, ira ipsius nominantur. Et est figura dicendi, secundum quam non est falsum quod dicitur, sed verum, quod dicitur, sub tropi nubilo obumbratur. Et secundum hos tropos diversae voluntates Dei dicuntur, quia diversa sunt illa quae per tropum voluntas [c] Dei dicuntur [1] ».

« Pro praecepto Dei atque consilio potest accipi voluntas [d] ibi [2]: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra;* et ibi [e] [3]: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse frater meus et soror et mater est.* Et contra hanc voluntatem multa fiunt.

« Unde Augustinus, in libro *De spiritu* [f] *et littera* [4]: Infideles, inquit, contra voluntatem Dei faciunt [g], cum Evangelio eius non credunt [h] [5] ».

Cap. VII.

Utrum Deus velit ab omnibus fieri ea quae praecipit, vel non fieri quae prohibet.

411 Et [6] si [i] illa tria dicantur Dei voluntas, ideo quia signa sunt divinae voluntatis, non est tamen intelligendum, Deum omne illud fieri velle, quod cuicumque praecepit, vel non fieri quod prohibuit. Praecepit enim Abrahae immolare filium, nec tamen voluit; nec ideo praecepit ut id fieret, sed ut Abrahae probaretur fides [7]. Et in Evangelio [8] praecepit sanato, ne cui diceret; ille autem praedicavit ubique, intelligens, Deum non ideo prohibuisse, quin vellet opus suum praedicari, sed ut daret formam homini laudem humanam declinandi.

---

[a] Ed. et B (interl.) *tamen.* [b] Z D *sunt.* [c] B *voluntates.* [d] D add. *Dei;* ed. add. *ut.* [e] Ed. *alibi;* D om. *et ibi.* [f] V add. *sancto.* [g] V om. [h] B *Evangelio contradicunt,* pro *Ev. e. n. credunt.* [i] V *sicut.*

---

[1] Hugo, I. *De Sacram.* loc. cit. et *Sum. Sent.* loc. cit. [2] Matth. 6, 10. [3] Matth. 12, 50. [4] Cap. 33, n. 58 (PL 44, 288). [5] Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 4, a cap. 4 ad cap. 10 (PL 176, 235 et sqq.)*. [6] Pro hoc cap. cfr. Hugo loc. cit. [7] Gen. 22, 2 et sqq. [8] Marc. 1, 44.

Permissio quoque Dei et operatio voluntas Dei appellantur, qualiter accipit Augustinus in *Enchiridio* [1] dicens: « Non fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene etiam sinendo fieri, quaecumque fiunt male [a]. Non enim hoc nisi iusto iudicio [b] sinit, et profecto bonum est omne quod iustum est ».

Ecce hic manifeste habes, Dei voluntatem [c] appellari ipsius operationem vel permissionem, cum dicit, « non fieri aliquid, nisi Omnipotens fieri velit », ubi includit et bona et mala omnia, quae fiunt. Ideoque aperte distinguit, quomodo Deum velle dixerit, ne eadem ratione intelligeretur velle bona et mala, subdens « vel sinendo, ut fiat » — hoc quantum ad mala dicit — « vel ipse faciendo » — hoc quantum ad bona. Mala enim sinit fieri, sed non facit; bona vero ipse facit. Ideoque dixit, « eum velle », quia et volens mala sinit [d] et bona volens operatur; et ob hoc permissio et operatio Dei voluntas dicuntur.

Quinque igitur supra posita sunt [e], quae dicuntur secundum 412
tropum Dei voluntas, quia signa sunt divinae voluntatis, quae una est et immutabilis, scilicet Dei beneplacitum. Ideoque diligenter distinguat lector, ubi de voluntate Dei Scriptura commemorat, iuxta quem modum accipi oporteat, utrum scilicet pro beneplacito Dei, an pro aliquo signo [f] eius. Magna enim est adhibenda « discretio in cognitione divinae voluntatis, quia et beneplacitum Dei est voluntas eius [g], et signum beneplaciti eius dicitur voluntas eius. Sed beneplacitum eius aeternum est, signum [h] vero beneplaciti eius non; et consonat rerum effectibus beneplacitum ipsius, et ipsi effectus rerum ab illo non discordant: fit enim omne quod beneplacito [i] vult fieri, et omne quod vult non fieri, nequaquam fit. Non ita autem est de signis, quia praecepit Deus multis ea quae non faciunt, et prohibet quae non cavent, et consulit [k] quae non implent [2] ».

---

[a] B add. *fieri.* [b] B add. interl. *fieri.* [c] BC add. *hic.* [d] U add. *fieri.* [e] B om. [f] Ed., B (interl.) et D *signorum.* [g] B om. [h] V *signa.* [i] B add. *eius.* [k] Z add. *ea.*

---

[1] Cap. 95 et 96, n. 24 (PL 40, 275 et sqq.). [2] Hugo, I. *De Sacram.* p. 4, c. 8 (PL 176, 237) *.

DISTINCTIO XLVI.

Cap. I.

Quod voluntas Dei, quae ipse est, in nullo cassari potest.

413 Hic oritur quaestio. Dictum est enim in superioribus [1] et auctoritatibus communitum [a], quod voluntas Dei, quae ipse est vocaturque beneplacitum ipsius [b], cassari non potest, quia illa voluntate *quaecumque voluit, fecit in caelo et in terra* [2]; cui, teste Apostolo [3], *nihil resistit.* « Quaeritur ergo, quomodo accipiendum sit quod Apostolus de Domino ait [4]: *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Cum enim [c] non omnes salvi fiant, sed [d] plures damnentur, videtur utique [e] non fieri quod Deus vult fieri, humana scilicet impediente voluntate voluntatem Dei. Dominus quoque in Evangelio impiam civitatem [f] compellans [5]: *Quoties,* inquit, *volui congregare filios tuos, sicut* [g] *gallina congregat pullos suos sub alas* [h] *et noluisti!* Haec ita dicuntur, tamquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate, et infirmissimis nolendo impedientibus, non potuerit facere potentissimus quod volebat. Ubi est ergo illa omnipotentia, quia *in caelo et in terra,* secundum Prophetam, *omnia quaecumque voluit, fecit?* Et quomodo *voluntati eius,* secundum Apostolum *nihil resistit,* si colligere filios Ierusalem voluit, et non fecit [6] »? Haec enim [i] praedictis plurimum obviare videntur.

Cap. II.

Quomodo intelligendum sit illud: Volui congregare filios tuos, et noluisti; et illud: Qui vult omnes homines salvos fieri.

414 Sed audiamus solutionem; ac primum, quomodo accipiendum sit illud quod Dominus ait, videamus.

---

[a] U add. *est.* [b] Ed. *eius.* [c] Z om. [d] V *si.* [e] B *itaque.* [f] V *voluntatem;* B add. interl. *Ierusalem.* [g] U *quemadmodum.* [h] V om. *sub alas;* D add. *suas.* [i] Z om.

---

[1] Dist. XLV. [2] Psalm. 113, 11. [3] Rom. 9, 19. [4] 1. Tim. 2, 4. [5] Matth. 23, 37. Cfr. Abael. V. *Theol.;* III. *Introd.* cc. 4 et 5; *Sic et non* c. 33 (PL 178, 1321, 1093, 1099, 1394). [6] August., *Enchirid.* c. 97, n. 24 (PL 40, 276).

« Non enim ex eo sensu illud dictum est, ut ait Augustinus in *Enchiridio* [1], praedictam solvens quaestionem, quasi Dominus voluerit colligere [a] filios Ierusalem [b], et non sit factum quod voluit, quia ipsa noluerit; sed potius illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, qua tamen nolente, filios eius [c] collegit ipse omnes quos voluit; quia in caelo et in terra non quaedam voluit et fecit, quaedam vere voluit et non fecit, sed *omnia quaecumque voluit, fecit* », ut sit sensus: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti!* id est, quotquot congregavi voluntate mea semper efficaci, te nolente feci [2].

Ecce in evidenti positum est, quia illa Domini verba superioribus non repugnant.

Nunc videre restat, quomodo etiam praemissa verba Apostoli 415
praedictis non contradicant, qui de Deo loquens ait: *Vult omnes homines salvos fieri.* Quorum occasione verborum multi a veritate deviarunt [3] dicentes, Deum multa velle fieri, quae non fiunt. Sed non est intelligendum, ea ratione illud esse dictum, quasi Deus voluerit aliquos salvari, et non salventur.

« Quis enim tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, et quando voluerit, et ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Non est utique verum quod in Psalmo dicitur: *Quaecumque voluit, fecit,* si aliqua voluit et non fecit; et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam, ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit [4] ».

Ideoque « cum audimus et in sacris Litteris legimus, quod velit 416
omnes homines salvos fieri [d], non tamen ideo [e] debemus omnipotentissimae Dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere quod scriptum est: *Vult omnes homines salvos fieri,* tanquam [f] diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum [g] fieri ipse voluerit: non quod nullus hominum sit, nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat salvus, nisi quem velit salvari; et ideo rogandus est, ut velit, quia necesse est fieri, si [h] voluerit. Non est enim credendus Omnipotens aliquid voluisse fieri, quod factum non

---

[a] U *congregare.* [b] Z D *Israel.* [c] V *suos.* [d] Ed. add. *quamvis certum sit nobis, non omnes homines salvos fieri.* [e] V om. [f] Z add. *si.* [g] Ita U Z C; ed. om. [h] V *quod.*

---

[1] Loc. cit. [2] Cfr. Abael. loc. cit. [3] Cfr. dist. XLV. [4] August., *Enchirid.* c. 98, n. 25 et c. 95, n. 24 (P L 40, 275, 277).

sit. Sic etiam intelligitur illud [1]: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* non quia nullus hominum est, qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Potest et alio modo illud intelligi, dum tamen credere [a] non cogamur, Omnipotentem aliquid voluisse fieri, factumque non esse, qui sine ullis ambiguitatibus, si [b] in caelo et in terra, sicut Veritas cantat, *omnia quaecumque voluit, fecit,* profecto facere non voluit, quaecumque [c] non fecit [2] ».

Ex his aperte ostenditur, quoniam [d] Deus ea voluntate, quae ipse est, non [e] vult aliquid fieri, quod non fiat, neque non fieri quod fiat.

Cap. III.

Utrum mala Deo volente vel nolente fiant.

417 Ideoque cum constet, omnia bona, quae fiunt, eius fieri voluntate, quae si fieri nollet, nullatenus fierent, recte quaeri solet: Utrum et omnia mala, quae fiunt, id est peccata, fiant [f] voluntate Dei, an eo nolente fiant.

Super hoc diversi, varie [g] sentientes, sibi contradicere inveniuntur. Alii enim dicunt, quod Deus vult mala esse vel fieri, non tamen vult mala [3]. Alii vero, quod nec vult mala esse nec [h] fieri. In hoc tamen conveniunt et hi et illi, quod utrique fatentur, Deum mala non velle. Utrique vero auctoritatibus et rationibus innituntur ad muniendam suam assertionem.

418 Qui enim [i] [4] dicunt, Deum mala velle esse vel fieri, suam his modis muniunt intentionem [k]. Si enim, inquiunt, mala non esse vel non [l] fieri vellet, nullo modo essent vel fierent, quia, si vult ea non esse vel non [m] fieri, et non potest id efficere, scilicet [n] ut non sint vel [o] fiant, voluntati eius et potentiae aliquid resistit, et non

---

[a] D *credamus,* et om. *non cogamur.* [b] A B *sive;* D om. [c] V A B C *quodcumque.* [d] Ed. *quod.* [e] D om. [f] B om. [g] Z *diversa.* [h] V B *vel.* [i] B *autem.* [k] A D *assertionem.* [l] V B om. [m] V B om. [n] D om. [o] Ed. cum C add. *non.*

---

[1] Ioan. 1, 9. [2] Aug. loc. cit. c. 103, n. 27 (P L 40, 280). [3] Cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 4, c. 13 (P L 176, 239). [4] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 13 (P L 176, 66).

est omnipotens, quia non potest omne quod vult, sed impotens [a]; sicut et nos sumus, qui quod volumus quandoque non valemus. Sed quia omnipotens est et in nullo [b] impotens, certum est, non posse fieri mala vel esse, nisi eo volente. Quomodo enim, eo invito et nolente, posset ab aliquo malum fieri, cum scriptum sit: *Voluntati eius quis resistit?*

Supra etiam dixit Augustinus [1]: « Quia necesse est fieri, si voluerit ». Sed vult mala fieri, aut non fieri; si vult non fieri, non fiunt; fiunt autem; vult igitur fieri.

Item, bonum est mala esse vel fieri, alioquin summe bonus non permitteret ea fieri.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [2]: « Quamvis ea, inquit, quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sunt bona, tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotenti Bono [c], cui proculdubio quam facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse, non sinere. Haec [d] nisi credamus, periclitatur nostra confessio, qua nos in Patrem omnipotentem credere confitemur ».

Ecce hic aperte habes, quod bonum est mala esse, omnis boni autem Deus auctor est, qui vult, omne bonum esse quod est. Cum ergo bonum sit mala fieri vel esse [e], et vult mala esse vel fieri. His atque aliis huiusmodi [f] rationibus et auctoribus utuntur qui dicunt, Deum mala esse vel fieri velle [g].

Illi vero, qui dicunt, Dei voluntate mala non fieri vel non 419
esse, inductionibus praemissis ita respondent dicentes, Deum nec velle mala fieri [h], nec velle non fieri vel nolle fieri [i], sed tantum non velle [k] fieri. Si enim vellet ea fieri vel esse, faceret ea utique fieri vel esse, et ita esset auctor malorum; non est autem auctor malorum, ut Sanctorum protestantur auctoritates; non ergo eius voluntate mala fiunt.

---

[a] Ed. et B add *est.* [b] U add. *est.* [c] D *Deo.* [d] Ed. cum B *hoc.* [e] Ed. add. *ergo.* [f] Z om. [g] B hic addit notam collateralem: Gregorius *Super Genesim:* Deus alia concedit propitius, alia permittit iratus, atque quae permittit sic tolerat, ut in usum consilii vertat. Unde fit, ut quod fit sive eius vel Dei voluntate agitur, voluntati contrarium [non sit]. Unde: *Magna opera Domini, exquisita.* [h] Z add. *vel Deum.* [i] D om. *vel nolle fieri.* [k] D add. *non.*

---

[1] *Enchirid.* c. 103, n. 27 (PL 40, 280). Cfr. Abael. loc. cit. ad cap. 1 huius distinctionis. [2] Cap. 96, n. 24 (PL 40, 276).

Item, si nollet mala fieri vel vellet non fieri, et tamen fierent, omnipotens non esset, cum eius voluntas humanae voluntatis effectu impediretur. Ideoque non concedunt, Deum velle mala fieri, ne malorum auctor intelligatur; nec concedunt, eum velle mala non fieri vel nolle fieri, ne impotens [a] videatur; sed tantum dicunt, eum non velle mala fieri [b], ut non auctor, sed permissor malorum monstretur [1].

Unde et Evangelista, ubi ostendit, Deum auctorem esse omnium bonorum, dicens [2]: *Omnia per ipsum facta sunt,* consequenter malorum auctorem esse [c] negat, dicens: *Et sine ipso factum est nihil,* id est peccatum.

Non dixit, per eum factum esse, vel eo nolente et invito, sed tantum sine eo, id est sine eius voluntate, quia non eius voluntate fit peccatum. Non ergo Deo [d] volente vel nolente, sed non volente fiunt mala, quia non subest voluntati Dei, ut malum fiat vel non fiat, sed ut fieri sinat, quia bonum est sinere mala fieri; et utique volens sinit, non volens mala, sed volens sinere [e], ut illa fiant; quia nec mala sunt bona, nec ea fieri vel esse bonum est.

Cap. IV.

Quomodo intelligendum sit illud Augustini: Mala fieri bonum est.

420 Quod vero [f] Augustinus [3] ait: « Mala fieri bonum est, nec sinerentur mala ab omnipotenti Bono fieri, nisi hoc esset bonum, ut ea essent »; ea ratione dictum esse asserunt, quia ex malis, quae fiunt, Deus bona elicit; nec ipse permitteret ea fieri, nisi de eis aliquid boni [g] faceret.

Unde Augustinus in eodem libro *Enchiridion* [h 4], aperte indicans, praedictorum verborum talem esse intelligentiam, ait: « Deus omnipotens, cui rerum summa est potestas, cum summe bonus sit, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut benefaceret etiam de malo ».

Item in eodem [5]: « Melius iudicavit Deus de malis bona facere, quam mala nulla permittere ».

---

[a] Ed. add. *esse.* [b] V om. [c] D om. [d] Z om. [e] Z add. *sinit.* [f] Z *ergo.* [g] V Z B D *bene.* [h] U om.

[1] Hugo, loc. cit. [2] Ioan. 1, 3. [3] *Enchirid.* c. 96, n. 24 (P L 40, 276). [4] Cap. 11, n. 3 (P L 40, 236). [5] Cap. 27, n. 8 (P L 40, 245).

Ex hoc itaque sensu dictum est ac verum est, bonum esse mala fieri, quia ex malis, quae fiunt, bonis *qui secundum propositum vocati sunt Sancti* [1], accedit [a] bonitas, id est utilitas. Talibus enim, ut ait Apostolus [2], *in bonum cooperantur omnia*, etiam mala, quia eis prosunt, quae aliis facientibus obsunt.

Unde etiam aliquando in Scriptura legitur, malum appellari [b] bonum, ut [c] Hieronymus [d] *Super Marcum* [3]: Malum, inquit, Judae bonum fuit, scilicet nobis. Nec si [e] bonum est illi vel illi [f], inde sequitur, quod simpliciter bonum sit. Proprie autem [g] ac simpliciter bonum est, quod in se et facienti bonum est.

Cap. V.

De multiplici acceptione boni.

Est enim [h] aliquid, quod in se bonum est et cui fit, sed non 421
est bonum facienti, ut cum subvenitur pauperi, sed non propter Deum; et [i] aliquid bonum in se et facienti, sed non ei cui fit, ut cum veritas praedicatur alicui propter Deum non obedienti; et [k] aliquid [l] in se et facienti et ei [m] cui fit bonum, ut cum veritas praedicatur propter Deum credenti.

Unde Apostolus [4]: *Bonus odor sumus Deo, aliis odor vitae, aliis odor mortis.*

Est autem [n] aliud, quod nec in se bonum est, et facienti [o] nocet et damnat, nisi poeniteat, ut malum; valet tamen [p] ad aliquid.

Ut enim [q] Augustinus ait in *Enchiridio* [5]: « A summe et aequaliter et incommutabiliter [r] bona Trinitate creata sunt omnia nec immutabiliter bona nec summe nec aequaliter; sed tamen bona etiam singula. Simul vero universa valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulcritudo; in qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum et [s] loco suo positum, emi-

---

[a] Ed. *accidit.* [b] Z *operari.* [c] A C D *unde.* [d] U add. *ait.* [e] V om. [f] D add. *tamen.* [g] Ita U; V *vero;* Z om.; ed. *enim.* [h] D *autem.* [i] Ed. add. *est.* [k] Ed. add. *est.* [l] Z add. *bonum.* [m] B D om. [n] D om. [o] U *facientem,* om. *nocet et.* [p] B *enim.* [q] B om. [r] Ita U; ed. *immutabiliter.* [s] V add. *in.*

---

[1] Rom. 8, 28. [2] Ibid. [3] Cap. 14 (PL 30, 631)*. Commentarius ille non est S. Hieronymi. [4] II. Cor. 2, 15 et 16. Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 4, c. 17 (PL 176, 241). [5] Cap. 10 et 11, n. 3 (PL 40, 236).

nentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint [a], dum comparantur malis ».

Cap. VI.

Quod mala universitati valent.

422 Hinc [b] patet, quod ex malis quae fiunt, aliquod [c] provenit bonum, dum bona magis placent et laudabiliora existunt. Ipsis etiam facientibus, ex malis quae faciunt, interdum bona veniunt [d], si *secundum propositum vocati sunt Sancti.*

« Talibus enim, ut ait Augustinus in libro *De correptione et gratia* [1], usque adeo Deus omnia cooperatur in bonum, ut, si qui eorum deviant et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores », ut Petrus [2].

« Illa etiam mala, quae ab iniquis fideles pie perferunt, ut ait Augustinus in libro *De Trinitate* [3], ipsis utique prosunt vel ad demenda [e] peccata, vel ad exercendam probandamque iustitiam, vel ad demonstrandam huius vitae miseriam ».

Ideoque et Iob [4] Dei manum, et Apostolus [5] satanae stimulum sensit; et uterque [f] profecit, quia malum bene portavit.

423 Si quis igitur [g] diligenter attendat [h] quae scripta sunt, facile est ei percipere, ex malis bona provenire, et ex ea ratione dictum esse, quod bonum est mala fieri vel esse, non quia malum sit bonum, vel quia bonum sit malum fieri. Non est enim bonum malum fieri ab aliquo, quia non est bonum, ut aliquis faciat malum: si enim hoc esset bonum, profecto huius Deus auctor esset, qui est auctor omnis boni. Quodsi huius auctor est Deus, eo ergo auctore homo agit malum, et ita eo auctore [i] homo fit deterior. Et si eo auctore homo fit deterior, tunc eo volente homo fit deterior — idem est enim dicere aliquid fieri Deo auctore, quod Deo volente — Deo autem auctore non fit homo deterior; ergo nec Deo volente, ut Augustinus in libro *83 Quaestionum* [6] aperte

---

[a] B *fiant;* D om. *et laudabiliora sint.* [b] V *sicut.* [c] U *aliquando.* [d] Ed. *proveniunt;* B *eveniunt;* V om. [e] Ed. cum U *delenda.* [f] Ed. add. *bene.* [g] V om. [h] Z *intendat.* [i] Z om. *homo a. m. e. i. e. auctore.*

---

[1] Cap. 9, n. 24 (PL 44, 930). [2] Luc. 22, 61 et 62. [3] Libr. XIII, c. 16, n. 20 (PL 42, 1030). [4] Cap. 19, 21, et c. 42. [5] Cfr. II. Cor. 12, 7. [6] Quaest. 3 (PL 40, 11) *.

astruit a minori, dicens ita: « Nullo sapiente homine auctore fit homo deterior; tanta est enim ista culpa, quod [a] in sapientem hominem cadere nequeat; est autem Deus omni homine sapiente praestantior; multo minus igitur Deo auctore fit homo deterior: multo enim est praestantior Dei voluntas, quam hominis sapientis; illo autem auctore cum dicitur, illo [b] volente dicitur; est ergo vitium voluntatis, quo est homo deterior. Quod vitium, si longe abest [c] a Dei voluntate, ut ratio docet, a quo sit, quaerendum est ».

Ecce hic Augustinus dicit [d] aperte, Deo auctore vel volente hominem non fieri deteriorem, sed vitio voluntatis suae. Non est ergo Deo auctore, quod malum fit ab aliquo; et ita Deo volente, mala non fiunt.

Cap. VII.

Quod in Deo non est causa, ut sit homo deterior.

Deinde idem Augustinus [1] quaerens, quae [e] sit causa, ut 424
sit homo deterior, in Deo non esse asserit, in eodem libro sic dicens: « Ut sit homo deterior, aut in ipso [f] est, aut in alio, aut in nihilo. Si in nihilo, nulla causa est; si in alio, aut in Deo, aut in aliquo [g] quolibet homine, aut in eo quod neque est homo, neque Deus. Sed non in Deo: bonorum enim Deus tantum causa est; ergo aut in homine [h], aut in eo quod nec Deus nec homo [i], aut in nihilo ».

Ex his aperte ostenditur, quod non est bonum, ut sit [k] homo deterior, quia non est Deus huius rei causa, qui tantum causa bonorum est. Et si non est bonum, ut [l] homo fiat deterior, non est igitur bonum, ut ab eo fiat malum; non igitur vult Deus, ut ab eo fiat malum.

Item aliter etiam [m] ostenditur, quod Deo auctore, id est vo- 425
lente, non fiunt mala, quia ipse non est causa tendendi ad non-esse: tendere enim ad non-esse malum est; Ipse autem auctor mali non est; tendit vero ad non-esse qui operatur malum; non ergo Deo

---

[a] Ita U Z D; ed. *quae.* [b] V add. *enim.* [c] B *est.* [d] B *docet.* [e] Z *quid.* [f] Ed. add. *causa.* [g] Ita omnes codd., ed. *alio.* [h] Ita U D; ed. add. *est.* [i] U *neque Deus est neque homo est.* [k] D *quo fit,* pro *ut sit.* [l] V *quod.* [m] Z om.

[1] Ibid. q. 4.

auctore est, quod aliquis operatur malum; non est ergo bonum, quod aliquis operatur malum, quia tantum boni Deus auctor est.

Hoc autem in eodem libro [1] Augustinus aperte explicat ita dicens: « Qui [a] omnium quae sunt, auctor est, et ad cuius bonitatem id pertinet ut sit omne quod est, boni [b] tantummodo causa est. Quocirca mali auctor non est, et ideo ipse summum bonum est, a quo in nullo deficere bonum est, et malum est deficere; non est igitur causa deficiendi, id est tendendi ad non-esse, qui, ut ita dicam, essendi causa est; quia [c] omnium quae sunt, auctor est, quae in quantum sunt, bona sunt ».

Ecce aperte habes, quod deficere a Deo, qui est summum bonum, malum est; mala ergo facere, malum est; non ergo Deo auctore vel volente mala fiunt. Iam sufficienter ostensum est, quod Deo auctore non fiunt mala.

426 Quidam tamen sophistice incedentes, et ideo *Deo odibiles* [2], probare conantur, ex Deo auctore esse, quod [d] mala fiunt, hoc modo. Quod mala fiunt, verum est; omne autem verum quod est, est a veritate quae Deus est; a Deo igitur est, quod mala fiunt.

Quod autem omne verum a Deo sit, confirmant auctoritate Augustini in libro *83 Quaestionum* [3] ita dicentis: « Omne verum a veritate verum est; est autem veritas Deus; Deum igitur habet auctorem omne verum »; est autem verum, quod mala fiunt vel sunt; ergo Deo auctore est, quod sunt vel fiunt mala.

Quibus facile est nobis [e] respondere; sed indignum [f] videtur responsione quod dicunt.

« Omne namque verum a Deo est », ut ait Augustinus, cui consonat Ambrosius [4], qui tractans illud verbum Apostoli: *Nemo post dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*, dicit, quod « omne verum, a quocumque dicitur, a Spiritu sancto est ». Cum itaque verum sit, quod mala fiunt, hoc verum, quod dicitur illa locutione, scilicet [g] mala fiunt, a Deo est [h], sed non inde sequitur, quod [i] a Deo sit, ut mala fiant: si enim [k] hoc diceretur, auctor malorum Deus esse intelligeretur. Quod ex [l] simili mani-

---

[a] V *Deus.* [b] V *bonitati.* [c] U *qui.* [d] V *quae.* [e] Z om. [f] B add. *nobis.* [g] D om. [h] A *locutione a Spiritu sancto est,* pro *locutione s. m. f. a. D. est.* [i] U *ut.* [k] B *autem.* [l] Z *a.*

---

[1] Quaest. 21 (PL 40, 16)*. [2] Respic. Eccli. 37, 23. [3] Quaest. 1 (PL 40, 11)*. [4] *In Epist. I ad Cor.* c. 12, 3 (PL 17, 245)*.

feste falsum ostenditur: Deus prohibet fieri furtum; sed fieri furtum verum est; ergo prohibet verum. Non sequitur.

Haec igitur et alia huiusmodi inania relinquentes, praemissae quaestionis parti saniori faventes, quae Sanctorum testimoniis plenius approbatur, dicamus, Deum non velle mala fieri, non tamen velle non fieri, neque nolle fieri: omne enim quod vult fieri, fit, et omne quod vult non fieri, non fit. Fiunt autem multa, quae non vult fieri, ut omnia mala.

DISTINCTIO XLVII.

Cap. I.

Quod voluntas Dei de homine impletur, quocumque se vertat.

Voluntas quippe Dei semper efficax est, ut fiat omne quod 427
velit, et nihil fiat quod nolit; quae de homine semper impletur, quocumque se vertat. Nihil enim, ut ait Augustinus [1], in libero arbitrio constitutum superat voluntatem Dei; etsi faciat contra vo- voluntatem eius, tamen contra voluntatem eius, quae ipse est, nihil putandum est ita fieri, tanquam velit fieri, et non fiat; vel nolit fieri et fiat.

Illa enim voluntas, ut ait Augustinus in *Enchiridio* [2], semper impletur aut de nobis, aut a nobis. De nobis impletur, sed tamen non implemus eam, quando peccamus. A nobis impletur, quando bonum facimus: ideo enim facimus, quia scimus placere Deo. Ita [a] de homine semper Deus suam implet voluntatem, quia nihil facit homo, de quo Deus non operetur quod vult. Non enim vult Deus, ut peccet homo quilibet; si autem peccaverit, poenitenti vult parcere, ut vivat; in peccatis vero [b] perseverantem punit [c], ut iustitiae potentiam contumax non evadat. Sicut alios ab aeterno praeparavit ad poenam [d], alios praeparavit ad gloriam.

---

[a] Ed. add. *et.* [b] V om. [c] Ed. *punire.* [d] Ed. add. *ita.*

---

[1] *Enchirid.* cc. 95, 96 et 100 (PL 40, 276 et sqq.)*. [2] Cap. 100 et 101*. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 13 (PL 176, 66); Abael. III. *Introd.* cc. 4 et 5 (PL 178, 1193 et seq.).

428 « Et haec sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius* [1], et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod illa voluit fecisset, etiam per eandem creaturae voluntatem, qua factum est quod Creator non voluit [a], impleret ipse quod voluit, bene utens etiam malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem quos iuste praedestinavit ad poenam, et ad eorum salutem quos benigne praedestinavit ad gloriam [b]. Quantum enim [c] ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt; quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id facere valuerunt. Hoc quippe ipso, quod contra eius voluntatem fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. Propterea namque *magna opera Domini, exquisita sunt* [d] *in omnes voluntates eius,* ut miro et ineffabili modo non fiat praeter eius voluntatem, quod etiam fit contra eius voluntatem; quia non fieret, si non sineret, nec utique nolens sinit, sed volens; nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens et de malo posset facere bene [e] [2] ». His verbis evidenter monstratur, quod voluntas Dei aeterna semper impletur de homine, etiam si faciat homo contra Dei voluntatem.

429 Sed attendendum est diligenter, quomodo in superioribus dicitur, fieri aliquid contra Dei voluntatem, quod tamen non fit praeter eam; et qualiter intelligendum sit illud: « Quantum ad se, fecerunt quod Deus noluit; quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id facere valuerunt ». Videntur enim ista superioribus [3] obviare, ubi dictum est: *Voluntati eius nihil resistere* [f].

Verum, ut supra [4] diximus, voluntas Dei diversis modis accipitur, quae diversitas in praedictis verbis si diligenter notetur, nihil ibi contradictionis reperietur [g]. Ubi enim dicit, « non fieri praeter eius voluntatem, etiam quod fit contra eius voluntatem [h] », dissimiliter accepit voluntatem, et non ipsam voluntatem, quae Deus est et sempiterna est, sed eius signa [i] praedictis verbis intelligi voluit, id est prohibitionem sive praeceptionem et permissionem.

---

[a] V add. *ut.* [b] Ed. *gratiam.* [c] D *autem.* [d] Ed. et B om. [e] B *bonum.* [f] D add. *potest.* [g] Ed. *reperitur.* [h] B om. *etiam q. f. c. e. voluntatem.* [i] C add. *et voluntatem.*

---

[1] Psalm. 110, 2. [2] *Enchirid.* c. 100, n. 26 (P L 40, 279). [3] Dist. XLVI. [4] Dist. XLV, c. 6.

Cap. II.

Ex quo sensu quaedam dicuntur fieri contra Dei voluntatem.

Multa enim fiunt contra Dei praeceptum vel [a] prohibitionem, 430
quae tamen non fiunt praeter eius permissionem. Ipsius namque permissione omnia fiunt mala, quae tamen praeter eius voluntatem sempiternam fiunt.

Sicut Augustinus dicit super illum locum Psalmi [1]: *Ut non loquatur os meum opera hominum.* Opera enim hominum dicit ea quae mala sunt, « quae praeter Dei voluntatem fiunt », quae ipse est, sed non praeter eius permissionem, quae ipse non est; appellatur tamen ipsa Dei voluntas, quia Deus [b] volens sinit mala fieri. Fiunt et contra eius praeceptionem vel prohibitionem, sed non contra eius voluntatem, quae ipse est, nisi dicantur contra eam fieri, quia praeter eam fiunt: contra eam quippe nihil ita fit, ut velit fieri, et non fiat, vel nolit fieri et fiat.

Quod evidenter [c] ibi Augustinus notavit [2], ubi ait: « Quan- 431
tum ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt; quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id facere valuerunt »; ac si diceret: Fecerunt contra Dei praeceptum, quod appellatur voluntas, sed non fecerunt contra Dei voluntatem [d] omnipotentem, quia hoc non valuerunt, illud [e] valuerunt; et ita per hoc quod fecerunt contra Dei voluntatem, id est praeceptum, de ipsis facta est voluntas eius; id est, impleta est voluntas eius sempiterna, qua eos damnari volebat.

Unde Gregorius *Super Genesim* [f 3]: « Multi voluntatem Dei peragunt, unde mutare contendunt, et consilio eius resistentes obsequuntur; quia hoc eius dispositioni militat, quod [g] per humanum studium resultat ».

Hic aperte ostenditur, quia dum mali, consilio ac praecepto Dei resistunt, quod Dei voluntas appellatur, ea faciunt unde vo-

---

[a] V A B C add. *contra.* [b] B om [c] U *evidentissime.* [d] B add. *id est.* [e] B add. *autem.* [f] Ed. *Iob.* [g] Z add. *etiam.*

---

[1] *Enarrat. in Psalm.* 16, 4 (P L 36, 146). [2] Vide pag. 288, notam 4. [3] *Moral.* VI. c. 18, n. 28 (P L 75, 745) *.

luntas eius, quae ipse est, impletur [a], quae dispositio vel beneplacitum [b] vocatur [c].

« Nam, ut ait Augustinus in *Enchiridio* [1], quantaelibet sint voluntates Angelorum vel hominum, bonorum vel malorum, vel illud quod Deus [d] vel aliud volentium quam Deus [e], Omnipotentis voluntas semper invicta est, quae mala esse nunquam potest, quae etiam, dum mala irrogat, iusta est; et profecto quae iusta est, mala non est. Deus igitur omnipotens, sive per misericordiam *cuius vult misereatur*, sive per iudicium *quem vult induret* [f] [2], nec inique aliquid [g] facit, nec nisi volens quidquam facit, et omnia quaecumque vult, facit ».

Cap. III.

Quare praecipit Deus omnibus bona facere et mala vitare, si non id ab omnibus vult impleri.

432 Ex praedictis liquet, quod voluntas Dei, quae ipse est, semper invicta est, nec in aliquo cassatur, sed per omnia impletur. Consilium vero eius atque praeceptio sive prohibitio non ab omnibus [h] implentur, quibus proposita et data sunt. Neque ideo praecepit omnibus bona vel prohibuit mala vel consuluit optima, quod vellet ab omnibus bona quae praecepit fieri, vel mala quae prohibet [i] vitari — si enim vellet, utique et fierent, quia in nullo superari potest ab homine vel impediri eius voluntas — sed ut iustitiam suam hominibus ostenderet, et mali essent inexcusabiles; denique, ut [k] boni ex obedientia gloriam, mali ex inobedientia poenam sortirentur, sicut utrisque ab aeterno praeparavit. Ea igitur, quae omnibus praecepit vel prohibuit, a quibusdam voluit fieri vel vitari, sed non ab omnibus; et quaedam personaliter praecepit et [l] in veteri [m] et in nova Lege, quae ab eis quibus praecepit, fieri noluit, ut Abrahae de immolatione filii, et in Evangelio [3] quibusdam curatis, quibus [n] praecepit, ne cui dicerent.

---

[a] B *adimpletur*. [b] U add. *eius*. [c] Z *appellatur*. [d] B add. *est volunt.* [e] V *Dei*. [f] Ita U; ed. *obduret*. [g] B add. *agit vel*. [h] V *hominibus*. [i] Ed. *prohibuit*. [k] V *vel*. [l] B *ut*. [m] B add. *Testamento*. [n] Z om.

---

[1] Cap. 102, n. 26 (PL 40, 280). [2] Allud. ad Rom. 8, 18. [3] Vide dist. XLV, c. 7, notas 7 et 8, pag. 276.

DISTINCTIO XLVIII.

Cap. I.

Quod homo aliquando bona voluntate aliud vult quam Deus, et mala idem quod Deus.

Sciendum quoque est, quod aliquando est mala voluntas ho- 433
minis, idem volentis quod Deus vult fieri; et aliquando bona est voluntas hominis, aliud volentis quam Deus. Ut enim bona sit hominis voluntas, oportet attendere, quid congruat ei velle et quo fine: tantum enim interest inter voluntatem Dei et voluntatem hominis, ut in quibusdam aliud congruat Deo velle, aliud homini.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [1]: « Aliquando, inquit, bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult bona multo amplius multoque certius voluntate — nam ipsius mala voluntas esse nunquam potest — tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem, velit etiam hoc Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus, iste vero id vult quod vult et Deus; et tamen bonae Dei voluntati [a] pietas illius potius consonat, quamvis aliud volentis, quam huius idem volentis impietas. Multum enim interest, quid velle homini, quid Deo congruat, et ad quem finem quisque suam referat voluntatem, ut approbetur vel improbetur [b] ».

Potest enim [c] velle bonum, quod non congruit ei velle; et potest velle bonum, quod congruit, sed non refert ad rectum [d] finem, et ideo non est bona voluntas.

Cap. II.

Quod Dei voluntas per malas hominum voluntates impletur.

Illud quoque non est praetermittendum, quod aliquando Dei 434
voluntas bona per malam hominis voluntatem impletur, ut in crucifixione Christi factum est, quem Deus bona voluntate mori vo-

[a] D add. *Dei.* [b] Z *reprobetur.* [c] B *ergo.* [d] B *debitum.*

[1] Cap. 101, n. 26 (PL 40, 279).

luit, Iudaei vero impia voluntate eum crucifixerunt [1]. Et volebant Iudaei mala voluntate quiddam, quod Deus bona voluntate volebat, scilicet ut Christus pateretur [a], moreretur; sed volebant et aliquid aliud, quod Deus non volebat, scilicet occidere Christum, quod fuit mala actio et peccatum. Actum quippe [b] Iudaeorum non voluit Deus, passionem vero Christi voluit, sicut [c] in Psalmo [2] Christus ad Patrem ait: *Tu cognovisti sessionem meam* [d], « id est, voluisti et approbasti passionem meam [3] »: Tibi enim placuit. Voluit itaque tota Trinitas, ut Christus pateretur, nec tamen voluit, ut Iudaei occiderent; quia voluit poenam Christi, sed non voluit culpam Iudaeorum, nec tamen noluit: si enim noluisset, nec fuisset [e].

435 Sed ad hoc [f] opponitur sic [4]: Si voluit Deus, ut Christus pateretur, voluit utique, ut pateretur a Iudaeis, vel non. Si voluit ut non pateretur a Iudaeis, cum passus sit, factum est itaque quod voluit Deus non fieri. Si autem [g] voluit eum pati a Iudaeis, ergo voluit eum occidi a Iudaeis; voluit itaque ut Iudaei occiderent eum.

Ad quod respondentes dicimus, simpliciter concedendum esse, quod Deus voluit Christum pati [h], mori, quia eius passio bonum [i] fuit et causa nostrae salutis. Cum autem dicitur: Volebat eum pati vel occidi a Iudaeis, hic distinguendum est. Si enim intelligitur sic: Volebat eum sustinere passionem sive crucifixionem a Iudaeis illatam, verus est sensus. Si vero intelligitur sic: Volebat, ut Iudaei occiderent eum, falsum est; non enim volebat Deus actionem Iudaeorum, quae mala erat, sed volebat passionem bonam [k]; et haec voluntas [l] per malas Iudaeorum voluntates impleta est.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [5]: « Deus quasdam voluntates suas, utique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas, sicut per malevolos Iudaeos, bona voluntate Patris, Christus pro nobis occisus est; quod tantum bonum fuit, ut Apostolus Petrus [6], quando id fieri nolebat, *satanas* ab ipso qui occisus est, diceretur ».

Ecce manifeste habes, magnum [m] bonum fuisse, quod Christus occisus est; et hoc bonum quia Petrus nolebat, ideo redargutus est.

---

[a] Ed. add. *et.* [b] D *vero.* [c] Ed. add. *et.* [d] Z om. [e] D *fecissent.* [f] B *adhuc,* pro *ad hoc.* [g] B *enim;* A C *ergo.* [h] Ed. add. *et.* [i] V *bona.* [k] C *suam.* [l] U add. *bona.* [m] Z *summum.*

---

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 13 (P L 176, 66). [2] Psalm. 138, 2, et August. *Enarrat.* in hunc Psalm. n. 4 (P L 37, 1786). [3] August. *Enchirid.* c. 101, n. 26 (P L 40, 279) *. [4] Cfr. Hugo, loc. cit. [5] Loc. cit. [6] Respic. Matth. 16, 23.

Cap. III.

Utrum placuerit viris sanctis, quod Christus pateretur et moreretur.

Ex quo solvitur quaestio, qua quaeri solet, utrum viris sanctis 436
placere debuerit, quod Christus pateretur vel occideretur. Debuit enim eis placere intuitu nostrae redemptionis, sed non intuitu eius cruciatus. Voluerunt ergo ac vehementer cupierunt, Christum mori propter liberationem hominis et impletionem divinae voluntatis; sed non voluerunt delectatione [a] ipsius afflictionis. De eodem ergo laetabantur [b] et tristabantur, sed [c] ob aliud gaudebant et propter aliud dolebant. Volebant igitur mori Christum pro hominis redemptione, et tamen de morte ipsius, diversis de causis, corda eorum varie movebantur.

Cap. IV.

Utrum passiones Sanctorum debeamus velle.

Si vero quaeritur, utrum eodem modo sentiendum sit de pas- 437
sionibus et martyriis Sanctorum, dicimus, aliquam esse differentiam inter passionem capitis et membrorum. Christi namque passio causa est nostrae salutis, quod non est passio alicuius Sancti. Nullius enim passione redempti sumus nisi Christi. Profuerunt quidem non modo eis qui passi sunt, verum etiam aliis fidelibus eorum passiones; verumtamen nostra redemptio non sunt: hoc enim illius sola passio potuit, qui Deus est [d] et homo. Illius ergo [e] passionem credentium piae mentes voluerunt et optaverunt fieri, sicut futuram credebant; passiones vero Sanctorum possumus velle et nolle, et utrumque bona voluntate, si rectos nobis proponamus fines. Cui enim placuit Pauli passio eo fine, quia praemium eius per hoc auctum et paratum cernebat, bonam videtur habuisse voluntatem, quae voluntati eius congruebat, qua *cupiebat dissolvi et esse cum Christo* [1]. Qui autem voluit, eum declinare passionem

---

[a] D *dolorem;* C *dilectione.* [b] B *delectabantur,* et om. *ergo.* [c] U *et.* [d] Z om. [e] C *enim.*

---

[1] Phil. 1, 23.

et effugere manus iniquorum, compassione pietatis, et ille bonam habuit voluntatem.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [1]: « Bonae apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant Apostolum Paulum Ierusalem pergere, ne ibi pateretur mala, quae Agabus propheta praedixerat [2]. Et tamen hoc illum Deus pati volebat pro annuntianda fide Christi, exercens martyrem Christi; neque bonam voluntatem suam ipse implevit per Christianorum voluntates bonas, sed per Iudaeorum malas; et ad eum potius pertinebant [a] qui nolebant quod volebat, quam illi per quos volentes factum est quod volebat, quia id ipsum mala voluntate fecerunt, quod Deus bona voluntate voluit ».

438 Ita et in passione Christi factum est. Quod enim Deus voluit, hoc idem [b] Iudas, Iudaeus et diabolus, sed illi mala voluntate, Deus vero [c] bona voluntate, scilicet ut Christus moreretur. Verumtamen illi actum voluerunt, quem Deus non voluit.

HIC FINITUR

LIBER PRIMUS DE MYSTERIO TRINITATIS [d].

---

[a] Z add. *illi.* [b] B add. *voluit.* [c] D om. [d] Ita U V A C; B *Explicit. liber primus;* Z D om.

---

[1] Loc. cit. [2] Cfr. Act. 21, 10. seqq.

LIBER SECUNDUS

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI [a].

Distinctio I.

Cap. I. Quod unum est principium rerum, non plura.
» II. Quid sit creare, quid facere.
» III. Secundum quam rationem dicuntur de Deo huiusmodi verba: agere, facere [b].
» IV. Quare rationalis creatura facta sit, id est homo vel Angelus.
» V. Quomodo dicitur homo factus propter reparationem angelici casus.
» VI. Quare ita homo sit institutus, ut unita anima corpori sit.

---

[a] Quoad initium huius secundi libri, magna est in codicibus varietas, quam hic subiicere liceat.

In U ponitur sic: *Incipiunt capitula libri secundi de rerum creatione et formatione corporalium et spiritualium et aliis pluribus eis* [sic] *pertinentibus.* Post capitula sequitur: *Quae ad mysterium... creaturarum transeamus.* Deinde rubrica: *Explicit prologus;* et illico sequitur textus libri: *Creationem rerum insinuans* etc.

In V sic habetur: *Incipit liber secundus de rerum... eis pertinentibus. Quae ad mysterium... transeamus. Incipiunt capitula in secundo libro Sententiarum de rerum... eis pertinentibus.* Post elenchum capitulorum sequitur: *Creationem rerum insinuans* etc.

In Z ita legitur: *Incipit liber secundus de rerum... pluribus pertinentium* [sic]. *Incipiunt capitula.* Post hunc elenchum, qui incompletus remansit, sequitur: *Quae ad mysterium... transeamus. Creationem rerum insinuans* etc.

B ita habet: *Incipit secundus.* Deinde: *Quae ad mysterium... transeamus.* Hic sequitur rubrica: *Hic incipit liber secundus de rerum... et aliis pluribus.* Tandem textus: *Creationem rerum insinuans* etc. Capitula quatuor librorum ad finem quarti libri ponuntur, uti notavimus (pag. 3 nota *k*).

In D ita habetur: *Incipiunt capitula secundi libri.* Quo elencho finito, sequitur: *Incipit liber secundus de rerum .. et aliis pluribus. Quae ad mysterium.. transeamus. Creationem rerum insinuans* etc.

Auctoritati igitur antiquissimorum et meliorum codicum innitentes, prologum huius secundi libri Sententiarum post elenchum capitulorum ponimus, ordinem in prima editione nostra servatum, invertendo.

[b] D om. *agere, facere.*

Distinctio II.

Cap. I. De Angelis, quando [a] facti sunt [b].
» II. Quod nihil factum est ante caelum et terram.
» III. Quod simul cum tempore et cum mundo coepit spiritualis creatura et corporalis.
» IV. Ubi Angeli mox creati fuerint.
» V. Quod simul creata est visibilium [c] materia et invisibilium natura et utraque informis.
» VI. Quomodo dixerit Lucifer: Ascendam in caelum.

Distinctio III.

Cap. I. Quales facti fuerint Angeli.
» II. An omnes Angeli fuerint aequales in essentia, sapientia, libertate arbitrii.
» III. Quae communia et aequalia habuerunt Angeli.
» IV. An boni vel mali creati sint [d], et an aliqua mora fuerit [e] inter creationem et lapsum.
» V. De triplici sapientia [f] Angelorum ante casum vel confirmationem.
» VI. An aliquam habuerint Dei [g] dilectionem vel sui [h] ante casum.

Distinctio IV.

Cap. unicum. An perfecti et beati creati sint, an miseri et imperfecti.

Distinctio V.

Cap. I. De confirmatione et conversione stantium, et aversione et lapsu cadentium.
» II. De libero arbitrio breviter tangitur.
» III. An aliquid datum fuerit stantibus, quo converterentur.
» IV. Qua gratia indigebant Angeli [i], et qua non.
» V. An lapsis sit imputanda aversio.
» IV. Utrum beatitudinem [k], quam acceperunt in confirmatione stantes, meruerunt [l] per aliquam tunc appositam gratiam.

Distinctio VI.

Cap. I. Quod de maioribus et minoribus quidam ceciderunt, inter quos unus fuit [m] celsior, scilicet Lucifer.
» II. Unde et quo deiecti sunt.
» III. Quare non est eis concessum habitare in caelo vel [n] in terra.
» IV. De praelationibus [o] daemonum.
» V. An omnes daemones sint in hoc aëre caliginoso, vel in inferno aliqui
» VI. De potestate Luciferi.
» VII. An daemones, semel victi a Sanctis, ultra accedant ad alios [p].

---

[a] V *quomodo*. [b] D om. [c] V *visibilis*, et illico *invisibilis*. [d] D om. [e] Z om. [f] D *scientia*. [g] Z om. [h] Z *suam*. [i] Z om. [k] D *In beatitudine*, om. *utrum*. [l] B add. *tunc*. [m] B om. [n] D om. *in caelo vel*. [o] Z D *praelatione*. [p] Z D add. *vel ad ipsos*.

Distinctio VII.

Cap. I. Utrum boni Angeli possint peccare, vel mali recte vivere.
» II. Quod, cum [a] utrique habeant liberum arbitrium, non tamen ad utrumque flecti possunt [b].
» III. Quod boni post confirmationem liberius habent arbitrium quam ante [c].
» IV. Quod [d] non possunt ex natura peccare, sicut ante.
» V. Quibus modis mali angeli noscant veritatem temporalium rerum.
» VI. Quod magicae artes virtute et scientia diaboli [e] valent, quae est eis a Deo [f].
» VII. Quod malis angelis non servit ad nutum materia [g] visibilium rerum.
» VIII. Quod non sunt creatores, licet per eos ranas magi et alia fecerint; sicut nec boni, etsi per eorum ministerium fiant creaturae.
» IX. Quod solus Deus sic operatur creationem rerum, sicut iustificationem [h] mentis.
» X. Quod angeli mali multa possunt per naturae vigorem, quae non possunt propter Dei prohibitionem.

Distinctio VIII.

Cap. I. Utrum omnes Angeli corporei sint.
» II. De formis, quibus apparuit Deus, et de illis, in [i] quibus Angeli apparent.
» III. Quod Deus in specie, qua Deus est, nunquam apparuit mortalibus [k].
» IV. Quomodo dicuntur daemones intrare in homines.

Distinctio IX.

Cap. I. De ordinum distinctione.
» II. Quid appelletur ordo, et quae [l] sit ratio nominis cuiusque.
» III. Quod nomina illa sumta sunt a donis gratiae, non propter se, sed propter nos eis data.
» IV. Utrum hi ordines ab initio creationis distincti fuerint.
» V. Utrum omnes Angeli eiusdem ordinis sint aequales.
» IV. Quomodo dicat Scriptura, decimum ordinem compleri de hominibus.
» VII. Utrum homines assumantur iuxta numerum stantium vel lapsorum [m].

Distinctio X.

Cap. I. An omnes caelestes spiritus mittantur.
» II. An Michael, Raphael, Gabriel sint nomina ordinum, vel spirituum.

Distinctio XI.

Cap. I. Quod singulae animae habeant Angelum bonum ad custodiam, malum ad exercitium.
» II. Utrum Angeli proficiant in merito et praemio usque ad iudicium.

---

[a] U *Quodcumque;* V D om. *cum.* [b] D *sunt potentes.* [c] D *prius.* [d] U Z B *Qui.* [e] Z *Dei.* [f] V om. *quae e. a Deo.* [g] B *natura.* [h] U V *iustificationes.* [i] D om. [k] B om.; D *hominibus.* [l] D *ut,* pro *et quae.* [m] Ed. cum A add. *spirituum.*

Distinctio XII.

Cap. I. De distinctione operum sex dierum.
» II. Quod alii senserunt omnia simul facta in materia et forma, alii per intervalla temporum.
» III. Quomodo per intervalla temporis [a] res corporales conditae sint.
» IV. Quo sensu tenebrae dicantur esse aliquid, et quo dicantur [b] non esse aliquid
» V. Quare [c] illa materia confusa, sit dicta informis, et ubi ad esse prodiit, et quantumcumque in altum ascenderit [d].
» VI. De quatuor modis divinae operationis [e].

Distinctio XIII.

Cap. I. De primo distinctionis opere.
» II. De luce facta primo die, si spiritualis, an corporalis fuerit.
» III. Ubi facta fuerit.
» IV. Quibus modis accipitur [f] dies.
» V. De naturali ordine computationis [g] dierum, et de illo qui pro mysterio introductus est.
» VI. De intelligentia horum verborum [h]: Dixit Deus.
» VII. Ex quo sensu Pater dicitur operari in Filio, vel per Filium, vel in Spiritu sancto.

Distinctio XIV.

Cap. I. De opere secundae diei, qua factum est firmamentum.
» II. Quod caelum tunc factum debet intelligi.
» III. De qua materia factum sit.
» IV. Quomodo aquae possint esse super caelum, et quales sint.
» V. De figura firmamenti.
» VI. Quare tacuit Scriptura de benedictione operis [i] huius diei.
» VII. De opere tertii diei, quando aquae congregatae sunt in unum [k].
» VIII. Quomodo omnes aquae congregatae sunt in unum locum, cum multa sint maria et flumina.
» IX. De opere quartae diei, qua [l] facta sunt luminaria [m].
» X. Quomodo sit accipiendum illud: Sint [n] in signa et tempora.

Distinctio XV.

Cap. I. De opere quinti diei, quo facta sunt natatilia et volatilia.
» II. De opere sexti diei, quo creata [o] sunt animalia [p] et reptilia terrae [q].

---

[a] Ed. *temporum.* [b] Z D om. [c] Z *utrum.* [d] V C *processerit;* A B *procedit;* Z *descenderit.* [e] Contra omnes codd. ed. om. hoc capitulum. [f] Z *dicitur.* [g] V *compunctionis.* [h] Z add. *per Filium.* [i] D om. [k] Z add. *locum;* D add. *locum, cum multa sint maria et flumina.* [l] Z D *quando.* [m] U V aliud capit. add. *Quare facta sunt luminaria;* quod tamen in corpore textus omittunt. [n] D *ut sint.* [o] Z *facta.* [p] V *nascentia.* [q] Z *caeli.*

Cap. III. De venenosis et noxiis animalibus.
» IV. Utrum minima animalia tunc creata fuerint.
» V. Quare [a] post omnia factus est homo.
» VI. De sententia illorum qui simul omnia facta esse [b] contendunt.
» VII. Quomodo intelligenda sit requies Dei [c].
» VIII. Quomodo accipiendum sit, quod dicitur Deus complesse opus suum septimo die, cum tunc quieverit.
» IX. Quomodo omnia a Deo facta [d], dicantur valde bona.
» X. De sanctificatione septimi diei.

Distinctio XVI.

Cap. I. De hominis creatione.
» II. Qualis factus sit homo.
» III. De imagine et similitudine, ad quam factus est homo.
» IV. Quare [e] homo dicitur imago et ad imaginem, Filius [f] non ad imaginem.

Distinctio XVII.

Cap. I. De creatione animae, an de aliquo facta sit.
» II. De insufflatione [g] et inspiratione Dei, quando facta fuerit anima, an in corpore, an extra.
» III. In [h] qua aetate factus sit homo.
» IV. Quare homo, extra paradisum creatus, in paradiso sit positus.
» V. Quibus modis paradisus accipitur.
» VI. De ligno vitae.
» VII De ligno scientiae boni et mali.

Distinctio XVIII.

Cap. I. De formatione mulieris.
» II. Quare de latere viri, et non de alia parte corporis [i] formata sit.
» III. Quare dormienti [k], et non vigilanti subtracta [l] sit costa.
» IV. Quod [m] de costa in se multiplicata, sine additamento extrinsecae rei, facta fuerit.
» V. De causis superioribus et inferioribus.
» VI. De causis quae in Deo sunt simul et in creaturis, et de his quae in Deo tantum sunt.
» VII. De anima mulieris, quae [n] non [o] ex anima viri, quia animae [p] non sunt ex traduce.

Distinctio XIX.

Cap. I. De statu hominis ante peccatum, qualis fuit secundum corpus, et qualis post peccatum.

---

[a] Z *utrum.* [b] Z B D om. [c] Omnes codd. erronee *diei.* [d] B om. [e] Z *utrum.* [f] Z add. *vero.* [g] D *sufflatione.* [h] U om. [i] Z om. [k] Ed. add. *viro.* [l] B *subducta.* [m] B *Quare.* [n] Z *quod.* [o] Ita U V; ed. add. *est.* [p] Z om.

Cap. II. Quomodo dicitur homo [a] factus in animam viventem.
» III. Corpus hominis ante peccatum, mortale et immortale erat, post peccatum [b], mortuum.
» IV. Utrum immortalitas, quam habuit tunc, fuerit de conditione naturae, an ex gratiae beneficio.
» V. Si posset homo vivere semper utens aliis lignis et non ligno vitae, Deo non mandante, ut de illo ederet.
» VI. De immortalitate corporis prima et secunda [c].

Distinctio XX.

Cap. I. De modo procreationis filiorum, si non peccassent primi homines.
» II. Quare in paradiso non coierunt.
» III. De modo translationis in melius, si non peccassent.
» IV. Utrum in perfectione staturae et usu membrorum procrearentur filii [d].
» V. Utrum etiam in sensu parvuli nascerentur.
» VI. De duobus bonis, altero hic dato, altero promisso.

Distinctio XXI.

Cap. I. De invidia diaboli, qua ad tentandum accessit.
» II. De forma, in qua venit.
» III. De calliditate serpentis.
» IV. Utrum elegerit serpentem, ut per eum tentaret diabolus.
» V. De modo tentationis.
» VI. De duplici tentationis specie.
» VII. Quare [e] peccatum hominis, et non angeli, remediabile sit.
» VIII. Quod non soli viro praeceptum fuit datum.

Distinctio XXII.

Cap. I. De origine illius peccati.
» II. De mulieris elatione.
» III. De viri elatione [f].
» IV. Quis magis deliquerit, vir, an mulier.
» V. De ignorantia excusabili et inexcusabili.
» VI. An voluntas praecesserit illud peccatum.

Distinctio XXIII.

Cap. I. Quare [g] Deus permiserit hominem tentari, quem sciebat casurum.
» II. Qualis secundum animam fuerit homo ante peccatum [h].
» III. De triplici scientia hominis ante lapsum [i].
» IV. Utrum homo praescius fuerit eorum quae sibi [k] futura erant.

---

[a] D om. [b] D add. *vero*. [c] V *primi et secundi*. [d] B om. *procrearentur filii*. [e] Z *utrum*. [f] Z om. hoc cap. [g] Z *quod*. [h] B *lapsum*. [i] B om. hoc cap. [k] D *ibi*.

Distinctio XXIV.

Cap. I. De gratia hominis et potentia ante casum.
» II. De adiutorio homini [a] in creatione dato, quo stare poterat.
» III. De libero arbitrio.
» IV. De sensualitate.
» V. De ratione et partibus eius.
» VI. De simili ordine peccandi in nobis et in primis parentibus.
» VII. Quod in nobis est vir et mulier et serpens.
» VIII. De spirituali coniugio viri et mulieris in nobis [b].
» IX. Qualiter [c] per illa tria in nobis consummatur tentatio.
» X. Quando [d] mulier sola manducat cibum vetitum.
» XI. Quando etiam vir manducat.
» XII. Quando [e] sit veniale vel mortale peccatum.
» XIII. Quibus modis accipitur sensualitas in Scriptura [f].

Distinctio XXV.

Cap. I. Definitio liberi arbitrii secundum philosophos.
» II. Qualiter in Deo accipitur [g] liberum arbitrium.
» III. Quod Angeli et Sancti habent liberum arbitrium [h].
» IV. Quod liberius erit liberum arbitrium, quando peccare non poterit.
» V. De [i] differentia libertatis arbitrii secundum diversa tempora.
» VI. De quatuor statibus liberi arbitrii.
» VII. De corruptione [k] liberi arbitrii per peccatum.
» VIII. De tribus modis libertatis liberi [l] arbitrii: a necessitate, a peccato, a [m] miseria.
» IX. De libertate, quae est ex gratia, et quae ex natura.

Distinctio XXVI.

Cap. I. De gratia operante et cooperante.
» II. Quid sit voluntas.
» III. Quae sit gratia voluntatem [n] bonam praeveniens.
» IV. Quod bona voluntas, quae praevenitur gratia, quaedam Dei dona [o] praevenit.
» V. Quod cogitatio boni praecedit fidem [p].
» VI. Quod intellectus et cogitationem boni et delectationem praevenit.
» VII. An per liberum arbitrium operetur homo bonum sine gratia.

Distinctio XXVII.

Cap. I. Utrum eadem gratia sit, quae [q] dicitur operans et cooperans.
» II. Quomodo gratia meretur [r] augeri.

---

[a] U V D *hominis.* [b] D om. *in nobis.* [c] Z D *unde.* [d] Z D *unde.* [e] Z *unde.* [f] U *aliquo.* [g] B *recipitur.* [h] Z om. hoc cap. [i] V Z B om. [k] V *correctione.* [l] Z om. [m] B habet ter *an,* pro *a.* [n] D *libertatem.* [o] U V *bona.* [p] Z *finem.* [q] Z om. *sit quae.* [r] D *dicitur.*

Cap. III. De tribus generibus bonorum.
» IV. In quibus bonis sit liberum arbitrium.
» V. De virtute, quid sit, et quid actus eius.
» VI. De gratia, quae liberat voluntatem, si virtus est, vel non.
» VII. Quomodo ex gratia incipiunt bona merita, et de qua gratia hic intelligatur.
» VIII. Quod bona voluntas gratia principaliter est [a].
» IX. Qua ratione dicitur fides mereri iustificationem.
» X. De muneribus virtutum, et de gratia, quae non est, sed facit meritum.
» XI. Quod idem est usus virtutis et liberi arbitrii, sed virtutis principaliter.
» XII. Quidam putant, virtutes bonos [b] usus esse liberi arbitrii, id est actus mentis [c].

Distinctio XXVIII.

Cap. I. De haeresi Pelagiana.
» II. Quomodo [d] Pelagiani dictis Augustini utuntur in testimonium sui erroris.
» III. Quomodo Augustinus illa verba determinet in Retractationibus [e].
» IV. De haeresi Iloviniani et Manichaei, quas collidit Hieronymus [f].

Distinctio XXIX.

Cap. I. Utrum homo ante peccatum egerit gratia operante et cooperante.
» II. Si homo ante lapsum virtutes habuerit.
» III. De electione hominis de paradiso.
» IV. Quomodo intelligendum sit illud: Ne sumat de ligno vitae et vivat in aeternum.
» V. De flammeo gladio ante paradisum posito.
» VI. An ante peccatum homo comederit [g] de ligno vitae.

Distinctio XXX.

Cap. I. Quod per Adam peccatum et poena transit in posteros.
» II. Utrum illud peccatum, quod transit, fuerit originale, vel actuale.
» III. Quidam putant fuisse actuale.
» IV. Quomodo assignant illud intrasse in mundum.
» V. Quod originale peccatum vere fuit, quod transit in posteros.
» VI. Quid sit originale peccatum.
» VII. Quod originale peccatum est culpa.
» VIII. Quod originale peccatum dicitur [h] fomes peccati, id est concupiscentia.
» IX. Quid nomine concupiscentiae intelligitur, quae fomes est peccati.
» X. Quod per Adam originale peccatum intravit in omnes, id est concupiscentia [i].
» XI. An sit peccatum originale, in quo omnes peccaverunt.

---

[a] Ed. *dicitur*. [b] Z *bonas et*. [c] D om. *id e. a. mentis*. [d] Ed. *quod*. [e] Z *tractationibus*. [f] B om. hoc cap. [g] Z hic abrumpit elenchum capitulorum. [h] D *est*. [i] D om. *id est concupiscentia*.

Cap. XII. Ex quo sensu dictum est, per inobedientiam unius multos constitui peccatores.
» XIII. Quod peccatum originale in Adam fuit et in nobis est.
» XIV. Quomodo omnes dicuntur in Adam fuisse, quando peccavit, et ex eo descendisse.
» XV. Quod nihil extrinsecum [a] convertatur in humanam substantiam, quae ex Adam est.

Distinctio XXXI.

Cap. I. Quomodo peccatum originale a patribus transeat in [b] filios.
» II. An secundum animam [c], an secundum carnem.
» III. Quod per carnem traducatur peccatum et quomodo, ostendit.
» IV. Causam corruptionis carnis ostendit, ex qua peccatum fit in anima.
» V. Quare dicitur peccatum esse in carne.
» VI. Utrum causa originalis peccati, quae est in carne, sit culpa, vel poena.
» VII. Quare dicitur originale peccatum.

Distinctio XXXII.

Cap. I. Quomodo originale peccatum dimittitur in baptismo.
» II. Utrum foeditas, quam ex libidine trahit, in baptismo diluatur.
» III. Utrum illius concupiscentiae Deus sit auctor.
» IV. Quare [d] illud peccatum imputetur animae.
» V. Utrum illud peccatum sit necessarium, vel voluntarium.
» VI. Quare Deus iungit animam corpori, sciens inde maculari.
» VII. An anima sit talis, qualis a Deo creatur.
» VIII. An animae ex creatione sint in donis naturalibus aequales.

Distinctio XXXIII.

Cap. I. An peccata omnium praecedentium patrum parvuli originaliter trahant, ut peccatum Adae.
» II. Quomodo in illo uno primo peccato plura reperiuntur.
» III. An peccatum Adae sit gravius ceteris [e].
» IV. An illud peccatum sit primis parentibus dimissum.
» V. Quomodo peccata parentum visitentur in filios et non visitentur.

Distinctio XXXIV.

Cap. I. De peccato actuali.
» II. Quae fuit [f] origo et causa peccati prima [g].
» III. Quae fuit secundaria causa malorum.
» IV. Quod non nisi in bona re sit malum [h].
» V. Quod in his fallit dialecticorum regula de contrariis.

---

[a] U *extrinsecus.* [b] B *ad.* [c] D *Adam.* [d] A B C D *utrum.*
[e] B om. hoc cap. [f] V *sit.* [g] B om. [h] Ed. *sit causa malorum.*

Distinctio XXXV.

Cap. I. Quid sit peccatum.
» II. De peccato.
» III. Utrum malus actus, in quantum peccatum [a] est, sit corruptio vel privatio boni.
» IV. Quomodo peccatum possit [b] corrumpere bonum, cum nihil sit.
» V. Qualiter homo se elongat a Deo.
» VI. An poena sit privatio boni.

Distinctio XXXVI.

Cap. I. Quod [c] quaedam simul sunt peccatum et poena peccati, quaedam peccatum et causa [d] peccati, alia vero peccatum et causa et poena peccati.
» II. An peccatum sit causa peccati, in quantum peccatum est.
» III. Quod non omne peccatum est poena peccati.
» IV. Utrum peccata aliqua essentialiter sint poenae [e] peccati.
» V. Quod, cum peccatum etiam sit poena peccati, peccatum est ab homine, poena a Deo.
» VI. De quibusdam quae indubitanter peccata sunt et poenae, et, in quantum eis [f] patimur, peccata non sunt.

Distinctio XXXVII.

Cap. I. Quod aliqui putant [g], malos actus nullo modo esse a Deo.
» II. Ex quo sensu dictum sit: Deus non est mali auctor.

Distinctio XXXVIII.

Cap. I. De voluntate et eius fine.
» II. Quis sit bonus finis, scilicet caritas.
» III. Quod omnes bonae voluntates unum finem habent, et tamen [h] quaedam diversos fines sortiuntur.
» IV. De differentia voluntatis et intentionis et finis.

Distinctio XXXIX.

Cap. I. Quare voluntas dicitur peccatum, cum sit de naturalibus, quorum nullum aliud [i] peccatum est.
» II. Quare actus voluntatis sit peccatum, si actus aliarum potentiarum non sunt peccata.
» III. Ex quo sensu dicitur [k] naturaliter omnis homo [l] velle bonum.

Distinctio XL.

Cap. unicum. An ex fine omnes actus pensari debeant, ut ex affectu [m] vel fine omnes sint boni, vel mali [n].

---

[a] D om. [b] V B *sit.* [c] Ed. om. [d] V *poena.* [e] V *poena.* [f] V *ea;* B *eas.* [g] D add. *aliquos.* [h] D *inde.* [i] V *aliquando.* [k] B om. [l] B om.; D *omnes homines.* [m] D *effectu.* [n] Hoc unicum huius dist. cap. A C dividunt in duo, novum cap. incipientes cum verbis *ut ex affectu* etc.; sed pro *ut ex affectu* A exhibet *Et ex affectu,* C *qui ex affectu.*

Distinctio XLI.

Cap. I. An omnis intentio et actio infidelium sit mala.
» II. Quibus modis dicatur bonum.
» III. Quomodo intelligendum sit illud: Peccatum adeo est voluntarium [a], et illud: Nusquam nisi in voluntate peccatum est, et item: Non nisi voluntate peccatur [b].
» IV. Quod mala voluntas est voluntarium peccatum.

Distinctio XLII.

Cap. I. An voluntas et actio mala in eodem et circa idem sint unum peccatum, vel plura.
» II. Si peccatum ab aliquo commissum in eo sit, usquequo [c] poeniteat.
» III. Quibus modis accipitur reatus.
» IV. De modis peccatorum.
» V. Quo [d] differant delictum et peccatum.
» VI. De septem principalibus vitiis [e].
» VII. De superbia.
» VIII. Quomodo superbia dicatur radix omnium malorum et cupiditas, cum superbia non sit cupiditas.

Distinctio XLIII.

Cap. unicum. De peccato in Spiritum sanctum.

Distinctio XLIV.

Cap. I. De potentia peccandi, an sit homini vel diabolo a Deo.
» II. An aliquando resistendum sit potestati.

Expliciunt capitula.

---

[a] Cod. A add. primas litteras verborum *ut nullo modo sit* (peccatum), *si non voluntarium*. Hoc cap. ab omnibus codd., excepl. D, minus congrue dividitur in tria. [b] V *voluntarium peccatum*. [c] C *quousque*. [d] Ed. cum Z *quod*; D *in quo*. [e] B om. hoc cap.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

DE RERUM CREATIONE

ET FORMATIONE CORPORALIUM ET SPIRITUALIUM

ET ALIIS PLURIBUS EO PERTINENTIBUS

INCIPIT PROLOGUS [a].

Quae ad mysterium divinae Unitatis atque Trinitatis, licet ex parte, cognoscendum pertinere noscuntur, quantum valuimus, diligenter exsecuti sumus; nunc ad considerationem creaturarum transeamus.

EXPLICIT PROLOGUS.

DISTINCTIO I.

CAP. I.

Quod unum est principium, non plura.

1 « Creationem rerum insinuans Scriptura Deum esse creatorem initiumque temporis atque omnium visibilium vel invisibilium creaturarum in primordio sui [b], ostendit » dicens [1]: *In principio creavit Deus caelum et terram.* « His etenim verbis Moyses, Spiritu Dei afflatus, in uno principio a Deo creatore mundum [c] factum refert », elidens errorem quorundam, plura sine principio

[a] Hanc rubricam ex nostro addidimus; cfr. pag. 295 nota *a*. [b] D om. [c] B add. *esse*.

[1] Genesis 1, 1. Hanc primam propositionem, nonnullis mutatis, Magister sumsit ex Beda, l. *Hexaëm.* init. (PL 91, 13), sed sequentem usque ad *elidens*, et deinde a *Plato namque* usque ad *creatorem* ex Strabone, *Prothem.* in Gloss. (PL 113, 64). Tum Beda, tum Strabo has sententias mutuarunt ex S. Ambros., l. *Hexaëm.* c. 1 et 2, n. 1-7 (PL 14, 132, 135)

fuisse principia opinantium. « Plato namque tria initia aestimavit, Deum scilicet et exemplar et materiam, et ipsa increata [a] sine principio, et Deum quasi artificem, non creatorem ». Creator enim est, qui de nihilo aliqua [b] facit.

Cap. II.

Quid sit creare, quid facere.

Et creare proprie est de nihilo aliquid facere; facere vero [c] non 2
modo [d] de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia: unde et homo vel Angelus dicitur aliqua facere, sed non creare, vocaturque factor sive artifex, sed non creator. Hoc enim nomen soli Deo proprie congruit [e], qui et de nihilo quaedam, et de aliquo aliqua facit. Ipse est ergo creator et opifex et factor; sed creationis [f] nomen sibi proprie retinuit, alia vero etiam creaturis communicavit. In Scriptura [1] tamen saepe creator accipitur tanquam factor, et creare sicut facere, sine distinctione [g] significationis.

Cap. III.

Secundum quam rationem dicuntur de Deo huiusmodi verba: agere, facere.

Verumtamen sciendum est, haec verba, scilicet facere, creare, 3
agere, et huiusmodi alia, de Deo non posse dici secundum eam [h] rationem qua dicuntur de creaturis [2]. « Quippe cum dicimus, eum aliquid facere, non aliquem in operando motum illi intelligimus inesse, vel aliquam in laborando [i] passionem, sicut nobis solet accidere, sed eius sempiternae voluntatis novum aliquem significamus effectum, id est aeterna eius voluntate aliquid noviter existere. Cum ergo dicitur aliquid facere, tale est ac si dicatur, iuxta eius voluntatem vel per eius voluntatem aliquid noviter contingere vel

---

[a] Ita omnes codd., ed. *ipsam increatam.* [b] Ita U V D; ed. *aliquid.* [c] U add. *est.* [d] Z *solummodo.* [e] B C *convenit.* [f] Ita omnes codd.; ed. *creatoris.* [g] Z add. *propriae.* [h] Z *eandem.* [i] Z *operando,* sed correctio interlin. *vel laborando.*

---

[1] Cfr. Genes. 1, 27; et Eccli. 17, 1. [2] Cfr. August., l. *De Gen. ad lit.* c. 18, n. 36 (P L 34, 260).

esse, ut in ipso nihil novi contingat, sed novum aliquid, sicut in eius aeterna fuerat voluntate [a], fiat sine aliqua sui mutatione sive motione. Nos vero operando mutari dicimur, quia movemur; non enim sine motu aliquid facimus [1] ». Deus ergo facere vel agere aliquid dicitur, quia causa est rerum noviter existentium, dum eius voluntate res novae esse incipiunt, quae ante [b] non erant absque ipsius agitatione; ut actus proprie dici non queat, cum videlicet actus omnis in motu consistat, in Deo autem motus nullus est. Sicut ergo ex calore solis aliqua fieri contingit, nulla tamen in ipso vel in ipsius calore facta motione vel mutatione [c], ita ex Dei voluntate nova habent esse sine mutatione auctoris, qui est unum et solum principium omnium. Aristoteles [2] vero duo principia dixit [d], scilicet materiam et speciem, et tertium, operatorium dictum; mundum quoque semper esse et fuisse.

4 Horum ergo et similium errorem Spiritus sanctus evacuans, veritatisque disciplinam tradens, Deum in principio temporum mundum creasse et ante tempora [e] aeternaliter exstitisse significat, ipsius aeternitatem et omnipotentiam commendans; cui voluisse, facere est, quia, ut praediximus [f] [3], ex eius voluntate et bonitate novae res [g] existunt.

« Credamus igitur, rerum creatarum caelestium vel terrestrium, visibilium vel invisibilium causam non esse nisi bonitatem Creatoris, qui est Deus unus et verus. Cuius tanta est bonitas, ut summe bonus, beatitudinis suae qua aeternaliter beatus est, alios velit esse participes; quam videt et communicari posse et minui omnino non posse. Illud igitur bonum, quod ipse erat et quo beatus erat, sola bonitate, non necessitate aliis [h] communicari voluit, quia summe boni erat prodesse velle, et omnipotentissimi nocere non posse [4] ».

---

[a] Z add. *ita.* [b] B om. [c] In U *vel mutatione* est correctio interlinearis loco *motione* ponenda. [d] U add. *esse.* [e] Z add. *ipsum.* [f] Z *diximus.* [g] Z add. *fiunt et.* [h] V B D C *alii.*

---

[1] Verbotenus ex Abael. III. *Introd.* c. 6 (P L 178, 1104 et seq.) *. [2] Hanc sententiam Magister sumsit ex Ambros., l. *Hexaëm.* c. 1, n. 1 (P L 14, 123): « ... alii quoque, ut Aristoteles cum suis disputandum putavit, duo principia ponerent, materiam et speciem, et tertium cum iis, quod operatorium dicitur ». [3] Cfr. l. *Sent.* dist. XLV-XLVII. [4] Hugo, l. *De Sacram.* p. 2, c. 4 (P L 176, 208). Cfr. *De diligendo Deo*, c. 2 (P L 40, 850).

Cap. IV.

Quare rationalis creatura facta sit, id est homo vel Angelus.

« Et quia non valet eius beatitudinis particeps existere aliquis, nisi per intelligentiam (quae quanto magis intelligitur, tanto plenius habetur) fecit Deus rationalem creaturam, quae summum bonum intelligeret, et intelligendo amaret, et amando possideret, et possidendo frueretur; eamque hoc modo distinxit, ut pars in sui puritate permaneret nec corpori uniretur, scilicet Angeli; pars corpori iungeretur, scilicet animae [a]. Distincta est itaque rationalis creatura in incorpoream et corpoream; et incorporea quidem Angelus, corporea vero homo vocatur, ex anima rationali et carne subsistens. Conditio ergo rationalis creaturae primam causam habuit Dei bonitatem [1] ».

« Ideoque [b], si quaeritur, quare creatus sit homo vel Angelus [c], brevi sermone responderi potest: propter bonitatem eius [d]. Unde Augustinus in libro *De doctrina christiana* [2]: Quia bonus est Deus, sumus; et in quantum sumus, boni sumus ».

« Et si quaeritur, ad quid est creata creatura rationalis, respondetur: ad laudandum Deum, ad serviendum ei, ad fruendum eo; in quibus proficit ipsa, non Deus. Deus enim, perfectus et summa bonitate plenus, nec augeri potest, nec minui. Quod ergo rationalis creatura facta est a Deo, referendum est ad Creatoris bonitatem et ad creaturae utilitatem [3] ». « Cum ergo quaeritur, quare vel ad quid facta sit rationalis creatura, brevissime responderi potest: propter Dei bonitatem, et suam [e] utilitatem; utile nempe [f] est ipsi servire Deo, et frui eo ». « Factus [g] ergo Angelus sive homo propter Deum dicitur esse [h], non quia creator Deus et summe beatus [i] alterutrius indiguerit officio, qui *bonorum no-*

---

[a] B *pars vero corpori uniretur scil. anima.* [b] D *Ideo et.* [c] V om. *vel angelus.* [d] U *Dei.* [e] D *sui.* [f] U *namque.* [g] U add. *est.* [h] U om. *dicitur esse.* [i] Z D *bonus.*

---

[1] *De diligendo Deo* loc. cit., et Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 1 (P L 176, 79).
[2] Lib. I, c. 32, n. 35 (P L 34, 32). Cfr. Magister, I. *Sent.* dist. I, c. 3.
[3] Verba praecedentia et quae sequuntur usque ad finem capituli sumta sunt ex libro *De diligendo Deo*, c. 2 et 3 (P L 40, 859 et seq.), et ex Hugone, I. *De Sacram.* p. 2, c. 1 (P L 176, 205).

strorum non eget [1], sed ut serviret ei ac eo frueretur, cui servire regnare est. In hoc enim proficit serviens, non ille cui servitur ». « Et sicut factus est homo propter Deum, id est [a] ut ei serviret, ita mundus factus est propter hominem, scilicet ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut et ei serviretur, et ipse serviret; ut acciperet utrinque [b], et refflueret totum ad bonum hominis, et quod accepit obsequium, et quod impendit. Ita enim voluit Deus sibi ab homine serviri, ut ea servitute non Deus, sed homo serviens [c] iuvaretur; et voluit, ut mundus serviret homini, et exinde similiter iuvaretur homo. Totum igitur bonum hominis erat, et quod factum est propter ipsum, et propter quod factus est ipse. *Omnia enim,* ut ait Apostolus [2], *nostra sunt* [d], scilicet superiora et aequalia et inferiora. Superiora quidem [e] nostra sunt ad perfruendum, ut Deus-Trinitas; aequalia ad convivendum, scilicet Angeli, qui, etsi modo nobis superiores [f], in futuro erunt aequales; qui etiam modo nostri sunt, quia ad usum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non dominio, sed quia sunt ad usum eorum. Ipsique Angeli in quibusdam Scripturae locis [3] nobis servire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur ».

Cap. V.

Quomodo dicitur homo factus propter reparationem angelici casus.

6 De homine quoque in Scriptura interdum reperitur [4], quod factus sit propter reparationem angelicae ruinae. Quod non ita est intelligendum, quasi non fuisset homo factus, si non peccasset Angelus; sed quia inter alias causas, ut [g] praecipuas, haec etiam nonnulla [h] exstitit. Nostra igitur sunt superiora et aequalia; nostra sunt etiam inferiora, quia ad serviendum nobis facta.

---

[a] Z B om. *id est.* [b] A D *utrumque.* [c] V om. [d] D om. [e] D *quippe.* [f] Ita U B; ed. add. *sint.* [g] Ita U (interlin.) et V; Z *et;* D om.; ed. *scilicet.* [h] Ed. add. *causa.*

---

[1] Psalm. 15, 2. [2] I. Cor. 3, 22. Cfr. Rom. 8, 32, ubi in Glossa, quae sumta est ex August., II. *Quaest. evang.* c. 33, inveniuntur verba quae sequuntur (P L 35, 1368). [3] Hebr. 1, 14. [4] Cfr. August., *Enchirid.* c. 29 (P L 40, 246); XXII. *De civ. Dei,* c. 1, n. 2 (P L 41, 751).

Cap. VI.

Quare ita homo sit institutus, ut unita anima corpori sit.

Solet etiam quaeri, cum maioris dignitatis esse videretur anima, 7
si absque corpore permansisset, cur unita sit corpori.

Ad quod primo dici potest, quia Deus voluit, et voluntatis eius [a] causa quaerenda non est [1].

Secundo autem dici potest, quod ideo Deus voluit eam corpori uniri, ut in humana conditione ostenderet novum exemplum beatae unionis, quae est inter Deum et spiritum, in qua diligitur *ex toto corde*, et videtur *facie ad faciem* [2]. Putaret enim creatura, se non posse uniri suo Creatori tanta propinquitate, ut eum tota mente diligeret et cognosceret, nisi [b] videret spiritum, qui est excellentissima creatura, tam infimae [c], id est carni quae de terra est, in tanta dilectione uniri, ut non valeat arctari ad hoc, ut velit eam relinquere, sicut Apostolus [3] ostendit dicens: *Nolumus corpore exspoliari, sed supervestiri;* per quod ostenditur, spiritum creatum Spiritui increato ineffabili amore [d] uniri.

« Pro exemplo igitur futurae societatis, quae inter Deum et 8
spiritum rationalem in glorificatione eiusdem perficienda erat, animam corporeis indumentis et terrenis mansionibus copulavit, luteamque materiam fecit ad vitae sensum vegetare, ut sciret homo, quia, si potuit Deus tam disparem naturam corporis et animae in foederationem unam et in amicitiam tantam coniungere, nequaquam ei impossibile futurum, rationalis creaturae humilitatem, licet longe inferiorem, ad suae gloriae participationem sublimare. Quia ergo, pro exemplo, rationalis spiritus in parte usque ad consortium terreni corporis humiliatus est, ne forte in hoc nimis depressus videretur, addidit Dei providentia, ut postmodum cum eodem corpore glorificato ad consortium illorum, qui in sua perstiterant [e] puritate, sublimaretur, ut quod [f] minus ex dispensatione Creatoris sui acceperat conditus, postmodum per gratiam eiusdem acciperet

[a] V om. [b] V *ubi*. [c] D add. *rei*. [d] V *amori*. [e] Ed. *permanserunt*. [f] Z *qui*.

[1] Cfr. I. *Sent.* dist. XL, c. 4. Pro seq. argumento cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 1 (PL 176, 80). [2] Respic. Matth. 22, 37; et I. Cor. 13, 12. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 1 (PL 176, 81). [3] II. Cor. 5, 4.

glorificatus. Sic ergo conditor [a] Deus rationales spiritus varia sorte pro arbitrio voluntatis suae disponens, illis quos in sua puritate reliquerat, sursum [b] in caelo mansionem; illis vero quos corporibus terrenis sociaverat, deorsum in terra habitationem constituit; utrisque regulam proponens [c] obedientiae, quatenus et illi ab eo ubi erant, non caderent, et isti ab eo ubi erant, ad id ubi non erant ascenderent. Fecit itaque Deus hominem ex duplici substantia, corpus de terra fingens, animam vero de nihilo faciens [1]». Ideo etiam unitae sunt animae corporibus, ut in eis Deo famulantes maiorem mereantur coronam.

Ex praemissis apparet [d], rationalem creaturam in angelicam et humanam fuisse distinctam, quarum altera tota est spiritualis, id est angelica; altera, id est humana, ex parte spiritualis, et ex parte corporalis.

Cum itaque de his tractandum sit, scilicet de spirituali et corporali creatura [e], de rationali et de [f] non rationali, primo de rationali et [g] spirituali, id est de Angelis, agendum videtur, ut a contuitu Creatoris ad cognitionem creaturae dignioris [h] ratio nostra intendat; deinde ad considerationem corporeae, tam illius quae est rationalis, quam illius quae non est rationalis, descendat, ut Trinitatis increatae sacramentum tripartitae creaturae eique concretorum atque contingentium sequatur documentum.

DISTINCTIO II.

9 De Angelica itaque natura haec primo consideranda sunt [i]: quando creata fuerit, et ubi, et qualis facta [k] dum [l] primo [m] conderetur, deinde qualis [n] effecta aversione [o] quorundam et conversione quorundam; de excellentia quoque et ordinibus et donorum differentia, et de [p] officiis ac nominibus aliisque pluribus aliqua dicenda sunt [q].

[a] Ed. cum Z add. *noster;* pro quo Z habet correct. interl. *vel Deus.* [b] D om. [c] Ed. *imponens.* [d] Z *praedictis patet,* pro *praem. apparet.* [e] Ed. cum Z add. *et.* [f] Ita U V; ed. om. [g] D add. *de.* [h] B. om. [i] B add. *scilicet.* [k] Ed. add. *sit.* [l] V *cum.* [m] Ed. *primum.* [n] Z add. *est.* [o] B *adversione.* [p] D om. [q] Quae praecedunt codd. nostri

[1] August. *De spiritu et anima,* c. 14 (PL 40, 790); Hugo, I. *De Sacram.* p. 6, c. 4 (PL 176, 263).

Cap. I.

De Angelis, quando facti sunt.

Quaedam auctoritates [1] innuere videntur, quod ante omnem 10
creaturam creati sint Angeli.

Unde illud: *Primo omnium creata est sapientia,* quod intelligitur de [a] angelica natura, quae in Scriptura saepe vita, sapientia et lux dicitur. Nam sapientia illa, quae Deus est, creata non est: Filius enim sapientia Patris est genita, non facta nec creata; et tota Trinitas una sapientia est, quae nec facta nec creata est [b], nec genita, vel procedens. De angelica ergo vita illud accipiendum est, de qua dicit Scriptura, quando facta est, scilicet [c] *primo omnium.*

Sed rursus alia Scriptura dicit [2]: *In principio creavit Deus caelum et terram.* Et in Propheta [3]: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli.*

Et videtur quaedam contrarietas oriri [d] ex assertionibus [e] istis. Nam si *primo omnium creata est sapientia,* omnia post ipsam facta videntur, et ita post ipsam facta videntur [f] caelum et terra, et ipsa facta ante caelum et terram. Item [g], si in principio creavit Deus caelum et terram [h], nihil factum est ante caelum et terram; nec ipsa sapientia facta est ante caelum et terram [i]. Cum igitur haec contraria videantur, nec in divina Scriptura fas sit sentire aliquid esse [k] contrarietatis, requiramus intelligentiam veritatis.

Videtur itaque [l] hoc esse tenendum, quod simul creata est 11
spiritualis creatura, id est angelica, et corporalis, secundum quod potest accipi illud Salomonis [4]: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul,* id est spiritualem et corporalem naturam; et ita non prius tempore creati sunt Angeli quam illa corporalis [m] ma-

non numerant tanquam capitulum. Iam Erf. in margine sic annotat: *Aliqui non connumerant hoc pro capitulo, sed incipiunt primum capitulum sequenti capitulo, et hinc est diversitas in illa parte.* [a] D om. [b] D om. [c] B om. [d] B *exoriri.* [e] D *assertoribus.* [f] B D om. *et ita p. i. f. videntur.* [g] U *Item.* [h] V om. *et terram.* [i] B om. *nec i. s. f. e. a. c. e. terram.* [k] Z D om. [l] Z *namque.* [m] D add. *creatura et.*

[1] Isidorus, I. *Sentent.* (sive *De summo bono*) c. 10, n. 4 (PL 83, 554); cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 5, c. 2, et *Sum. Sent.* tr. 2, c. 1 (PL 176, 247, 80); cfr. Abael. *Sic et non,* c. 46 (PL 178, 1412 et sqq.); cfr. August., XII. *Confess.* c. 15, n. 20 (PL 32, 833). [2] Gen. 1, 1. [3] Ps. 101, 26. [4] Eccli. 18, 1.

teria quatuor elementorum. Et tamen *primo omnium creata est sapientia*, quia etsi non tempore, praecedit tamen dignitate. Quod autem simul creata fuerit spiritualis corporalisque creatura, Augustinus *Super Genesim* [1] aperte ostendit dicens, per caelum et terram spiritualem corporalemque creaturam intelligi [a]: et haec creata [b] *in principio*, scilicet temporis, vel *in principio*, quia primo facta sunt.

Cap. II.

Quod nihil factum est ante caelum et terram.

12 Antea enim nihil factum est, nec etiam tempus factum est ante spiritualem, scilicet angelicam naturam, et ante corporalem, scilicet materiam illam quatuor elementorum confusam. Illa enim cum tempore creata sunt, nec ex tempore, nec in tempore; sicut nec tempus in tempore creatum est, quia non fuit tempus [2] prius quam [c] esset caelum et terra.

Unde Augustinus in libro *De Trinitate* [3] dicit, quod Deus fuit dominus antequam esset tempus, et non in tempore coepit esse dominus, quia dominus fuit temporis, quando esse coepit tempus [d]; nec utique tempus coepit esse in tempore, quia non erat tempus antequam inciperet tempus.

Cap. III.

Quod simul cum tempore et cum mundo coepit spiritualis creatura et corporalis.

13 Simul ergo cum tempore facta est corporalis et spiritualis creatura et simul cum mundo; nec fuit antea [e] angelica creatura quam mundus, quia ut Augustinus [4] ait: « Nulla creatura [f] est ante saecula, sed a saeculis cum quibus [g] coepit ».

---

[a] D *intellige*. [b] Ed. add. *sunt*. [c] Ed. *antequam*. [d] D om. [e] Ed. et V *ante*. [f] A B C add. *creata*. [g] Z add. *esse*.

---

[1] Nempe I. *Gen. ad lit.* c. 1, n. 2, 3; c. 3, n. 7, 8; c. 4, n. 9 (P L 34, 247 et sqq.); XI. *De civ. Dei*, c. 33 in fine (P L 41, 347). [2] Cfr. I. *Sent.* dist. XXX, c. 1. [3] Libr. V. c. 16, n. 17 (P L 42, 922). [4] *De Gen. ad lit.* V. c. 19, n. 38 (P L 34, 335). Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 5, c. 4 (P L 176, 248). Abael. loc. cit.

Hieronymus tamen *Super Epistolam ad Titum* [1] aliud videtur sentire dicens: « Sex millia necdum nostri temporis implentur annorum, et quantas prius aeternitates, quanta tempora, quantas saeculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes ceterique Ordines servierunt Deo absque temporum vicibus atque mensuris, et, Deo iubente, substiterunt »! His verbis quidam adhaerentes dixerunt [2], cum mundo coepisse tempus saeculare, sed ante mundum exstitisse tempus aeternum sine mutabilitate, et in eo immutabiliter et intemporaliter astruunt Angelos, Deo iubente, substitisse [a] eique servisse.

Nos autem [b], quod prius dictum est, pro captu intelligentiae nostrae magis approbamus, salva tamen reverentia secretorum, in quibus nihil temere asserendum est; et illud Hieronymum dixisse non ita sentiendo, sed aliorum opinionem referendo, arbitramur [3].

Cap. IV.

Ubi Angeli mox creati fuerint.

Iam ostensum est, quando creata fuerit angelica natura; nunc [c] 14
attendendum est, ubi facta [d] fuerit.

Testimoniis quarundam auctoritatum evidenter monstratur, Angelos ante casum fuisse in caelo, et inde corruisse quosdam propter superbiam, alios vero, qui non peccaverunt, illic perstitisse.

« Unde in Evangelio [4] Dominus ait: *Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem.* Nec appellatur hic caelum firmamentum, quod secunda die factum est, sed caelum splendidum, quod dicitur empyreum, id est igneum, a splendore, non a calore, quod statim factum, Angelis repletum est, quod est supra firmamentum ».

Et illud empyreum quidam expositorum sacrae Scripturae, nomine caeli intelligi volunt, ubi Scriptura [5] dicit: *In principio creavit*

---

[a] D *extitisse.* [b] A add. *Hugo.* [c] Ed. cum B add. *autem.* [d] V om.

---

[1] Comment. ad c. 1, v. 2 et sqq., n. 691 (PL 26, 560); cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 1 (PL 176, 81); et Abael. loc. cit. cap. 1 huius dist. [2] Cfr. August., XI. *De civ. Dei,* c. 6 (PL 41, 322). [3] Magister haec et antecedentia sumsit ex Hugone, I. *De Sacram.* p. 5, c. 4, et *Sum. Sent.* tr. 2, c. 1 (PL 176, 248, 81). [4] Luc. 10, 18. Sequentia sunt verbotenus ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 1 (PL 176, 81). [5] Gen. 1, 1. Sequentia verba Strabi inveniuntur in Glossa ordin. in hunc locum. Cfr. August., XI. *De civ. Dei,* c. 33 (PL 41, 346).

Deus caelum et terram. « Caelum, inquit Strabus, non visibile [a] firmamentum hic appellat, sed empyreum, id est igneum vel intellectuale, quod non ab ardore, sed a splendore dicitur, quod factum, statim repletum est Angelis. Unde [b] [1]: *Cum me laudarent astra matutina* » etc.

De hoc quoque ita ait Beda [2]: « Hoc superius caelum, quod a volubilitate mundi secretum est, mox ut creatum est [c], sanctis Angelis impletum [d] est, quos in principio cum caelo et [e] terra conditos [f] testatur Dominus, dicens: *Ubi eras, cum me laudarent astra matutina* [g], *et iubilarent omnes filii Dei?* Astra matutina et filios Dei eosdem Angelos vocat. Caelum enim, in quo posita sunt [h] luminaria, non in principio sed [i] secunda die factum est ».

Ex his liquet, quod in empyreo omnes Angeli fuerunt ante quorundam ruinam, simulque creati sunt Angeli cum caelo empyreo et cum informi materia omnium corporalium.

Cap. V.

Quod simul creata est visibilium materia et invisibilium natura, et utraque informis.

« Simul ergo visibilium rerum materia et invisibilium [k] natura condita est, et utraque informis fuit secundum aliquid, et formata secundum aliquid [l]. Sicut enim [m] corporalium materia confusa et permixta, quae secundum Graecum [n] chaos dicta est, in illo exordio conditionis primariae et formam confusionis habuit, et non habuit formam distinctionis et discretionis, donec postea formaretur atque distinctas reciperet species; ita spiritualis et angelica natura in sua conditione secundum naturae habitum formata fuit; et tamen illam, quam postea per amorem et conversionem ad Creatorem suum [o] acceptura erat, formam non habuit, sed erat informis sine illa [3]. Unde Augustinus [4] multipliciter expo-

[a] D add. *hoc.* [b] Z add. interl. *Iob;* ed. add. *Iob: Ubi eras.* [c] V om. [d] Ed. cum B D *repletum.* [e] D add. *cum.* [f] B *conditum.* [g] B om. [h] Z add. *duo.* [i] Z add. *in.* [k] U add. *rerum.* [l] V om. *secundum a. e. f. s. aliquid.* [m] B om. [n] Ita U V; ed. *Graecos.* [o] V Z B *a Creatore suo,* pro *ad Creat. suum.*

[1] Iob c. 38, 7. [2] Libr. I. *Hexaëm.* (PL 91, 13) *. Convenit fere ad verbum Strabus, loc. cit. [3] Hugo, I. *De Sacram.* p. 5, c. 5 (PL 176, 249). [4] *De Gen. ad lit.* I. c. 10, sqq. (PL 34, 253 et sqq.), et XII. *Confess.* c. 8 (PL 32, 829). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 1 (PL 176, 81).

nens praemissa verba Genesis [a], per *caelum* dicit intelligi informen naturam spiritualis vitae, sicut in se potest existere non conversa ad Creatorem, in [b] quo formatur; per *terram*, corporalem materiam sine omni qualitate, quae apparet in materia formata.

Cap. VI.

Quomodo dixerit Lucifer: Ascendam in caelum.

Hic quaeri [c] solet, si in empyreo caelo fuerunt Angeli statim 16
quam [d] facti sunt, quomodo [e] legitur in Isaia [1]: Dicit Lucifer: *Ascendam in caelum et exaltabo solium meum, et ero similis Altissimo.*

Sed ibi vocat *caelum* Dei celsitudinem, cui parificari volebat; et est tale: *Ascendam in caelum*, id est ad aequalitatem [f] Dei.

DISTINCTIO III.

Cap. I.

Quales facti fuerint Angeli.

Ecce ostensum est, ubi Angeli fuerint, mox ut creati sunt; 17
nunc consequens est investigare, quales facti fuerint in ipso primordio suae conditionis.

Et quatuor quidem Angelis videntur esse [g] attributa in initio subsistentiae suae [2], scilicet essentia simplex, id est indivisibilis et immaterialis; et discretio personalis; et per [h] rationem naturaliter insitam, intelligentia, memoria et voluntas sive dilectio; liberum quoque arbitrium, id est libera inclinandae voluntatis sive ad bo-

---

[a] V add. *in principio creavit Deus caelum et terram;* B add. *scilicet.* [b] D om. [c] D *quaeritur*, om. *solet.* [d] Ita U Z D; V B *quod;* ed. *ubi.* [e] Ita U V Z D; ed. add. *ut.;* B add. *quod.* [f] V *aequitatem.* [g] B D om. [h] B C D *propter.*

[1] Cap. 14, 13; cfr. Hugo, loc. cit.; et Abael. *Sic et non*, c. 47 (P L 178, 1416).
[2] Haec Magister accepit ex Hugone, l. *De Sacram.* p. 5, c. 8, sqq., et *Sum. Sent.* tr. 2, c. 2. sqq. (P L 176, 250, 81 et seq.). Notandum tamen quod in *Sum. Sent.* tria tantum attributa afferuntur, omittitur enim *discretio personalis.* Cfr. Abael. *Sic et non*, c. 48 (P L 178, 1417).

num sive ad malum facultas: poterant enim per liberum arbitrium sine violentia et coactione ad utrumlibet propria voluntate deflecti [a].

Cap. II.

An omnes Angeli fuerint aequales in essentia, sapientia, libertate arbitrii.

18 « Hic considerandum est, utrum in [b] substantia spirituali [c] et sapientia rationali [d] et libertate arbitrii, quae omnibus inerant, omnes aequales fuerint, ut sit prima consideratio de substantia, secunda de forma, tertia de potestate.

« Persona quippe substantia est; sapientia forma; arbitrium potestas [e]: et ad substantiam quidem pertinet naturae subtilitas, ad formam vero intelligentiae perspicacitas, et ad potestatem voluntatis rationalis habilitas.

« Illae igitur essentiae rationales, quae personae erant et spiritus erant, naturaque simplices ac vita immortales, differentem essentiae tenuitatem et differentem sapientiae perspicacitatem atque differentem arbitrii habilitatem recte habuisse intelliguntur; sicut in corporibus nonnulla differentia est secundum essentiam [f] ac formam et pondus: quaedam enim aliis meliorem ac digniorem essentiam et formam [g] habent, et alia aliis leviora atque agiliora sunt. Ad hunc igitur modum credendum est, illas spirituales naturas convenientes suae puritati et excellentiae et in essentia et in forma et in facultate differentias accepisse in exordio suae conditionis, quibus alii superiores, alii inferiores Dei sapientia constituerentur, aliis maiora, aliis minora dona praestantis, ut qui tunc per naturalia bona aliis excellebant, ipsi etiam post, per [h] munera gratiae, eisdem [i] praeessent. Qui enim natura magis subtiles [k] et sapientia amplius perspicaces creati sunt, hi etiam maioribus gratiae muneribus praediti sunt, et dignitate [l] excellentiores aliis constituti [m]. Qui vero natura minus subtiles et sapientia minus perspicaces conditi sunt, minora gratiae dona habuerunt, et inferiores constituti sunt sapientia Dei aequo moderamine cuncta ordinantis [n]. In ipsa facultate arbitrii differentia animadvertenda est secundum differentem

---

[a] V *flecti.* [b] Ed. cum B add. *sua.* [c] V add. *id est materia spirituali, id est materia.* [d] V add. *id est intellectu.* [e] Z add. *est quia,* om. *Et.* [f] B *differentiam.* [g] B om. *et formam.* [h] B D om. [i] V *eiusdem.* [k] V *subtilis.* [l] D add. *magis.* [m] Z add. *sunt.* [n] V *ordinante.*

naturae virtutem et differentem cognitionis et intelligentiae vim. Et [a] sicut differens vigor et subtilitas naturae infirmitatem non adducit, minorque cognitio sapientiae ignorantiam non ingerit, sic libertas inferior nullam arbitrio necessitatis voluntatem imponit [1] ».

Cap. III.

Quae communia et aequalia habuerunt Angeli.

Et sicut in praedictis Angeli differebant, ita et quaedam com- 19
munia et aequalia habebunt: quod spiritus erant, quod indissolubiles et immortales erant [b], commune omnibus erat [c] et aequale: in subtilitate vero essentiae et intelligentia sapientiae et libertate voluntatis differentes erant. Has discretiones intelligibiles invisibilium naturarum ille solus comprehendere potuit et ponderare, qui cuncta fecit *in pondere, numero et mensura* [2].

Cap. IV.

An boni vel mali creati sint, et an aliqua mora fuerit inter creationem et lapsum.

Illud quoque investigatione dignum videtur, quod et a pluri- 20
ribus [d] quaeri solet, utrum boni vel mali, iusti vel iniusti creati sint Angeli, et an aliqua mora fuerit inter creationem et lapsum, vel sine mora in ipso creationis exordio ceciderint.

Putant enim quidam, Angelos, qui ceciderunt, creatos esse malos et non libero arbitrio in malitiam declinasse, sed in malitia a Deo factos esse, nec aliquam fuisse moram inter creationem et lapsum, sed ab initio apostatasse; alios vero creatos fuisse plene beatos. Qui opinionem suam muniunt auctoritate Augustini *Super Genesim* [3] ita dicentis: « Non frustra putari potest, ab initio temporis diabolum cecidisse, nec cum sanctis Angelis pacatum aliquando vixisse et beatum, sed mox apostatasse; unde Dominus ait [4]: *Ille homicida erat ab initio et in veritate non stetit,* ut

---

[a] Z *sed.* [b] D om. [c] B *erant.* [d] D *amplius,* pro *et a pluribus.*

---

[1] Totum hoc cap. quasi verbotenus est ex Hugone, l. *De Sacram.* p. 5, cc. 8-11 (PL 176, 250 et seq.). [2] Sap. 11, 21. Cfr. Hugo loc. cit. cap. 12. [3] Libr. XI, c. 16, n. 21 (PL 34, 437)*; cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 5, c. 19; Abael. *Sic et non,* c. 47 (PL 178, 1415 et seq.). [4] Ioan. 8, 44.

intelligamus, *quia in veritate non stetit* ex quo creatus est, qui staret, si stare [a] voluisset ».

Idem in eodem [1]: « Non frustra, inquit, putandum est, ab ipso initio temporis vel conditionis suae diabolum cecidisse et nunquam in veritate stetisse. Unde quidam in hanc malitiam libero arbitrio non esse flexum, sed in hac, quamvis a Deo, putant esse creatum, secundum illud beati Iob [2]: *Hoc est,* inquit, *initium figmenti Dei, quod fecit Deus, ut illudatur ei ab Angelis eius.* Et Propheta ait [3]: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei,* tanquam primo factus sit malus, invidus et diabolus [b], non voluntate depravatus ».

His aliisque testimoniis utuntur qui dicunt, Angelos, qui ceciderunt, creatos fuisse malos et sine mora corruisse; eos vero qui perstiterunt, perfectos et beatos fore [c] creatos, astruunt auctoritate Augustini, qui *Super Genesim* [4] dicit, per caelum significari spiritualem creaturam, quae ab exordio quo facta est, et perfecta et beata est semper.

21 Aliis autem videtur omnes Angelos creatos esse bonos et in [d] ipso creationis primordio [e] bonos exstitisse. id est sine vitio, iustosque fuisse, id est innocentes, sed non iustos, id est virtutum exercitium habentes. Nondum enim praediti erant virtutibus, quae stantibus appositae fuerunt in confirmatione per gratiam, aliis [f] per liberum arbitrium superbientibus, et ideo cadentibus. Aliquam etiam fuisse morulam aiunt [g] inter creationem et lapsum vel [h] confirmationem. Et in [i] illa brevitate temporis omnes boni erant, non quidem per usum liberi arbitrii, sed per creationis beneficium; et tales erant, qui stare poterant, id est, non cadere per bona [k] creationis, et cadere per liberum arbitrium. Poterant enim [l] peccare et non peccare, sed non poterant proficere ad meritum vitae, nisi gratia superadderetur, quae addita est quibusdam [m] in confirmatione.

---

[a] B om. [b] Ed. *malus et invidus diabolus.* [c] Ed. *fuisse.* Verbum *fore* apud antiquos passim pro praeterito adhiberi, vide Du Cange, *Diction.*, et Forcellini, *Lexicon.* [d] Z om. [e] A *initio.* [f] Z add. *vero.* [g] D om. [h] Ed. *ac.* [i] V Z om. [k] D *bonum.* [l] B om. [m] D om.

---

[1] Cap. 19 et 20, n. 26, 27 (PL 34, 439 et seq.). [2] Cap. 40, 19. [3] Ps. 103, 26. Cfr. August. *In Ioan.* tr. 42, n. 11 (PL 35, 1703). [4] Libr. I, c. 1, n. 3 (PL 34, 247).

Et ad confirmandum hoc, utuntur testimonio Augustini, qui *Super Genesim* [1] dicit, angelicam naturam primo informiter [a] creatam et *caelum* dictam, postea formatam [b] et *lucem* appellatam, quando ad Creatorem est conversa, perfecta dilectione ei inhaerens [c]. Unde prius dictum est: *In principio creavit Deus caelum et terram*, et postea subditur [d]: *Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux*, quia [e] primo agitur de creatione spiritualis naturae informis, postea de formatione eiusdem.

Ratio quoque obviat illis qui dicunt, Angelos creatos fuisse 22
malos. « Non enim potuit Creator optimus auctor mali esse; et ideo totum bonum erat, quod ex ipso illis erat, et totum bonum erat, quoniam ex ipso totum erat. Hoc modo probatur, quod boni erant omnes Angeli, quando primo facti sunt [2] », sed ea bonitate, quam natura incipiens acceperat.

Ideoque Augustinus, exterminans opinionem eorum qui Angelos creatos fuisse malos putant, auctoritate et ratione probat bonos fuisse creatos; et verba praemissa beati Iob, quae illi pro se inducebant, quomodo sint intelligenda aperit, ita dicens *Super Genesim* [3]: « Omnia, inquit, fecit Deus valde bona; naturam igitur Angelorum bonam fecit. Et quia iniustum est, ut nullo merito hoc in aliquo Deus damnet quod creavit, non naturam, sed voluntatem malam puniendam esse credendum est, nec eius naturam esse [f] significatam, cum dicitur: *Hoc est initium figmenti Dei* etc., sed corpus aëreum, quod tali voluntati aptavit Deus, vel ipsam ordinationem Dei [g], in qua eum [h], etiam invitum, fecit utilem bonis, vel ipsius Angeli facturam [i]; quia etsi praesciret Deus, voluntate malum futurum, fecit tamen eum, praevidens [k], quanta de illo sua bonitate esset facturus. *Figmentum* ergo *Dei* dicitur, quia, cum sciret Deus eum voluntate malum futurum, ut bonis noceret, creavit tamen illum, ut de illo bonis prodesset; hoc autem fecit, *ut illudatur ei*. Illuditur enim ei [l], cum Sanctis proficit tentatio eius; sicut et mali homines — quos Deus, malos futuros praevidens, creavit tamen ad Sanctorum utilitatem — luduntur [m], cum praestatur

[a] V add. *id est sine charitate.* [b] B *conformatam.* [c] V *adhaerens.* [d] Ed. cum B *subditum.* [e] Ed. add. *in.* [f] D om. [g] B om. [h] B om. [i] D *naturam.* [k] Ed. et V Z *providens.* [l] D om. [m] Ita U V D; ed. *illuduntur.*

[1] Libr. I, c. 1, n. 3; c. 3, n. 7; c. 4, n. 9 (P L 34, 247 et sqq.). Tamen August. potius inquirendo quam asserendo loquitur. [2] Verbotenus ex Hugone, loc. cit. [3] Libr. XI, c. 21, n. 28; et c. 22, n. 29 (P L 34, 440) *.

Sanctis eorum tentatione profectus. Sed ipse est [a] initium, quia praecedit antiquitate [b] [1] et principatu malitiae. Haec autem illusio fit angelis malis et hominibus [c] per Angelos sanctos, quia subdit eis angelos malos et homines malos [d], ut, non quantum nituntur, sed quantum sinuntur, possint ».

Ecce aperte ostendit, qualiter praedicta verba Iob intelligenda sint, et angelicam naturam bonam creatam asseruit.

23 Deinde, qualiter verba Domini, quae supra posuit, accipienda sint [e] aperit [f], ubi etiam sua quae praedixit verba determinat, evidenter docens, Angelos bonos fuisse creatos, et post creationem [2], interposita aliqua morula, cecidisse, ita inquiens [3]: « Quod putatur diabolus nunquam in veritate stetisse, nunquam beatam vitam duxisse, sed [g] ab initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut malus a bono Deo esse [h] creatus putetur, quia ab initio non cecidisse diceretur: non enim cecidit, si talis, id est malus [i], factus est. A quo enim caderet? Factus ergo prius [k], statim a veritate se avertit, propria potestate delectatus, beataeque vitae dulcedinem non gustavit, quam acceptam non fastidivit [4], sed nolendo accipere amisit. Sui ergo [l] casus praescius esse non potuit, quia sapientia fructus est pietatis [5]. Continuo autem ut factus est, cecidit, non ab eo quod accepit, sed ab eo quod [m] accepisset, si Deo subdi voluisset ». Ecce hic aperte declarat, Angelos bonos esse creatos et post creationem cecidisse; et fuit ibi aliqua morula, licet brevissima.

Quod Origenes confirmat *Super Ezechielem* ita [n] dicens [6]: « Serpens, hostis [o] contrarius veritati, non tamen a principio neque statim super pectus et ventrem suum ambulavit; sicut Adam et Eva non statim peccaverunt, ita et serpens aliquando [p] non serpens, cum in paradiso deliciarum moraretur; Deus enim malitiam non fecit ». Ecce aperte dicit, post creationem, interposita morula, cecidisse.

---

[a] D om.; Z *dicitur*. [b] U corr. interl. *vel iniquitate*. [c] Ed. cum Z (interlin.) add. *malis*. [d] B om. *et homines malos*. [e] Ed. add. *Augustinus*. [f] U *aperte ostendit*. [g] U add. *etiam*. [h] D om. [i] Z om. *id est;* D om. *id est malus*. [k] Erf. annotat: *in originali non habetur* prius *sed sic:* Sed factus continuo. [l] V *enim*. [m] B om. *ab eo quod*. [n] Ita U Z D; ed. om. [o] Ed. add. *est*. [p] Ed. cum Z add. *fuit*.

---

[1] Respicitur Apoc. 12, 9. [2] Erf. annotat: *Illud non dicit Augustinus*. [3] Libr. XI. *De Gen. ad lit.* c. 23, n. 30 (P L 34, 441) *. [4] Erf. hic annotat, hanc esse lectionem originalis, simulque adiungit: *Istam quaestionem de morula determinat August., XI. De civ. Dei,* c. 15. [5] Respicitur Eccli. 43, 37. [6] Hom. 1, n. 3 (P G L 13, 671) *.

Ideoque verba illa sic accipienda videntur: *Homicida erat ab initio* [a] [1] vel *mendax,* id est statim post initium, quando sibi Dei aequalitatem promisit [2] et se ipsum occidit, qui *homo* dicitur in Evangelio [b] [3]. Nec *in veritate stetit,* quia in ea non fuit, sed *ab initio* temporis, id est statim post initium temporis, apostatavit. Potest etiam et [c] [4] sic accipi illud: *Ab initio homicida fuit* vel *mendax,* id est, ex quo homo conditus fuit, quem per invidiam in mortem praecipitavit et fallaciter seduxit [5].

Ex praedictis igitur liquet, Angelos omnes bonos esse creatos, et post creationem quosdam cecidisse a bono quod habuissent, si perstitissent.

Cap. V.

De triplici sapientia Angelorum ante casum vel confirmationem.

Hic quaeri [d] solet, quam sapientiam habuerunt ante casum vel 24
confirmationem [6].

Erat in eis naturalis [e] cognitio triplex, qua sciebant quod facti erant, et a quo facti erant, et cum quo facti erant; et habebant aliquam boni et mali notitiam, intelligentes quid appetendum, et [f] respuendum illis foret.

Cap. VI.

An aliquam habuerint Dei dilectionem vel sui ante casum.

Solet etiam quaeri, utrum aliquam Dei vel sui invicem di- 25
lectionem habuerint.

Ad quod dici potest, quoniam [g] naturalem habebant dilectionem, ut memoriam et [h] intellectum et ingenium, qua Deum et se aliquatenus diligebant, per quam tamen non merebantur.

---

[a] U *principio,* sed corr. interl. *vel initio.* [b] D add. *cum dicitur: Inimicus homo hoc fecit.* [c] Ita U V; ed. om. [d] Ita U Z D; ed. *inquiri.* [e] Z *naturaliter,* sed corr. interl. *vel naturalis.* [f] Ita U; Z D *quid;* ed. *vel.* [g] Ed. *quod.* [h] Ita U Z; ed. om.

---

[1] Ioan. 8, 44. [2] Alluditur ad Isai. 14, 13. [3] Respicitur ad Math. 13, 28. [4] Ad verba *Potest etiam* etc. cod. Erf annotat: *Ista est sententia Augustini, XI. super Genesim,* c. 8, [vide pag. 87, nota 2], *et haec expositio Augustini super Ioan. Hom. 42.* [5] Respicitur Sap. 2, 24. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 3 (P L 176, 83). [6] Cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 2, c. 14 (P L 176, 252).

DISTINCTIO IV.

CAP. UNICUM.

An perfecti et beati creati sint, an miseri et imperfecti.

26 Post haec videndum est, utrum perfectos et beatos creaverit Deus Angelos, an miseros et [a] imperfectos [1].

Ad quod dici potest, quod nec in beatitudine nec in miseria creati sunt. Miseri enim ante peccatum esse non potuerunt, quia ex peccato miseria est [2]: nam si non fuisset peccatum, nulla esset miseria. Beati quoque nunquam fuerunt illi [b] qui ceciderunt, quia sui eventus ignari fuerunt, id est peccati et supplicii futuri. Si enim lapsum suum praescierunt: aut vitare voluerunt, sed non potuerunt, et ita erant miseri; aut potuerunt, sed noluerunt, et ita erant stulti et maligni. Ideoque dicimus, quia non erant praescii eventus sui, nec eis data est cognitio eorum quae futura erant super eos.

Boni vero et qui perstiterunt forte suae beatitudinis praescii fuerunt. Unde Augustinus *Super Genesim* [3]: « Quomodo, inquit, beatus inter Angelos fuit qui futuri peccati atque supplicii praescius non fuit? Quaeritur autem [c] cur non fuerit. Forte Deus revelare diabolo noluit, quid facturus vel passurus esset; ceteris vero revelare voluit, quod in veritate mansuri essent ».

His verbis videtur Augustinus significare, quod Angeli qui corruerunt, non fuerunt praescii sui casus, ideoque beati non fuerunt; et quod Angeli, qui perstiterunt [d], beatitudinem sibi affuturam praescierunt atque de ea certi in [e] spe [f] exstiterunt; unde quodam modo iam beati erant. Et revera, si ita fuisset, posset dici, illos [g] aliquo modo fuisse [h] beatos, alios [i] vero non, qui [k] nescierunt eventum suum.

---

[a] Z *an.* [b] B D om. [c] B *Si vero quaeritur.* [d] D add. *certi.* [e] V B om. [f] V *saepe.* [g] B *alios.* [h] Z *esse.* [i] D *alio.* [k] D *quia.*

---

[1] Cfr. Abael. *Sic et non,* c. 46 (P L 178, 1412 et seq.). [2] Cfr. Prov. 14, 34. [3] Lib. XI, c. 17, n. 22 (P L 34, 438) *; unde etiam quae sequuntur sumta sunt. Quoad totam dist. cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 5, c. 18 et 19; et *Sum. Sent.* tr. 2, c. 2 et 3 (P L 176, 253 et seq., ac 81 et sqq.).

Sed haec [a] magis opinando et quaerendo dicit Augustinus 27
quam asserendo; unde et huic opinioni opponens consequenter subdit: « Sed quare discernebantur [b] illi a ceteris, ut Deus istis quae ad ipsos pertinerent non revelaret, aliis vero revelaret, cum non prius sit ipse ultor quam aliquis peccator? Non enim damnat ipse [c] innocentes ». Hic videtur innuere, quod nec peccaturis futurum malum, nec permansuris futurum bonum revelaverit. Ideoque nec illi qui ceciderunt, unquam, nec illi qui perstiterunt, usque ad consummationem beati fuerunt; quia beati non poterant esse, si de beatitudine certi non erant, vel si damnationis incerti erant.

Unde Augustinus in eodem [1]: « Dicere, inquit, de Angelis [d], quod in suo genere beati [e] esse possunt, damnationis vel salutis [f] incerti, quibus nec spes [g] esset, quod mutandi essent in melius, nimia praesumtio est ». « Quomodo enim beati esse possunt, quibus est incerta sua [h] beatitudo »?

Ex praedictis consequitur, quod Angeli qui corruerunt, nunquam beati fuerunt, nisi beatitudinem aliquis accipiat illum statum innocentiae, in quo fuerunt ante peccatum. Illi vero qui perstiterunt, aut [i] suam beatitudinem futuram, Deo revelante, praescierunt, et ita spei certitudine aliquo modo beati fuerunt; vel incerti exstiterunt [k] suae beatitudinis, et ita aliter beati non fuerunt, quam reliqui qui ceciderunt [2]. Mihi autem quod posterius dictum est probabilius [l] videtur.

Ad hoc autem, quod quaerebatur, utrum perfecti vel imper- 28
fecti fuerint creati, dici potest, quod quodam modo perfecti fuerunt, et quodam alio [m] imperfecti: non enim uno modo dicitur aliquid perfectum, sed pluribus.

« Dicitur namque perfectum tribus modis: est enim perfectum secundum tempus, et est perfectum secundum naturam, et est universaliter [n] perfectum. Secundum tempus perfectum est, quod habet quidquid tempus requirit, et convenit secundum tempus haberi; et hoc modo Angeli erant [o] perfecti ante confirmationem, vel lapsum.

---

[a] Ed. cum D *hoc*; D om. *sed.* · [b] V *decernebantur.* [c] B om. [d] D *Angelos*, om. *de.* [e] D *in sua beatitudine*, pro *in suo genere beati.* [f] U *salvationis.* [g] V *species.* [h] D om. [i] Z add. *ante.* [k] D *erant.* [l] Z add. *esse.* [m] Ed. add. *modo.* [n] D add. *et summe.* [o] B om. *Angeli erant.*

---

[1] Cap. 19, n. 25, et seq. loc. ibid. c. 17 (PL 34, 439, 438). [2] Cfr. August., XI. *De civ. Dei*, c. 13 (PL 41, 329).

Secundum naturam perfectum est, quod habet quidquid debitum est vel expedit naturae suae ad glorificationem; et hoc modo perfecti fuerunt Angeli post confirmationem, et erunt Sancti post resurrectionem. Universaliter et summe perfectum est, cui nihil unquam deest, et a quo universa proveniunt bona, quod solius Dei est [1] ». Prima igitur perfectio est naturae conditae, secunda naturae glorificatae, tertia naturae increatae.

Quales fuerunt Angeli in creatione ostensum est, boni scilicet et non mali, et iusti, id est innocentes, et perfecti quodam modo, alio [a] vero imperfecti. Beati vero non fuerunt usque ad confirmationem, nisi beatitudo accipiatur, ut iam dictum est, ille status innocentiae et bonitatis, in quo conditi sunt.

DISTINCTIO V.

Cap. I.

De confirmatione et conversione stantium, et aversione et lapsu cadentium.

29 « Post haec consideratio adducit inquirere, quales effecti sint, dum dividerentur aversione et conversione.

« Post creationem namque mox quidam conversi sunt ad Creatorem suum, quidam aversi. Converti ad Deum fuit ei caritate adhaerere; averti, odio habere vel invidere: invidiae namque mater est superbia, qua voluerunt se parificare Deo. In conversis quasi in speculo relucere coepit Dei sapientia, qua illuminati sunt; aversi vero excaecati sunt. Et illi quidem conversi sunt [b] et illuminati a Deo, gratia apposita; isti vero sunt excaecati, non immissione malitiae, sed desertione gratiae, a qua deserti sunt, non ita quod prius dedita subtraheretur, sed quia nunquam est apposita ut converterentur. Haec est ergo conversio et aversio, qua divisi sunt qui natura boni erant, ut sint alii supra illud bonum per iustitiam boni, alii, illo corrupto per culpam mali: conversio

[a] V Z D add. *modo*. [b] V Z om.

[1] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 2; cfr. *De Sacram.*, p. 5, c. 16 (PL 176, 82, 253).

iustos fecit, et aversio iniustos. Utraque fuit voluntatis, et voluntas utrinque [a] libertatis[1] ».

Cap. II.

De libero arbitrio breviter tangitur.

Habebant enim omnes liberum arbitrium, quod est libera 30
potestas et habilitas voluntatis rationalis. Poterant enim voluntate eligere quodlibet, et ratione indicare, id est discernere, in quibus constat liberum arbitrium. Nec creati sunt volentes averti vel converti, sed habiles ad volendum hoc vel illud; et post creationem spontanea voluntate alii elegerunt malum, alii bonum. « Et ita discrevit Deus [b] *lucem a tenebris,* sicut dicit Scriptura [2], id est [c] Angelos bonos a malis, et lucem appellavit diem, tenebras vero [d] noctem, quia bonos Angelos gratia sua illuminavit, malos vero excaecavit [3] ».

Cap. III.

An aliquid datum fuerit stantibus, quo converterentur.

« Si autem quaeritur utrum post creationem conversis aliquid 31
collatum sit, per quod converterentur, id est diligerent Deum; dicimus, quia est ei collata gratia cooperans, sine qua non potest proficere rationalis creatura ad meritum vitae. Cadere enim potest per se, sed proficere non potest sine [e] gratia adiuvante [4] ».

Cap. IV.

Qua gratia indigebant Angeli, et qua non.

Non indigebat Angelus gratia per quam iustificaretur, quia 32
malus non erat, sed qua ad diligendum Deum perfecte et obediendum adiuvaretur. Operans quidem gratia dicitur, qua iustificatur impius, id est de impio fit pius, de malo bonus; cooperans vero, qua iuvatur ad bene volendum efficaciter, et Deum prae omnibus

---

[a] V *utrique.* [b] B om. [c] V om. *id est.* [d] Z D om. [e] V *nisi.*

---

[1] Totum hoc cap. l. fere ad verbum ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 3, et l. *De Sacram.* p. 5, c. 23 exscriptum est (P L 176, 82, 256). [2] Gen. 1, 4. [3] Hugo, locis cit. *. [4] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 3 (P L 176, 83) *.

diligendum, et ad operandum bonum, et ad [a] perseverandum in bono et huiusmodi, de quibus postea [1] plenius agemus [b]. Data est ergo Angelis qui perstiterunt, cooperans gratia, per quam conversi sunt, ut Deum perfecte diligerent. Conversi ergo sunt a bono, quod habebant, non perdito, ad maius bonum, quod non habebant; et est facta ista conversio per gratiam cooperantem libero arbitrio, quae gratia aliis [c] qui ceciderunt, apposita non fuit.

Cap. V.

An lapsis sit imputanda aversio.

33 Ideoque a quibusdam obiici [d 2] solet, non esse imputandum illis qui aversi sunt et non conversi, quia sine gratia converti non poterant; sed illa non est eis [e] data, nec culpa illorum fuit, quod non est data, quia in eis nulla culpa adhuc praecesserat.

Ad quod dici potest, quoniam quibus apposita est ipsa gratia, non fuit ex meritis eorum, alioquin iam non esset gratia [3], si ex merito, quod esset ante gratiam, daretur. Quod vero aliis non est data, culpa eorum fuit, quia cum stare possent, noluerunt, quousque gratia apponeretur, sicut alii perstiterunt, donec, illis [f] cadentibus per superbiam, eis gratia est apposita. Aperte ergo cadentium culpa in hoc deprehendi potest, quia, licet sine gratia nequirent proficere, quam nondum acceperant, per id tamen, quod eis collatum erat in creatione, poterant non cadere, id est stare; quia nihil erat, quod ad casum eos compelleret, sed sua spontanea voluntate declinaverunt; quod si non fecissent, quod datum est aliis utique daretur et istis [g].

Cap. VI.

Utrum beatitudinem, quam acceperunt in confirmatione stantes, meruerint per aliquam tunc appositam gratiam.

34 Hic quaeri solet, utrum in ipsa confirmatione beati fuerint Angeli, et an ipsam beatitudinem aliquo modo meruerint.

---

[a] B D om. [b] B *dicemus.* [c] U *illis.* [d] Ita U (corr. interl.) et Z; ed. *dici.* [e] V om. [f] D *aliis.* [g] B *illis.*

---

[1] Dist. XXVI et XXIX. [2] Pro hoc cap. cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 3 (PL 176, 83). [3] Respicitur Rom. 11, 6.

Quod in ipsa confirmatione beati fuerint, plures contestantur auctoritates [1], et ideo pro constanti habendum est.

Utrum vero per gratiam tunc sibi datam ipsam beatitudinem 35
meruerint, ambiguum est.

Quibusdam enim placet, quod eam meruerint per gratiam, quam in confirmatione perceperunt [a], simulque in eis meritum et praemium fuisse dicunt, nec meritum praecessisse praemium tempore, sed causa.

Aliis autem videtur, quod beatitudinem, quam receperunt in confirmatione per gratiam tunc appositam, non meruerint, dicentes, tunc non fuisse eis gratiam collatam ad merendum, sed ad beate vivendum; nec tunc eis datum esse bonum, quo [b] mererentur, sed quo feliciter fruerentur. Quod autem tunc in praemium acceperunt, per obsequia nobis exhibita ex Dei obedientia et reverentia, mereri dicunt [c]; et ita praemium praecessit merita [d]. Et hoc magis [e] mihi placere fateor [2].

DISTINCTIO VI.

Cap. I.

Quod de maioribus et minoribus quidam ceciderunt, inter quos unus fuit celsior, scilicet Lucifer.

Praeterea sciri oportet, quoniam, sicut de maioribus et mino- 36
ribus quidam perstiterunt, ita de utroque gradu quidam corruerunt; inter quos unus fuit omnibus aliis cadentibus excellentior, nec inter stantes aliquis eo fuit dignior, sicut testimoniis auctoritatum monstratur.

Ait enim Iob [3]: *Ipse est* [f] *principium viarum Dei.* Et in Ezechiele legitur [4]: *Tu signaculum similitudinis, plenus scientia,*

[a] B C *acceperunt.* [b] V *quod.* [c] U *dicuntur.* [d] B *meritum.* [e] Z om. [f] Ita U Z; ed. om.

[1] Cod. Erf. annotat: *Sicut August., XI. De civ. Dei, c. 12, et XI. De Gen. c. 8, et libr. De corrept. et gratia circa medium, et fere ubique secundum August., ubi loquitur de materia ista.* [2] Cod. Erf. annotat: *Hic non tenetur Magister.* [3] Cap. 40, 14. Quae sequuntur in hoc cap. verbotenus desumuntur ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 4 (PL 176, 83 et seq.); cfr. Abael. *Sic et non,* c. 47 (PL 178, 1415 et seq.). [4] Cap. 28, 12.

et perfectione decorus, in deliciis paradisi Dei fuisti [a]. Quod Gregorius [1] exponens ait: « Quanto in eo subtilior est natura, eo magis in illo imago Dei similis insinuatur impressa ».

Item in Ezechiele legitur [2]: *Omnis lapis pretiosus operimentum eius,* id est, omnis Angelus quasi operimentum eius erat, quia, ut dicit Gregorius [3], « in comparatione aliorum, ceteris clarior fuit ». Unde et vocatus est Lucifer, sicut testatur Isaias [4]: *Quomodo,* inquit, *cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris* etc.? Qui non unus ordo, sed unus spiritus accipiendus est, qui, teste Isidoro [5], postquam creatus est, eminentiam naturae et profunditatem scientiae suae perpendens, in suum Creatorem superbivit in tantum, quod etiam Deo se aequare voluit, ut in Isaia dicitur [6]: *In caelum ascendam, super astra caeli exaltabo solium meum* [b], *et ero similis Altissimo.* Similis quidem [c] esse Deo voluit non per imitationem, sed per aequalitatem potentiae.

Cap. II.

Unde et quo deiecti sunt.

37 « Et tantae superbiae merito de caelo, id est de [d] empyreo, in quo cum aliis fuerat, deiectus est in istum caliginosum aërem, cum omnibus suae pravitatis consortibus [7] ». Nam, ut Ioannes ait in Apocalypsi [8]: *Draco de caelo cadens secum traxit tertiam partem stellarum,* quia Lucifer ille aliis maior non solus cecidit, sed cum eo alii multi, qui ei in malitia consenserunt eosque cadentes huius caliginosi aëris habitaculum recepit [e]. Et hoc ad nostram probationem factum est, ut sit [f] nobis causa exercitationis.

Unde Apostolus [9]: *Colluctatio est nobis adversus principes et potestates mundi huius et adversus rectores tenebrarum harum* [g] *contra* [h] *spiritualia nequitiae in caelestibus;* quia daemones, qui sunt spirituales et nequam, in hoc turbulento aëre

---

[a] V add. *non quod fruitus esset illa, sed in tenuitate essentiae et in subtilitate ingenti creatus fuit.* [b] Z om. [c] B D *quippe.* [d] V om. [e] Ita U V Z; ed. *excepit.* [f] V Z *sint.* [g] V Z om. [h] V *et.*

---

[1] Libr. XXXII. *Moral.* c. 23, n. 47 (PL 76, 665) *. [2] Cap. 28, 13. [3] Potius S. Paterius, *Expos. sup. Ezech.* c. 27, n. 48 (PL 79, 991). [4] Cap. 14, 12. [5] I. *Sent.* c. 10, n. 8 (PL 83, 555) [6] Cap. 14, 13 et 14. [7] Hugo, *Sum. Sent.* loc. cit. [8] Cap. 12, 3, 4. [9] Ephes. 6, 12. Cfr. et ibid. 2, 2.

nobis propinquo, qui [a] caelum appellatur, habitant. Unde et diabolus princeps aëris dicitur.

Cap. III.

Quare non est eis concessum habitare in caelo vel in terra.

« Non enim est eis concessum habitare in caelo, quia clarus 38
locus est et amoenus; nec in terra nobiscum, ne homines nimis infestarent [1], sed iuxta Apostoli Petri doctrinam in Epistola canonica [2] traditam, in aëre isto caliginoso, qui eis quasi carcer usque ad tempus [b] iudicii deputatus est. Tunc autem detrudentur in baratrum inferni, secundum illud [3]: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius* ».

Cap. IV.

De praelationibus daemonum.

Et sicut inter bonos Angelos alii aliis praesunt, ita et inter [c] 39
malos alii aliis praelati sunt, et alii aliis subiecti [d] [4]. Quamdiu enim [e] durat mundus, Angeli Angelis, et [f] homines hominibus, et [g] daemones daemonibus praesunt; sed in futuro omnis evacuabitur praelatio, ut docet Apostolus [5]. Habent quoque, secundum [h] modum scientiae maioris vel minoris, praelationes [i] alias maiores vel minores. Quidam enim uni provinciae, alii uni homini, aliqui etiam uni vitio praesunt [6]. Unde dicitur spiritus superbiae, spiritus luxuriae et huiusmodi, quia de illo vitio maxime potest homines tentare, a quo nominatur. Inde est etiam, quod nomine daemonis divitiae vocantur, scilicet mammona [7]. Est enim mammon nomen daemonis, quo nomine vocantur divitiae secundum Syricam linguam. Hoc autem non ideo est, quod diabolus in potestate habeat dare vel auferre divitias, cui velit, sed quia eis utitur ad hominum tentationem et deceptionem.

---

[a] Ita U; ed. *quod.* [b] U *diem.* [c] Z add. *illos.* [d] Z add. *sunt.* [e] V Z om. [f] Ed. om. [g] Ed. om. [h] D om. [i] D add. *alii.*

---

[1] Cfr. August., XI. *De Gen. ad lit.* c. 26, n. 33 (P L 34, 443). [2] II. Epist. c. 1, 19; cfr. ibid. 2, 4 et Iudas v. 6. [3] Matth. 25, 41. Omnia verbotenus ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 4 (P L 176, 84). [4] Ad initium huius cap. cod. Erf. annotat: *Illud Gandulphi, Sent. l. 2, c. 14.* [5] I. Cor. 15, 24. [6] Respicitur Dan. 10, 13. Cfr. Hugo, loc. cit. [7] De mammona cfr. Luc. 16, 9-13; Matth. 6, 24.

Cap. V.

An omnes daemones sint in hoc aëre caliginoso, vel in inferno aliqui.

40 Solet autem [a] quaeri, utrum omnes in isto aëre caliginoso sint, an aliqui iam sint in inferno.

Quod in infernum [b] quotidie descendant aliqui daemonum [c], verisimile est, qui animas cruciandas illuc deducunt: et quod illic aliqui semper sint, alternatis forte vicibus, non procul est a vero, qui illic animas detinent atque cruciant. Quod autem animae malorum illuc descendant atque ibi [d] puniantur, ex eo constat, quod Christus ad inferos descendit, ut iustos qui ibi tenebantur [e], educeret. Si enim illuc iusti descendebant, multo magis iniusti: et sicut tradit [f] auctoritas [1], cum iustos eduxit, iniquos ibi reliquit: momordit enim infernum, non absorbuit.

Cap. VI.

De potestate Luciferi.

41 De Lucifero autem quidam opinantur [2], quod ibi religatus sit et ad nos tentandos non habeat nunc [g] accessum, quia in Apocalypsi [3] legitur: *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exiet et seducet gentes:* quod erit in [h] novissimo tempore antichristi, quando erit tanta tribulatio [i], ut etiam, si fieri potest, moveantur electi [4]. Quem ibi religatum dicunt [5] ab eo [k] tempore, quo tentavit Christum [6] in deserto vel in passione, et victus est ab eo. Ipsum putant primum hominem tentasse et vicisse, et secundo [l] Deum, sed ab eo victum esse, et ideo in inferno religatum. Alii autem putant, ex quo cecidit, pro peccati sui magnitudine [m] illuc fuisse demersum.

[a] Z *etiam.* [b] V om. *in infernum.* [c] Z *daemones.* [d] Ed. *illic.* [e] Z *detinebantur.* [f] lta U B D; ed. *tradidit.* [g] Z om. [h] Ed. om. [i] B *persecutio.* [k] D om. [l] B *secundum,* om. *Deum.* [m] Z *malignitate,* sed corr. interl. *vel magnitudine.*

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 4 (PL 176, 84). Cod. Erf. annotat: *Oseae 13, 14.* Cfr. *Gregor., XII. Moral. c. 11, n. 15, et Super Evang. hom. 2 n. 6* (PL 76, 1177) *ubi haec habentur: Partem abstulit, et partem reliquit.* [2] Cfr. Hugo, loc. cit. [3] Cap. 20, 7. [4] Alluditur ad Matth. 24, 24. [5] Cfr. Glossa ad Tob. 6, 5. [6] Matth. 4, 1-11.

Sed sive in infernum demersus sit, sive non, credibile est, eum non habere facultatem [a] accedendi ad nos, quam habebit in [b] tempore antichristi; in quo fraudulenter ac violenter operabitur, et ideo forte dicitur [1] tunc solvendus, quia tunc dabitur ei a Deo [c] potestas tentandi homines, quam modo non habet.

Cap. VII.

An daemones, semel victi a sanctis, ultra accedant ad alios.

Aliis quoque, qui a sanctis iuste et pudice viventibus vincun- 42
tur, potestas alios tentandi videtur adimi.

Unde Origenes [2]: « Puto, inquit, sane, quia sancti, repugnantes adversus [d] istos [e] incentores et vincentes, minuant exercitum daemonum [f], velut quam plurimos eorum interimant; nec ultra fas sit illi spiritui, qui ab aliquo sancto caste et pudice [g] vivendo [h] victus est, iterum impugnare alium hominem ».

Hoc autem putant quidam intelligendum tantum de illo vitio, in quo superatus est, ut, si de superbia aliquem virum [i] sanctum tentat et vincitur, ulterius [k] non liceat ei illum vel alium de superbia tentare.

DISTINCTIO VII.

Cap. I.

Utrum boni Angeli possint peccare, vel mali recte vivere.

Supra [3] dictum est, quod Angeli, qui perstiterunt, per gra- 43
tiam confirmati sunt, et qui ceciderunt, a gratia Dei [l] deserti sunt. Et boni quidem in tantum confirmati sunt per gratiam, quod peccare nequeunt; mali vero per malitiam adeo sunt obstinati, quod bonam voluntatem habere sive bene velle non valeant [m], etsi bonum sit quod aliquando volunt. Volunt enim aliquando aliquid [n]

[a] U *potestatem.* [b] B om. [c] U *Domino.* [d] Z *contra.* [e] B om. [f] Ed. add. *et.* [g] B add. *et iuste.* [h] D *vivente.* [i] D om. [k] Z *ultra.* [l] B om. [m] Ed. *valent.* [n] Z D om.

[1] Apoc. 20, 3. [2] Hom. 15, n. 6 in c. 11 Iosue abbreviate (P L 12, 903); cfr. Hugo, loc. cit. [3] Dist. V, c. 1. Cfr. de hoc et sequenti cap. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 4 (P L 176, 84 et seq.).

fieri, quod Deus vult fieri, et utique illud bonum est et iustum fieri, nec tamen bona voluntate illud volunt, nec bene illud volunt [a].

Cap. II.

Quod cum utrique habeant liberum arbitrium, non tamen ad utrumque flecti possunt.

44 Sed cum nec boni peccare possint, nec mali bene velle vel bene operari, videtur, quod iam non habeant liberum arbitrium, quia [b] in utramque partem flecti non possunt, cum liberum arbitrium ad utrumque se habeat.

Unde Hieronymus [1] in tractatu de prodigo filio dicit: « Solus Deus est, in quem peccatum cadere non potest; cetera [c], cum sint liberi arbitrii, in utramque partem [d] flecti possunt ». Hic videtur dicere, quod omnis creatura, in libero arbitrio constituta, potest flecti ad bonum et ad malum. Quod si est, ergo et boni Angeli et mali ad utrumque flecti possunt; ergo et boni possunt fieri mali, et mali boni.

Ad quod dicimus, quia boni tanta gratia confirmati sunt, ut nequeant [e] fieri mali, et mali in malitia adeo obdurati sunt, ut non valeant fieri boni; et tamen utrique habent liberum arbitrium, quia et boni non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate, per gratiam quidem adiuti [f], bonum eligunt et malum respuunt; et mali similiter spontanea voluntate, a gratia destituti [g], bonum vitant et malum sequuntur; et habent [h] mali liberum arbitrium, sed depressum atque corruptum, adeo [i] quod surgere ad bonum non valet [k].

Cap. III.

Quod boni post confirmationem liberius habent arbitrium quam ante.

45 Boni vero arbitrium habent multo liberius post confirmationem quam ante.

---

[a] D om. *nec b. i. volunt.* [b] V om. [c] B add. *vero.* [d] D add. *ex natura.* [e] Z B D *non queant.* [f] B *ad vitam.* [g] B *destituta.* [h] B om. [i] Ita U; ed. om. [k] Ita U B; ed. *valent.*

---

[1] Epist. 21. *Ad Damas.* n. 40 (P L 22, 393). Cfr. infra dist. XXV, c. 3 et 4.

Ut enim Augustinus tradit in *Enchiridio* [1]: « Non ideo [a] carent libero arbitrio, quia male [b] velle non possunt: multo quippe [c] liberius est arbitrium, quod non potest servire peccato. Neque [d] culpanda est voluntas; aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volunt, ut esse miseri non solum nolint, sed nec prorsus velle possint ».

Non possunt itaque boni Angeli velle malum, vel velle [e] esse miseri; neque hoc habent ex naturae sed [f] gratiae beneficio. Ante gratiae namque confirmationem potuerunt peccare Angeli, et quidam etiam peccaverunt et daemones facti sunt.

Unde Augustinus in libro *Contra Maximinum* [2]: « Creaturarum natura caelestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam et Angeli peccaverunt et daemones facti sunt, quorum diabolus est princeps; et qui non peccaverunt peccare potuerunt; et cuicumque creaturae rationali praestatur ut peccare non possit, non est hoc naturae propriae, sed Dei gratiae. Ideoque solus Deus est, qui non gratia cuiusquam [g], sed natura sua nec potuit nec potest nec poterit [h] peccare ». Ecce hic insinuatur, quod Angeli ante confirmationem peccare potuerunt, sed [i] post confirmationem non possunt. Et quod potuerunt, fuit eis ex libero arbitrio, quod est eis naturale; quod vero modo non possunt peccare, non est eis ex natura, id est ex [k] libero arbitrio, sed ex gratia; ex qua gratia est etiam [l] ut ipsum liberum arbitrium iam non possit servire peccato.

Cap. IV.

Quod non possunt ex natura peccare, sicut ante.

Non ergo post confirmationem Angeli de natura, sicut ante, 46
peccare potuerunt; non quod liberum arbitrium eorum debilitatum sit per gratiam, sed ita potius confirmatum, ut iam per illud non possit bonus Angelus peccare; quod utique non est ex ipso [m] libero arbitrio, sed ex Dei gratia.

Quod ergo Hieronymus ait: « Cetera, cum sint liberi arbitrii, possunt flecti in utramque partem », accipi oportet secun-

---

[a] V *enim*. [b] D *malum*. [c] V *quidem*. [d] D add. *enim*. [e] U om. [f] Ed. add. *ex*. [g] Z om. [h] D add. *unquam*. [i] Z *et*. [k] Ed. om. [l] Z om. [m] Z om.

---

[1] Cap. 105 (PL 40, 281). [2] Libr. II, c. 12, n. 2 (PL 42, 768) *.

dum statum, in quo creata sunt. Talis etenim et homo et Angelus creatus est, qui ad utrumque flecti poterat; sed postea boni Angeli per gratiam ita [a] confirmati sunt, ut peccare non possint; et mali ita [b] vitio obdurati, ut bene vivere nequeant.

Similiter etiam [c] illud Isidori [1] intelligendum est: « Angeli mutabiles natura, immutabiles sunt gratia », quia ex natura in primordio suae conditionis mutari potuerunt sive [d] ad bonum, sive ad malum; sed post per gratiam ita bono addicti sunt, ut inde mutari nequeant: ad hoc enim repugnat gratia, non natura.

Cap. V.

Quibus modis mali angeli noscant veritatem temporalium rerum.

47 Et licet mali [e] angeli ita per malitiam sint obstinati [f], vivaci tamen sensu non penitus sunt privati.

Nam, ut tradit Isidorus [2], triplici acumine scientiae vigent daemones, scilicet subtilitate naturae, experientia temporum, revelatione supernorum [g] spirituum.

De hoc etiam Augustinus [3] ait: « Spiritus mali quaedam vera de temporalibus rebus noscere permittuntur, partim subtilitate sensus, partim experientia temporum callidiores propter tam magnam longitudinem vitae, partim [h] sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotenti Deo discunt, iussu eius [i] sibi revelantibus. Aliquando autem iidem nefandi spiritus et quae [k] ipsi acturi [l] sunt, velut divinando, praedicunt ».

Cap. VI.

Quod magicae artes virtute et scientia diaboli valent, quae est eis a Deo.

48 Quorum scientia atque virtute etiam magicae artes exercentur; quibus tamen tam scientia quam potestas a Deo data est vel ad fallendum fallaces, vel ad monendum fideles, vel ad exercendam probandamque iustorum patientiam.

---

[a] V om. [b] Ed. add. *in.* [c] Z om. [d] Ita U et Z (interl.); ed. om. [e] D *maligni.* [f] Ed. *obdurati.* [g] Ed. *superiorum.* [h] Ed. add. *a.* [i] D *Dei.* [k] D *quod.* [l] Ed. *facturi.*

---

[1] I. *Sent.* c. 10, n. 2 (PL 83, 554). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 4 (PL 176, 85). [2] Loc. cit. n. 17. Totum hoc cap. est ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 4 (PL 176, 85). [3] Libr. II. *De Gen. ad litt.* c. 17, n. 37 (PL 34, 278)*.

Unde Augustinus in libro III *De Trinitate* [1]: « Video, inquit, infirmae cogitationi quid possit occurrere; cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant; nam et magi Pharaonis serpentes fecerunt et alia. Sed illud est amplius admirandum, quomodo magorum potentia, quae serpentes facere potuit, ubi ad muscas minutissimas, scilicet cinifes, ventum est, omnino defecit; qua tertia plaga Aegyptus caedebatur. Ibi certe defecerunt magi dicentes [2]: *Digitus Dei est hic.* Unde intelligitur [a], nec [b] ipsos quidem transgressores angelos et aëreas potestates, in imam istam caliginem tanquam in sui generis carcerem ab illius sublimis aethereae puritatis habitatione detrusos, per quos magicae artes possunt quidquid possunt, valere aliquid, nisi data desuper potestate. Datur autem vel ad fallendos fallaces, sicut in Aegyptios — et in ipsos etiam magos data est, ut in eorum spirituum operatione viderentur admirandi, a quibus [c] fuerant [d] damnandi — vel ad admonendos [e] fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderent, propter quod etiam nobis in Scriptura sunt prodita; vel ad exercendam [f], probandam manifestandamque iustorum patientiam ».

Cap. VII.

Quod malis angelis non servit ad nutum materia visibilium rerum.

« Nec putandum est, istis transgressoribus angelis ad nutum 49
servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, a quo haec potestas datur, quantum incommutabilis iudicat [3] ».

Cap. VIII.

Quod non sunt creatores, licet per eos magi ranas et alia fecerint; sicut nec boni, etsi per eorum ministerium fiant creaturae.

« Nec sane creatores illi mali [g] angeli dicendi sunt, quia per 50
illos magi ranas et serpentes fecerunt; non enim eas ipsi creave-

[a] Ita U V; ed. *datur intelligi.* [b] Ed. *ne.* [c] B add. *etiam.* [d] Ita U et Z (corr. interl.); ed. *fiebant.* Aug. sic: *v. a. a q. fiebant, a Dei veritate damnandi.* [e] Ed. *monendum.* [f] B add. *vel.* [g] U *maligni.*

[1] Cap. 7, n. 12 (PL 42, 875) *. [2] Exod. 7, 8. [3] August., loc. cit. c. 8, n. 13; unde et totum seq. cap. desumtum est.

runt. Omnium quippe [a] rerum, quae corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quaedam semina in corporeis mundi huius elementis latent, quae Deus originaliter eis indidit [b]. Ipse ergo [c] creator omnium est rerum, qui creator est invisibilium seminum; quia quaecumque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis [d] seminibus accipiunt progrediendi hic [e] primordia et incrementa debitae magnitudinis, distinctionesque formarum ab originalibus, ut ita dicam, regulis sumunt. Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamvis, eorum extrinsecus adhibitis motibus, ista creanda Dei virtus interius operetur; ita non solum malos, sed nec bonos Angelos fas est putare creatores; sed pro subtilitate sui sensus et corporis semina istarum rerum nobis occultiora noverunt et ea [f] per congruas elementorum temperationes latenter spargunt, atque ita et gignendarum rerum et accelerandorum incrementorum praebent occasiones. Sed nec boni haec, nisi quantum Deus iubet, nec mali haec iniuste faciunt, nisi quantum iuste ipse permittit. Nam iniqui [g] malitia [h] voluntatem suam habent [i] iniustam; potestatem autem [k] non nisi iuste accipiunt [l], sive ad suam poenam, sive ad aliorum, vel poenam malorum, vel laudem bonorum ».

Cap. IX.

Quod solus Deus sic operatur creationem rerum, sicut iustificationem mentis.

51 « Sicut ergo mentem nostram iustificando formare non potest nisi [m] Deus, praedicare autem [n] extrinsecus Evangelium etiam homines possunt, non solum boni per veritatem, sed etiam mali per occasionem; ita creationem rerum visibilium Deus interius operatur. Exteriores autem operationes atque contemperationes sive occasiones ab Angelis tam bonis quam malis, vel etiam [o] hominibus adhibentur [p] ». « Sed haec ab hominibus tanto difficilius adhibentur, quanto [q] desunt sensuum subtilitates et corporum mobilita-

[a] B add. *earum.* [b] D *tradidit.* [c] Z B *enim.* [d] D *occultissimis.* [e] D om. [f] B add. *quae.* [g] D *iniquus.* [h] Z add. *sua.* [i] Ita U Z; ed. *habet.* [k] D om. [l] Ita U Z; ed. *accipit.* [m] Z add. *solus.* [n] Z *etiam.* [o] Ed. add. *ab.* [p] Ed. cum Z B *quantum;* U add. *eis.*

[1] Ibid. n. 14 *.

tes [a] in membris [b] terrenis et pigris. Unde qualibuscumque Angelis vicinas causas ab elementis contrahere quanto facilius est, tanto mirabiliores [c] in huiusmodi operibus eorum existunt celeritates. Sed non est creator, nisi qui principaliter [d] ista formal; nec quisquam hoc potest, nisi unus creator Deus [1] ». « Aliud est enim ex intimo ac summo causarum cardine condere ac ministrare creaturam, quod facit solus creator Deus; aliud autem pro distributis ab illo viribus et facultatibus aliquam operationem forinsecus admovere, ut tunc [e] vel tunc, sic vel sic exeat quod creatur. Ista quippe originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt [2] ».

Cap. X.

Quod angeli mali multa possunt per naturae vigorem, quae non possunt propter Dei prohibitionem.

Illud quoque sciendum est, quod angeli mali quaedam [f] pos- 52
sunt per naturae subtilitatem, quae tamen non possunt propter Dei, vel bonorum Angelorum prohibitionem, id est, quia non permittuntur illa facere a Deo, vel a bonis Angelis: possent utique [g] fecisse cinifes qui ranas serpentesque fecerunt [h]. Quaedam vero non possunt facere, etiamsi permittantur ab Angelis superioribus, quia non permittit Deus.

Unde Augustinus in libro III *De Trinitate* [3]: « Ex ineffabili potentatu [i] Dei fit, ut quod possent mali angeli, si permitterentur, ideo non possunt, quia non permittuntur. Neque enim [j] occurrit alia ratio, cur non potuerunt facere cinifes qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quia maior aderat dominatio prohibentis Dei per Spiritum sanctum; quod etiam magi confessi sunt dicentes: *Digitus Dei est hic* [m]. Quid autem possint per naturam nec [n] possint propter prohibitionem, et quid per ipsius [o] naturae suae conditionem facere non sinantur, homini explorare [p] difficile est, immo impossibile [q]. Novimus, hominem posse ambulare, et ne-

[a] B *permutabilitates.* [b] D *corporibus.* [c] D *mirabilius.* [d] V om. [e] D *nunc.* [f] D *multa.* [g] Z *itaque.* [h] D add. *nisi prohibiti essent a Deo.* [i] U add. *ait.* [j] D *potentia.* [l] B om. [m] U *iste.* [n] Ed. add. *tamen.* [o] D om. [p] Z B D *explicare.* [q] Z add. *est.*

[1] Ibid. c. 9, n. 17 et n. 16. [2] Ibid. n. 16. [3] Cap. 9, n. 18 (PL 42, 878).

que hoc posse si non [a] permittatur; volare autem non posse, etiamsi permittatur. Sic et illi angeli quaedam possunt facere, si permittantur ab Angelis potentioribus ex imperio Dei; quaedam vero non possunt, etiamsi ab eis [b] permittantur, quia ille non permittit, a quo est illis talis naturae modus, qui etiam per Angelos suos illa plerumque non permittit, quae concessit ut possint ».

DISTINCTIO VIII.

Cap. I.

Utrum omnes Angeli corporei sint.

53 Solet etiam in quaestione versari apud doctos, utrum Angeli omnes, boni scilicet ac mali, corporei sint, id est, corpora habeant sibi unita.

Quod aliqui putant, innitentes verbis Augustini [1], qui dicere videtur, quod Angeli omnes ante confirmationem vel lapsum corpora aërea habuerint de puriore ac superiore aëris parte formata, ad faciendum habilia, non ad patiendum; et Angelis bonis, qui perstiterunt, talia conservata [c] sunt corpora, ut in eis possint facere et non pati, quae tantae sunt tenuitatis, ut a mortalibus videri non valeant nisi supervestita aliqua grossiori forma, qua assumta videntur, depositaque videri desinunt; angelis vero malis mutata sunt in casu corpora in deteriorem [d] qualitatem spissioris aëris. Sicut enim a loco digniori in inferiorem locum, id est caliginosum aërem deiecti sunt, ita illa corpora tenuia transformata sunt in deteriora corpora et spissiora, in quibus possunt pati a superiori elemento, id est ab igne.

Et hoc Augustinus sensisse videtur *Super Genesim* [2] ita dicens: « Daemones aërea dicuntur animalia, quia corporum aërco-

[a] D *nisi,* pro *si non.* [b] B om. *ab eis.* [c] B *observata;* D *servata.* [d] D add. *partem et.*

[1] *Retract.* I. c. 26 (P L 32, 624). Cfr. *Sermo* 277, c. 8, n. 8 (P L 38, 1261) et praecipue Fulgent., *De Trin.* c. 9 (P L 65, 505). Hanc sententiam tenet Rupertus Tuitiensis, I. *De victoria Verbi Dei,* c. 28 (P L 169, 1241); et I. *In Genesim,* c. 11 (P L 167, 208). [2] Libr. III, c. 10, n. 14 et 15 (P L 34, 284 et seq.). — Erf. ad hunc locum recte annotat: *Et est in Glossa Gen. 1: Producant aquae. In originali:* quapropter, etsi daemones aërea sunt animalia *etc. In Glossa ponitur, ut hic,* dicuntur.

rum natura vigent; nec per mortem dissolvuntur, quia praevalet in eis elementum aptius ad faciendum quam ad patiendum. Ad patiendum enim humor et humus, ad faciendum aër et ignis aptitudinem praebent. Transgressores vero angeli cum principe suo, nunc diabolo tunc Archangelo, non mirum, si post peccatum in hanc caliginem detrusi sunt. Neque etiam hoc mirum est, si conversi sunt ex poena in aëream qualitatem, qua possint [a] ab igne pati. Caliginosa tamen aëris tenere tantum permissi sunt, qui eis quasi carcer sit usque ad tempus iudicii ».

Ecce [b] his verbis videtur Augustinus [1] id tradere quod quidam opinantur de corporibus Angelorum.

Hoc autem alii eum dixisse astruunt [c], non ita sentiendo, sed 54
opinionem aliorum referendo, quod ex ipsius [d] verbis diiudicare volunt, quibus ait: « Daemones dicuntur aërea animalia », non ait « sunt » [2]; ita enim quidam dicebant. De habitatione vero caliginosi aëris, in quem detrusi sunt, non opinando sed rei veritatem asserendo eum tradidisse dicunt, quod ipsius locutionis distinctio ostendit. Dicunt quoque, plurimos catholicos tractatores in hoc convenisse atque id [e] concorditer docuisse, quod Angeli incorporei sunt, nec corpora habent sibi unita; assumunt autem aliquando corpora, Deo praeparante, ad impletionem ministerii [f] sibi a Deo iniuncti, eademque post expletionem [g] deponunt; in quibus corporibus hominibus apparuerunt atque locuti sunt. Et aliquando quidem locuti sunt ex persona Dei sine distinctione alicuius personae, aliquando ex persona Patris, vel Filii, sive Spiritus sancti.

Cap. II.

De formis, quibus apparuit Deus, et de illis, in quibus Angeli apparent.

Nec dubitandum est, Deum in corporalibus formis apparuisse 55
hominibus, sicut Augustinus in II libro *De Trinitate* [3] osten-

[a] Ed. *possunt.* [b] U add. *ex.* [c] D *referunt.* [d] B *ipsis.* [e] V om. [f] B add. *sui.* [g] D *completionem.*

[1] Cfr. etiam lib. VIII. *De civ. Dei*, c. 16 (PL 41, 241). [2] Sed cfr. supra pag. 340, nota 2. [3] Cap. 5, 6, 7 seqq. (PL 42, 848 et sqq.). Cfr. Abael. *Sic et non*, c. 42 (PL 178, 1403 et seq.).

dit, conferens diversa Scripturae testimonia, ex quibus Deum in corporeis figuris hominibus apparuisse probat, et aliquando ex persona Dei sine personarum distinctione, aliquando sub distinctione sermonem eis factum esse.

Cap. III.

Quod Deus in specie, qua Deus est, nunquam apparuit mortalibus.

56 Sed ubi Deum hominibus in corporalibus imaginibus apparuisse asserit, perplexam quaestionem proponit, quam nec absolvit, quaerens, utrum in illis corporalibus apparitionibus creatura aliqua crearetur ad illud opus tantum, in qua Deus hominibus appareret; an Angeli, qui ante erant, ita mitterentur, ut manentes in suis spiritualibus corporibus, assumerent ex corpulenta inferiorum elementorum materia aliquam speciem corporalem, quam coaptatam quasi aliquam vestem mutarent in quaslibet corporales species, veras quidem; an corpus suum proprium verterent in species aptas actionibus suis [a] per virtutem sibi a Deo datam.

Ait enim Augustinus ita [b] in III libro [c] *De Trinitate*[1]: « Quaerendum est in illis antiquis corporalibus formis et visis, utrum ad hoc opus tantum creatura formata sit, in qua Deus, sicut tunc oportuisse iudicavit, humanis ostenderetur aspectibus; an Angeli, qui iam erant, ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea in usum ministerii sui; an [d] ipsum corpus suum, cui non subduntur, sed subditum regunt, mutantes atque vertentes in species, quas vellent, accommodatas atque aptas actionibus suis secundum attributam a Creatore sibi potentiam »?

« Sed fateor excedere vires intentionis meae, utrum Angeli, manente spirituali [e] sui corporis qualitate, per hanc occultius operantes assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus [f] cor-

[a] U add. *scilicet.* [b] D om. *enim Aug.*; U om. *ita.* [c] Ed. om. [d] VZBD *aut.* [e] V *speciali.* [f] D *corporalibus et.*

[1] Cap. 4, n. 4 (PL 42, 870), et II. c. 7, n. 13 (PL 42, 853).

pus [a], quod sibi coaptatum quasi aliquam vestem mutent [b] et vertant [c] in quaslibet species corporales, et ipsas veras [d], sicut aqua vera in verum vinum conversa est a Domino [1], an ipsa propria corpora et [e] sua [f] transforment in id quod volunt, ad id quod agunt accomodatum. Quod [g] horum sit, quoniam homo sum, nullo experimento comprehendere valeo [h], sicut Angeli, qui hoc [i] agunt [2] ».

Attende, lector, quia quaestionem propositam non solvit, sed indiscussam relinquit [k], utrum Angeli, qui mittuntur [l], servatis suis propriis spiritualibus corporibus, supervestirentur aliqua corpulentiori specie, in qua possint [m] videri; an ipsum corpus mutent [n] et transforment [o] in quamcumque velint [p] speciem, in qua possint [q] cerni. In quibus verbis videtur Augustinus [3] attestari Angelos esse corporeos, ac propria et spiritualia habere corpora.

Ceterum haec velut nimis profunda atque obscura reliquentes, 57
illud indubitanter teneamus, quod Deus in specie essentiae suae nunquam mortalibus apparuit, sicut famulo suo Moysi dicit [4]: *Non videbit me homo, et vivet.* Et in Evangelio Ioannis [5] legitur: *Deum nemo vidit unquam* [r]. « Visibile enim quidquam non est, quod non sit mutabile [6] ». « Ideo substantia sive essentia Dei [s], quoniam nullo modo mutabilis est, nullo modo potest per se ipsam esse visibilis. Proinde illa omnia quae patribus visa sunt, cum Deus illis praesentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Etsi nos lateat [t], quomodo ea ministris Angelis fecerit Deus, per Angelos tamen esse facta dicimus [7] ». « Audeo igitur fiducialiter dicere, nec Deum Patrem nec Verbum eius nec Spiritum eius, qui est unus Deus, per id quod est atque id ipsum est, ullo [u] modo esse mutabilem [v], ac per hoc multo minus visibilem [x] [8] ».

---

[a] V B om.; U habet *corpus* in margine, in Z est add. interl. [b] V *mutantes.* [c] V *convertant.* [d] D *versas.* [e] Ita U V Z; ed. om. [f] B om. [g] Ed. *sed quod;* D *quid.* [h] U *possum.* [i] V D *haec.* [k] Ed. *reliquit.* [l] Ed. *mittebantur.* [m] Ed. *possent.* [n] Ed. *mutarent.* [o] Ed. *transformarent.* [p] Ed. *vellent.* [q] Ed. *possent.* [r] D add. *Aug. in libro I. De Trinitate.* [s] B add. *dicitur.* [t] Ita U Z; ed. *latet.* [u] D *nullo.* [v] B *mutabile.* [x] B *visibile.*

---

[1] Ioan. 2, 9. [2] August. loc. cit. n. 5. [3] Erf. annotat: *Non hoc asserit August., quod hic asserit Magister... sicut patet XXI. De civ. Dei, c. 10, quem librum posterius scripsit quam librum De Trin., sicut patet libro II. Retract.* [4] Exod. 33, 20. [5] Cap. 1, 18. [6] August., III. *De Trin.* c. 10, n. 21 (PL 42, 881). [7] Ibid. c. 11, n. 21, 22. [8] Ibid. c. 10, n. 21.

Cap. IV.

Quomodo dicuntur daemones intrare in homines.

58 Illud etiam consideratione dignum [a] videtur, utrum daemones, sive corporei sive incorporei sint, hominum substantialiter intrent corpora eorumque animabus illabantur; an ideo intrare dicantur, quia malitiae suae effectum ibi exercent Dei permissione, opprimendo atque vexando eas, vel in peccatum pro voluntate sua trahendo.

Quod in homines introeant atque ab eis expulsi exeant, Evangelium [1] aperte declarat, commemorans daemonia in quosdam ingressa et per Christum ejecta; sed utrum secundum substantiam fuerint ingressa, an propter mali effectum dicantur ingressa, non adeo perspicuum est.

De hoc autem Gennadius in *Definitionibus ecclesiasticorum dogmatum* [2] ait: « Daemones per energicam operationem [b] non credimus substantialiter illabi animae, sed applicatione et oppressione uniri. Illabi autem menti illi soli possibile est, qui creavit, qui natura subsistens incorporeus capabilis est suae facturae ». Ecce hic videtur insinuari, quod substantialiter non illabantur daemones vel introeant corda hominum.

Beda quoque super illum locum Actuum Apostolorum [3], ubi Petrus ait Ananiae: *Cur implevit* vel [c] *tentavit satanas cor tuum?* dicit: « Notandum [d], quod mentem hominis iuxta substantiam nihil implere possit nisi creatrix Trinitas, quia tantummodo secundum operationem et voluntatis instinctum anima de his quae sunt creata, impletur. Implet vero satanas cor alicuius, non quidem ingrediens in eum et in sensum eius, neque introiens aditum [e] cordis — siquidem potestas haec solius Dei est — sed callida et fraudulenta

[a] Ed. *dignissimum.* [b] V add. *id est, virtutem daemoniacam.* [c] D om. *implevit vel.* [d] Z add. *autem.* [e] D *abditum.*

[1] Matth. 8, 16; Marc. 1, 23 seqq.; Luc. 4, 41. [2] *De ecclesiast. dogmat.* c. 50 (P L 58, 993). Cod. Erf. annotat: « *Forte Gennadius iste compilavit de verbis August. libellum suum, sicut Prosper De vera innocentia* ». Sed infra dicit: « *Illud est Augustini in libro De ecclesiast. dogmat.* ». [3] Cap. 5, 3. Verba *et implevit* sunt ex Glossa ordin., ubi legitur: « Beda, alia translatio: Quare implevit satanas cor tuum; notandum, quod mentem etc. » Cod. Erf. hic annotat: ... *et illud est in libro Didymi de Spiritu sancto* [n. 18].

deceptione animam in affectum [a] malitiae trahens per cogitationes et incentiva vitiorum, quibus plenus est. Implevit ergo satanas cor Ananiae non intrando, sed malitiae suae virus [b] inserendo ».

Idem [1]: « Spiritus immundus, flamma virtutum de cordibus fidelium expulsus, doctoribus veritatis venenum persecutionis infundit ».

His auctoritatibus ostenditur, quod daemones non substantialiter intrent [c] corda hominum, sed propter malitiae suae [d] effectum; de quibus pelli dicuntur, cum nocere non sinuntur.

DISTINCTIO IX.

Cap. I.

De ordinum distinctione.

Post praedicta superest cognoscere, de « ordinibus Angelorum 59
quid Scriptura tradat, quae in pluribus locis novem esse ordines Angelorum promulgat, scilicet Angelos, Archangelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubim [e], Seraphim [2] ».

« Et inveniuntur in istis ordinibus tria terna esse, et in singulis tres ordines, ut Trinitatis similitudo in eis insinuetur [f] impressa [g]. Unde Dionysius [3] tres ordines Angelorum esse tradit, ternos [h] in singulis ponens; sunt enim tres superiores, tres inferiores, tres medii; superiores: Seraphim, Cherubim, Throni; medii: Dominationes, Principatus, Potestates; inferiores: Virtutes, Archangeli, Angeli [4] ».

Cap. II.

Quid appelletur ordo, et quae sit ratio nominis cuiusque.

« Hic considerandum est, quid appelletur ordo; deinde, utrum 60
ab ipsa creatione fuerit [i] distinctio illorum ordinum.

---

[a] Ita omnes codd.; ed. *effectum*. [b] U B *vires*. [c] Ed. *intrant*. [d] Ita U Z; ed. om. [e] Ed. add. *et*. [f] V om. [g] Z *expressa*. [h] Z add. *angelos*. [i] B add. *ipsa*.

[1] Ibid. ad c. 28, 3 in expositione Bedae et in Glossa ordinaria. [2] Hugo I. *De Sacram.* p. 5, c. 30 (P L 176, 260). [3] *De caelest. hierarch.* c. 6 (P L 122, 1049). Cfr. Abael., *Sic et non*, c. 49 (P L 178, 1420 et seq.). [4] Verbotenus ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 5 (P L 176, 85).

« Ordo Angelorum dicitur multitudo caelestium spirituum, qui inter se in [a] aliquo munere gratiae similantur, sicut et in naturalium datorum participatione [b] conveniunt. Ut verbi gratia, Seraphim [c] dicuntur qui prae aliis ardent caritate: Seraphim enim intepretatur ardens vel succendens; Cherubim, qui prae aliis in scientia eminent [d]: Cherubim enim interpretatur plenitudo scientiae; Thronus dicitur [e] sedes: Throni autem vocantur, ut beatus Gregorius [1] ait [f], qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis sedeat Deus, et [g] per eos iudicia decernat [h]; Dominationes vocantur qui Principatus et Potestates transcendunt; Principatus dicuntur qui sibi subiectis quae sunt agenda disponunt, eisque ad explenda divina mysteria [i] principantur; Potestates nominantur hi qui hoc ceteris potentius in suo ordine acceperunt, ut virtutes adversae subiectae eis, eorum refrenentur potestate, ne homines tantum tentare valeant, quantum desiderant; Virtutes vocantur illi, per quos signa et miracula frequenter fiunt; Archangeli, qui maiora nuntiant; Angeli, qui minora [2] ».

Cap. III.

Quod nomina illa sumta a donis gratiae, non propter se, sed propter nos eis data.

61 Haec nomina illis non propter se, sed propter nos data sunt. Qui enim sibi noti sunt contemplatione, nobis innotescunt cognominatione; et nominantur singuli ordines a donis gratiarum, quae non singulariter, sed excellenter data sunt in participatione. In illa enim caelesti patria, ubi plenitudo boni est, licet quaedam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter: omnia enim in omnibus sunt, non quidem aequaliter, quia alii aliis sublimius possident, quae tamen omnes habent. Cumque omnia dona gratiarum superiores ordines sublimius et perfectius perceperint, tamen ex praecipuis sortiti sunt vocabula, inferioribus cetera relinquentes

[a] B om. [b] Ita U Z (in utroque corr. interl.) et B D; ed. *munere.* [c] Ed. add. *ut beatus Gregorius ait.* [d] B *praeeminent.* [e] Z add. *Dei.* [f] Ita omnes codd.; ed. om. *ut b. G. ait.* [g] V *ut.* [h] Ita U D; ed. add. *atque informet.* [i] Erf. annotat: *Alias* ministeria; *Gregorius habet* mysteria, *similiter Hugo.*

[1] Hom. 34 *In Evang.* n. 10 (P L 76, 1251 et seq.). [2] Verbotenus ex Hugone, *Sum. Sent.* loc. cit.

ordinibus ad cognominationem: ut Seraphim, qui ordo excellentissimus aestimatur [a], tam dilectionem quam cognitionem divinitatis et cetera virtutum dona ceteris omnibus sublimius percepit [b]: et tamen ab excellentiori dono, id est a [c] caritate, nomen accepit ille superior ordo: maius enim donum est caritas quam scientia [1].

Item, maius est scire quam iudicare: scientia namque informat iudicium; ideoque secundus ordo a secundo dono, id est [d] cognitione veritatis appellatus est, scilicet Cherubim. Ita et de aliis intelligendum est.

« Assignatur ergo excellentia ordinum secundum excellentiam donorum; et tamen, sicut Gregorius ait, illa dona omnibus sunt communia: omnes enim ardent caritate, et scientia pleni sunt [2] »; sic [e] et de aliis; sed superiores aliis excellentius, ut iam dictum est, ipsa acceperunt, a quibus et nominantur ».

Unde Gregorius [3]: « In illa summa civitate quisque ordo eius rei censetur nomine, quam plenius accepit in munere ».

« Sed oritur hic quaestio talis: Si quisque ordo ab illo dono 62
nominatur, quod plenius possidet, tunc Cherubim in scientia praeeminet omnibus, quia a scientia nominatur.

« Sed qui magis diligit plus cognoscit (tantum enim, ut tradit auctoritas [4], cognoscit ibi quisque quantum diligit); itaque Seraphim non solum in caritate, sed etiam in scientia praeeminent. Ideoque auctoritas illa sic videtur intelligenda, ut comparatio non referatur ad omnes ordines, sed ad quosdam, scilicet inferiores. Ille enim ordo non plenius [f] Seraphim accipit [g] scientiam in munere, sed plenius aliis ordinibus, qui sunt inferiores. Nec nominatur ordo quisque ab omni re, quam plenius aliis accepit, sed ab aliqua rerum, quas accepit.

« Vel potest comparatio referri [h] non ad ipsos ordines, sed ad alia dona, nec ad omnia alia dona, sed ad quaedam. Sicut enim homines, cum plura habeant dona, quaedam aliis excellentius possident, ita forte et Angeli quibusdam muneribus magis pollent et aliis quibusdam minus [5] ».

---

[a] D *nominatur*. [b] Ed. *percipit*. [c] B om. [d] Z add. *a*. [e] D *sicut*. [f] V om. [g] Ed. *accepit*. [h] Z *fieri*.

---

[1] Epist. I. Cor. 13, 13. [2] Gregor., loc. cit. n. 14. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 5 (PL 176, 86). [3] Ibidem. Cfr. Hugo, loc. cit. [4] Scil. Gregorius, loc. cit. n. 10 in fine. [5] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* loc. cit. *.

Cap. IV.

Utrum hi ordines ab initio creationis distincti fuerint.

63 Iam nunc inquirere restat, utrum isti ordines a creationis initio ita distincti fuerint [1].

Quod ita fuerint distincti a primordio suae conditionis, videtur testimonio auctoritatis [2] insinuari, quae tradit de singulis ordinibus aliquos cecidisse. De ordine namque superiori Lucifer ille fuit, quo nullus dignior conditus est. Apostolus [3] etiam *principatus et potestates tenebrarum* nominat, ostendens de ordinibus illis cecidisse qui, cum in malis ministerium exerceant, non tamen penitus nominibus ordinum suorum privati sunt.

64 Sed non videtur illud posse stare. Non [a] enim tunc caritate ardebant, nec sapientia [b] pollebant, nec in eis Deus sedebat: si enim haec habuissent, non cecidissent; non ergo tunc erant Seraphim, vel Cherubim, vel Throni.

Ad quod dicimus, quia ante casum quorundam non erant isti ordines, quia nondum habebant dona, in quorum participationibus conveniunt; sed quibusdam cadentibus, aliis apposita sunt; eisque qui ceciderunt collata fuissent eadem dona, si perstitissent. Ideoque Scriptura dicit, de singulis ordinibus aliquos cecidisse, non quia fuissent in ordinibus et postea corruerint, sed quia, si perstitissent, eorum aliqui in singulis [c] fuissent ordinibus, qui et in naturae tenuitate et in formae perspicacitate [d] differentes gradus habebant, sicut illi qui perstiterunt. Alii enim, ut praediximus [e], superiores, alii inferiores conditi sunt: superiores, qui natura magis subtiles et sapientia amplius perspicaces; inferiores, qui natura minus subtiles et intelligentia minus perspicaces facti sunt. Has autem invisibiles differentias invisibilium solus ille ponderare potest [f] qui *omnia in numero et mensura et pondere disposuit* [4], id est « in se ipso, qui est mensura omni rei modum praefigens, et numerus

[a] U *quia non*, om. *enim*. [b] D *scientia*. [c] D add. *eorum*. [d] D *perspicuitate*. [e] D *supra diximus*. [f] Ed. *potuit*.

[1] Cfr. Hugo, loc. cit. [2] Ezech. 28, 12 seqq. Cfr. Gregor. loc. cit. n. 7 in fine. [3] Ephes. 6, 12. [4] Sap. 11, 21.

omni rei speciem praebens [a], et pondus omnem rem ad stabilitatem trahens, id est terminans et formans et ordinans omnia [1] ».

Cap. V.

Utrum omnes Angeli eiusdem ordinis sint aequales.

Praeterea considerari oportet, utrum omnes Angeli eiusdem 65
ordinis aequales sint [2].

Ita esse quibusdam placuit. Sed non est hoc probabile, nec assertione dignum, quia Lucifer, qui fuit de collegio superiorum, ipsis etiam dignior exstitit [b], qui aliis excellentiores creati fuerant. Ex quo percipitur, quod si perstitisset, in ordine superiori fuisset, et aliis eiusdem ordinis dignior exstitisset. Sicut enim unus est ordo Apostolorum et alter Martyrum, et tamen in Apostolis alii sunt aliis digniores, similiter et in Martyribus alii aliis sunt superiores; ita et in ordinibus Angelorum recte creditur esse.

Cap. VI.

Quomodo dicat Scriptura decimum ordinem compleri de hominibus.

Notandum etiam [c], quod decimus ordo legitur de hominibus 66
restaurandus [3]. Sed cum non sint nisi novem ordines, nec fuissent plures, etiam si illi qui ceciderunt perstitissent, moventur lectores quomodo Scriptura [4] dicat, decimum ordinem compleri ex hominibus.

Gregorius namque dicit, homines assumendos in ordinem [d] Angelorum, quorum alii assumuntur in ordine superiorum, qui scilicet magis ardent caritate, alii in ordine inferiorum, qui scilicet minus perfecti sunt. Ex quo apparet, non esse de hominibus formandum decimum ordinem, tanquam novem sint Angelorum et decimus hominum, sed homines pro qualitate meritorum statuendos in ordinibus Angelorum.

Quod ergo legitur decimus ordo complendus de hominibus, ex tali sensu dictum fore [e] accipi potest, quia de hominibus restaura-

[a] D *ponens.* [b] D *fuit.* [c] Z add. *est.* [d] Ita U Z; ed. *ordine.* [e] B om.

[1] August., IV. *De Gen. ad litt.* c. 3, n. 7 (P L 34, 299). [2] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* loc. cit. [3] Cfr. Hugo, loc. cit. [4] Luc. 15, 8-10. Cfr. Gregor. loc. cit. n. 6 et 11.

bitur, quod in Angelis lapsum est, de quibus tot corruerunt, unde posset fieri decimus ordo [1]. Propter quod [a] Apostolus [2] dicit, *restaurari omnia in Christo, quae in caelis et quae in terris sunt,* quia per Christum redemptum est genus humanum, de quo fit reparatio ruinae angelicae [3]; non tamen minus salvaretur homo, etsi Angelus non cecidisset.

Cap. VII.

Utrum homines assumantur iuxta numerum stantium vel lapsorum spirituum.

67 Non enim iuxta numerum eorum qui ceciderunt, sed eorum qui permanserunt, homines ad beatitudinem admittuntur.

Unde Gregorius [4]: « Superna illa civitas ex Angelis et hominibus constat [b], ad quam credimus tantum [c] humani generis ascendere, quantos illic contigit [d] Angelos remansisse, sicut scriptum est in Cantico Deuteronomii [e 5]: *Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei* ».

68 A [f] quibusdam tamen putatur, quod homines reparentur iuxta numerum angelorum, qui ceciderunt, ut illa caelestis civitas nec suorum civium numero privetur, nec maiori copia regnet.

Quod Augustinus in *Enchiridio* [6] sentire videtur, non [g] asserens de hominibus plus salvari, quam corruit [h] de Angelis, sed non minus, ita dicens: « Superna Ierusalem, mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, aut uberiore etiam copia fortasse regnabit. Neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum daemonum novimus, in quorum locum succedentes filii catholicae matris, quae sterilis apparebat [7] in terris, in ea pace, de qua illi [i] ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum civium numerus, sive qui est, sive qui fuit, sive qui futurus est, in contemplatione [k] eius artificis est [l], *qui vo-*

---

[a] Z *hoc.* [b] U *consistit.* [c] Ed. cum D *tantos.* [d] Ed. *contingit;* D *constat.* [e] B om. *in Cantico Deuteronomii.* [f] B om. [g] Ita omnes codd.; ed. *hoc.* [h] D *cecidit.* [i] B om. [k] B *cognitione.* [l] D *om.*

---

[1] Erf. hic annotat: *Haec est sententia Gandolphi, lib. II, c. 35.* [2] Eph. 1, 10. [3] Respicitur I. Petr. 1, 18. [4] Loc. cit. n. 11; cfr. Hugo, loc. cit. [5] Cap. 32, 8. [6] Cap. 29 (P L 40, 246), et XXII. *De civ. Dei,* c. 1 (P L 41, 751). [7] Respicitur Isai. 54, 1.

cat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt[1] ». Ecce aperte dicit, non minus de hominibus salvari, quam corruit de Angelis, sed plus non asserit.

DISTINCTIO X.

Cap. I.

An omnes caelestes spiritus mittantur.

Hoc etiam [a] investigandum est, utrum omnes illi caelestes 69
spiritus ad exteriora nuntianda mittantur.

Quidam putant, aliquos in illa multitudine esse, qui foras pro officio exeunt; alios, qui semper intus assistunt, sicut scriptum est in Daniele[2]: *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei.*

Item, Dionysius[3] in *Hierarchia,* quae sacer principatus dicitur, de praelatione spirituum ait: « Superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt, quoniam ea quae praeeminent, usum exterioris officii nunquam habent ».

His auctoritatibus nituntur [b] qui Angelos mitti nisi inferiores infitiantur.

Quibus obiicitur quod Isaias[4] ait: *Volavit ad me unus de* 70
Seraphim, qui ordo superior est et excellentior. Ideoque, si de illo ordine mittuntur, non est ambigendum, quin etiam et de aliis [c] mittantur. Apostolus quoque ait[5]: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi.*

His testimoniis asserunt quidam, omnes Angelos mitti. Nec debet indignum videri, si etiam superiores mittantur, cum et ille qui Creator est omnium, ad haec inferiora descenderit.

Hic oritur quaestio: Si omnes mittuntur et nuntii Dei existunt, 71
quare unus tantum inter novem ordines [d] Angelorum nomine censetur?

---

[a] Z *autem.* [b] Ed. *innituntur;* V D *utuntur.* [c] D add. *angelis.* [d] D *ordo.*

---

[1] Rom. 4, 17. [2] Cap. 7, 10. Cfr. de hoc cap. Hugo, I. *De Sacram.* p. 5, c. 33 et *Sum. Sent.* tr. 2, 6 (PL 176, 262, 87 et 88). [3] *De caelest. hierarch.* cc. 7, 9, 13). Illa verba leguntur apud Gregorium, Hom. 34 *In Evang.* n. 12 (PL 76, 1254) ubi tantum verba *officii nunquam* commutata sunt in *ministerii nequaquam.* [4] Cap. 6, 6. [5] Hebr. 1, 14.

Ad quod quidam dicunt, omnes quidem mitti, sed alios saepius et quasi ex officio iniuncto, qui proprie Angeli et Archangeli nominantur; alios vero rarius mitti, scilicet maiores, causa extra communem dispensationem oborta, qui cum Angelorum ministerium suscipiunt [a] etiam nomina [b] assumunt.

Unde in Psalmo [1]: *Qui facit Angelos suos spiritus* [c], quia illi qui natura spiritus sunt, aliquando angeli, id est nuntii fiunt [d].

Cap. II.

An Michael, Gabriel, Raphael sint nomina ordinum, vel spirituum.

72 Et putant illi [e] Michael, Gabriel, Raphael de superiori ordine fuisse. « Michael interpretatur: quis ut Deus? Gabriel: fortitudo Dei; Raphael: medicina Dei [2] », nec sunt ista nomina ordinum, sed spirituum.

Et dicunt quidam [3], singulum horum unius proprie ac singulariter [f] spiritus esse nomen.

Alii vero, non unius singulariter et determinate, sed nunc huius, nunc illius esse nomen, secundum qualitatem eorum ad quae nuntianda vel gerenda mittantur; sicut et daemonum quaedam nomina sunt, quae quidam putant unius esse propria, alii vero pluribus [g] communia. Diabolus quippe [h], qui Graece ita vocatur et criminator [4] interpretatur, vel deorsum fluens, Hebraice dicitur Satan, id est adversarius. Dicitur et Belial, id est apostata et absque iugo. Dicitur etiam Leviathan, id est additamentum eorum; et alia plura reperies nomina, quae vel unius spiritus sunt propria, vel pluribus communia.

73 Qui autem omnes Angelos mitti asserunt [i], praemissas [k] auctoritates, Danielis scilicet et Dionysii, ita determinant: Dicuntur [l] superiora agmina Deo assistere et ab intimis nunquam rece-

---

[a] D *accipiunt.* [b] Ita U B; ed. *nomen.* [c] U add. *scilicet etiam.* [d] D *sunt.* [e] Ed. *quidam.* [f] D *singuli.* [g] D *omnibus.* [h] D *vero.* [i] B *dicunt.* [k] Ita V Z B D; ed. cum U *praedictas.* [l] D *dicunt.*

---

[1] Psalm. 103, 4 [2] Gregor., loc. cit. n. 9. Cfr. Hugo, *Sum. Sent* loc. cit. [3] Cod. Erf. hic annotat: *Illud sumitur a Gandolpho, II. c. 4, et sententia eius est.* Paulo inferius citatur eiusdem lib. II, c. 37. [4] De his nominibus cfr. Isai. 14, 12; Luc. 10, 17, 18; Apoc. 12, 4, 7, 13, 16; Eccli. 21, 30; II. Cor. 11, 14; et 6, 15; Iob. 40, 10, 20.

dere, non quin aliquando mittantur, sed quia rarissime ad exteriora prodeunt; neque tunc ab intimis recedunt, sed Dei praesentiae et contemplationi semper assistunt; quod etiam faciunt qui frequenter mittuntur.

« Alii vero dicunt, tres ordines supremos, scilicet Seraphim, Cherubim et Thronos, ita Creatori [a] assistere, quod ad exteriora non exeunt; inferiores autem tres ad exteriora mitti; tres vero medios inter utrosque [b] consistere, non modo dignitate vel loco sed etiam officio, quia praeceptum divinum a superioribus accipiunt et deferunt ad inferiores. Ideoque cum supremi mediis, et medii imis, atque hi hominibus praeceptum Dei nuntient, merito omnes Angelos nominari dicunt [c] [1] ». Et ob id forte Apostolus dixit: *Omnes spiritus administratores* esse Filii, et mitti in ministerium, vel per *omnes* non singulos ordines, sed de inferioribus ordinibus singulos Angelos complexus est [2]. Illud vero [d] quod Isaias dicit, per verba Dionysii [3] determinant dicentis [e]: « Hi spiritus, qui mittuntur, recipiunt [f] horum vocabulum, quorum gerunt officium ». Unde dicunt, illum Angelum, qui missus est ad Isaiam ut mundaret et incenderet [g] labia Prophetae, fuisse de ordine inferiorum. Sed ideo dictus est fore [h] de Seraphim, quia veniebat incendere et consumere delicta Isaiae.

DISTINCTIO XI.

Cap. I.

Quod singulae animae habeant Angelum bonum ad custodiam, malum ad exercitium.

Illud quoque sciendum est, quod Angeli boni deputati sunt ad 74
custodiam hominum, ita ut quisque electorum habeat Angelum, ad sui profectum atque custodiam specialiter delegatum [i].

---

[a] B add. *Deo.* [b] D *utrumque.* [c] Z om. [d] U *quoque.* [e] Ed. *dicentes;* D add. *quod.* [f] Ita U; ed. *percipiunt.* [g] D om. *et incenderet.* [h] Ed. cum D *forte;* D om. *est.* [i] U *deputatum.*

---

[1] Hugo I. *De Sacram.* p. 5, c. 33 (PL 176, 262). [2] Cod. Erf. hic annotat: *Haec responsio non videtur stare cum intentione Apostoli, quia intendit ibi probare, quod Christus est superior omnibus spiritibus universaliter.* [3] Apud Gregor., Hom. 34 *In Evang.* n. 12 in fine (PL 76, 1254).

Unde in Evangelio [1] Veritas, a pusillorum scandalo prohibens, ait: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Angelos dicit eorum esse, quibus ad custodiam deputati sunt. Super quem locum Hieronymus [2] tradit, unamquamque animam ab exordio nativitatis habere Angelum ad sui custodiam deputatum, inquiens ita: « Magna dignitas animarum est [a], ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in sui custodiam delegatum Angelum ».

Gregorius [3] quoque dicit [b], quod quisque unum [c] bonum Angelum sibi ad custodiam deputatum, et unum malum ad exercitium habet. Cum enim omnes Angeli boni nostrum bonum velint communiterque saluti omnium studeant, ille tamen qui deputatus est alicui ad custodiam, eum specialiter hortatur ad bonum, sicut legitur de Angelo Tobiae [4] et de Angelo Petri in Actibus Apostolorum [5]; similiter et mali angeli, cum desiderent malum hominum; magis tamen hominem ad malum incitat et ad nocendum fortius instat ille qui ad exercitium eius [d] deputatus est.

75 Solet autem quaeri, utrum singuli Angeli singulis hominibus, an unus pluribus ad custodiam vel exercitium deputatus sit.

« Sed cum electi tot sint, quot et boni Angeli sunt, plures constat esse omnes simul bonos et malos homines, quam boni Angeli sint [6] ». Et cum tot sint electi quot Angeli boni, et Angeli boni plures sint quam mali, pluresque sint homines mali quam boni, non est ambiguum, plures esse bonos homines quam sint mali angeli, et plures esse malos homines quam sint mali angeli vel boni Angeli. Ideoque dici oportet, unum eundemque Angelum, bonum vel malum, pluribus hominibus deputari ad [e] custodiam vel [f] exercitium, sive eodem tempore, sive diversis temporibus.

Ideo autem dicimus « eodem tempore, vel diversis temporibus », quia videtur quibusdam, quod omnes homines, qui sunt simul in aliquo tempore, singuli singulos Angelos [g] habere possint, bonos vel malos, quia, licet maior sit numerus hominum, computatis [h] in unum omnibus qui fuerunt et sunt et futuri sunt, quam Angelorum, tamen, quia homines decedentibus hominibus succedunt,

---

[a] D om. [b] U *ait.* [c] Ed om. [d] D om. [e] Z D add. *sui.* [f] B add. *ad.* [g] B om. [h] U add. *hominibus.*

---

[1] Matth. 18, 10. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 6 (PL 176, 88). [2] *In Evang. Matth.* (PL 26, 130). [3] IV. *Moral.* c. 29 (PL 75, 665 et sqq.)*. Cfr. Hugo, loc. cit. [4] Cap. 5, 6; et 6, 4; et 8, 3. [5] Act. 12, 7, 8. [6] Cfr. Hugo, loc. cit.

et ideo nunquam simul sunt in hac vita, Angeli vero nunquam decedunt, sed simul omnes sunt [a]: esse potest, ut singuli hominum, dum in hac vita sunt, singulos habeant Angelos, bonos vel malos, ad sui custodiam vel exercitium destinatos [b]. Ceterum sive ita sit sive non, non est dubitandum unumquemque habere Angelum sibi deputatum, sive pluribus simul destinatus [c] sit, sive uni singulariter. Nec est mirandum unum Angelum pluribus hominibus [d] ad custodiam deputari, cum uni homini plurium custodia deputetur [e], ita ut eorum quisque suum dicatur habere dominum vel episcopum vel abbatem.

Cap. II.

Utrum Angeli proficiant in merito et praemio usque ad iudicium.

Praeterea illud [f] considerari oportet, utrum Angeli boni in me- 76
rito vel in praemio proficiant usque ad iudicium.

Quod in meritis proficiant atque quotidie magis ac magis mereantur, quibusdam videtur ex [g] eo, quod quotidie utilitatibus hominum inserviunt eorumque profectibus student. Quibus etiam nihilominus videtur, quod et in praemio proficiant, scilicet in cognitione et dilectione Dei. Licet enim, ut aiunt, in confirmatione beatitudinem acceperint aeternam atque perfectam, augetur tamen quotidie eorum beatitudo, quia magis ac magis diligunt atque cognoscunt; et est eorum caritas, qua Deum et nos diligunt, et meritum et praemium: meritum, quia per eam et [h] obsequia, ex ea nobis impensa, merentur et in beatitudine proficiunt; et ipsa eadem est praemium, quia ea beati sunt.

Et quod Angeli proficiant in cognitione ac per hoc in beati- 77
tudine, testimoniis Sanctorum confirmant.

Dicit enim Isaias [1] ex persona Angelorum, Christi ascendentis magnificentiam admirantium: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Et in Psalmo [2]: *Quis est iste rex gloriae?* Ex quibus apparet, quod mysterium Verbi incarnati plenius

---

[a] Ed. add. *ideo.* [b] U *deputatos.* [c] V *deputatus.* [d] V om. [e] V *plures deputentur in custodiam,* pro *p. c. d.* [f] V om. [g] Z om. [h] Ed. add. *per.*

---

[1] Cap. 63, 1. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 2, c. 6 (PL 176, 88). [2] Ps. 23, 8.

cognoverunt Angeli post impletionem quam ante. Et sicut in cognitione mysterii huius profecerunt, ita dicunt eos in Deitatis [a] cognitione proficere.

Quod autem in mysterii huius cognitione profecerint, evidenter docet Apostolus [1] dicens: *Quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, ut innotescat multiformis sapientia Dei per Ecclesiam Principibus et Potestatibus in caelestibus.* Super quem locum dicit Hieronymus [2], Angelicas dignitates praefatum mysterium ad purum [b] non intellexisse, donec completa est passio Christi, et Apostolorum praedicatio per gentes dilatata.

78 His autem videtur contradicere Augustinus super eundem locum Epistolae [c] [3] dicens: « Non latuit Angelos mysterium regni caelorum, quod opportuno tempore revelatum est pro nostra salute. Illis ergo a saeculis innotuit supra memoratum mysterium, quia omnis creatura non ante saecula, sed a saeculis est ».

Attende, lector, quia videntur dissentire in hac sententia illustres doctores.

Ideoque ut omnis repugnantia de medio tollatur, praedicta [d], Haymonem [4] sequentes, ita determinemus, « ut illis Angelis, qui maioris dignitatis sunt, et per quorum ministerium illa nuntiata sunt, ex parte a saeculis cognita fuisse, utpote familiaribus et nuntiis; illis vero, qui minoris dignitatis sunt, incognita exstitisse [e] dicamus, usquequo impleta sunt et per Ecclesiam praedicata, et tunc ab omnibus Angelis perfecte fuerunt cognita ».

Constat itaque, omnes Angelos in cognitione divinorum mysteriorum secundum processum temporis profecisse. Unde non incongruenter ipsi iidem [f] dicunt, Angelorum scientiam ac [g] beatitudinem augeri usque ad futuram consummationem, quando in scientia ac beatitudine ita [h] perfectissimi erunt, ut nec augeatur amplius nec minuatur.

---

[a] D *Dei.* [b] V *plenum.* [c] VD om. [d] Ita VZD; ed. add. *verba,* quod in U est tantum add. interlin.; B add. *sententia.* [e] V *esse;* D *fuisse.* [f] VZ om. [g] B *ad.* [h] Ita U; ed. om.

---

[1] Eph. 3, 9 et 10. [2] Sic ad verbum exhibetur in Glossa, paulo aliter in Commentario Hieronymi (PL 26, 483) *. Cfr. Abael., *Sic et non,* c. 48 (PL 178, 1420). [3] Glossa ad Eph. 3, 9, 10; sed originaliter in V. *De Gen. ad litt.* c. 19, n. 38, 39 (PL 34, 334). [4] *Super Epist. ad Eph.* (PL 117, 715).

Alii autem dicunt, Angelos in confirmatione tanta Deitatis dilec- 79
tione atque notitia fuisse praeditos, ut in his ulterius non profecerint, nec profecturi sint. Profecerunt tamen in scientia rerum exteriorum [a], sicut in cognitione sacramenti Incarnationis et huiusmodi, sed non in contemplatione Deitatis, quia Trinitatem in Unitate, atque Unitatem in Trinitate non plenius intelligunt sive intellecturi sunt, quam ab ipsa confirmatione perceperunt. Ita etiam dicunt, eos in [b] caritate non profecisse post confirmationem, quia eorum caritas postea non aucta est; et sic dicunt, eos non profecisse in meritis, sed hoc [c] quantum ad vim merendi [d], non quantum ad numerum meritorum. Plura enim bona fecerunt postea, quae tunc non fecerant; sed eorum caritas, ex qua illa processerunt, non est aucta, ex qua tantum meruerunt, antequam ista adderentur, quantum postea, his adiectis.

Illud vero, quod alii superius dicunt, probabilius videtur, scilicet quod Angeli usque ad iudicium in scientia et in [e] aliis proficiant [1].

Quibus tamen videntur obviare quorundam auctoritatum 80
verba [2].

Ait enim Isidorus in libro *De summo bono* [3]: « Angeli in Verbo Dei omnia sciunt, antequam fiant ». Sed nec omnes nec omnia perfecte Angelos scire dixit, et ideo eos in scientia proficere non removit.

Gregorius quoque in libro *Dialogorum* [4] ait: « Quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt »? Ubi [f] videtur [g] dicere, quod omnia sciant Angeli, et nihil sit quod nesciant. Sed accipiendum est hoc de his quorum cognitio beatum facit cognitorem, ut sunt ea, quae ad mysterium Trinitatis et Unitatis pertinent.

[a] D *aeternarum.* [b] B *dicuntur in,* pro *dicunt eos in.* [c] B om.; V *scilicet,* pro *sed hoc.* [d] V B add. *sed.* [e] Ed. om. [f] V Z B D om. [g] B in marg. add. *itaque.*

[1] Erf. hic annotat: *Est opinio Hugonis, Sent. II, c. 6* (cfr. supra pag. 355, nota 1). Paulo inferius idem cod. citat Gandulphum, lib. II, c. 43. [2] Quae sequuntur sunt ex Hugone, loc. cit. [3] Scil. *Sent.* I, c. 10, n. 47 (P L 83, 556) *. [4] Libr. IV, c. 33 (P L 77, 376). Cfr. eiusdem II. *Moral.* c. 3, n. 3 (P L 75, 556).

DISTINCTIO XII.

Cap. I.

De distinctione operum sex dierum.

81 Haec de angelicae naturae conditione dicta sufficiant. Nunc superest de aliarum quoque rerum creatione, ac praecipue de operum sex dierum distinctione, nonnulla in medium proferre.

Cum [a] Deus in sapientia sua angelicos condidit spiritus, alia etiam creavit, sicut ostendit supra memorata [b] Scriptura Genesis, quae dicit, in principio creasse Deum *caelum,* id est Angelos, *et terram,* scilicet materiam quatuor elementorum [1] adhuc confusam et informem, quae a Graecis dicta est chaos; et hoc [c] fuit ante omnem diem. Deinde elementa distinxit [d] et species proprias atque distinctas singulis rebus secundum genus suum dedit, quae non simul, ut quibusdam sanctorum Patrum placuit, sed per intervalla temporum ac sex volumina dierum, ut aliis visum est, formavit.

Cap. II.

Quod alii senserunt omnia simul facta in materia et forma, alii per intervalla temporum.

82 Quidam namque sanctorum Patrum, qui verba Dei atque arcana excellenter scrutati sunt, super hoc quasi adversa scripsisse videntur.

Alii quidem tradiderunt, omnia simul in materia et [e] forma fuisse creata; quod Augustinus [2] sensisse videtur.

Alii vero hoc magis probaverunt atque asseruerunt, ut primum materia rudis atque informis, quatuor elementorum commixtionem

---

[a] D add. *enim.* [b] B om. [c] D *haec.* [d] Ed. add. *Deus.* [e] D add. *in.*

---

[1] Cod. Erf. hic annotat: *Hic incipit Hugo, et est expositio Augustini* [l. *Sum. Sent.* tr. 3, c. 1 (PL 176, 89)]. [2] Libr. I *De Gen. ad litt.* c. 15, n. 29 (PL 34, 257). Erf. addit: *Et libr. IV, c. 7, n. 14; et VII. c. ult. n. 41 planius; nunquam tamen asserit. Unde ibid. n. 42 dicit sic: Si possunt haec melius intelligi, non solum non resisto, verum et faveo.* Hoc cap. quasi verbotenus sumtum est ex Hugone, I. *De Sacram.* p. 1, c. 2 (PL 176, 187).

atque confusionem tenens, creata sit; postmodum vero, per intervalla sex dierum, ex illa materia [a] rerum corporalium genera sint formata secundum species proprias. Quam sententiam Gregorius, Hieronymus, Beda [1] aliique plures commendant ac praeferunt, quae etiam Scripturae Geneseos [b], unde prima huius rei ad nos manavit [c] cognitio, magis congruere videtur.

Cap. III.

Quomodo per intervalla temporis res corporales conditae sint.

Secundum hanc itaque traditionem, ordinem atque modum 83
creationis formationisque [d] rerum inspiciamus, sicut supra memoratum est [2].

In principio creavit Deus caelum [e] [3] scilicet [f] angelicam naturam, sed adhuc informem, ut quibusdam placet; *et terram,* id est illam confusam materiam quatuor elementorum, quam nomine terrae, ut ait Augustinus [4] *Contra Manichaeos,* ideo appellavit Moyses, « quia terra inter omnia elementa minus est speciosa; et illa *inanis* erat et [g] *incomposita* [5], propter omnium elementorum commixtionem.

Eandem etiam abyssum vocat [h], dicens [6]: *Et tenebrae erant super faciem abyssi* [i], quia confusa erat et commixta, specie distincta carens.

Eadem etiam materia informis dicta est aqua, super quam *ferebatur spiritus Domini* [7], sicut superfertur fabricandis rebus voluntas artificis; quia subiacebat bonae voluntati Creatoris quod for-

---

[a] Z *natura,* sed corr. marg. *vel materia.* [b] Ita omnes codd.; ed. *Genesis.* [c] Z *emanavit.* [d] V D *formationis;* B *formationes.* [e] D add. *et terram; caelum.* [f] Ed. cum D *id est.* [g] D *id est.* [h] B om. [i] Ed. add. *etc.*

---

[1] Gregor., libr. XXXII. *Moral.* c. 12, n. 16 (P L 76, 644). Hieron., *Comment. in Epist. ad Tit.* cap. 1, n. 694 (P L 26, 559) *; Beda, l. *Hexaëm.* in principio (P L 91, 13). *Inter plures est etiam Hugo, qui Sum. Sent. tr. 3, c. 1 dicit, quod haec sententia est multo probabilior* (ita cod. Erf.). Cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (P L 178, 773 et seq.). [2] Dist. I et II, c. 3. Quae sequuntur contraxit Mag. ex Hugone, l. *De Sacram.* p. 1, c. 6 (P L 176, 190 et seq.). [3] Gen. 1, 1. [4] Libro l. *De Gen. contra Manich.* c. 7, n. 12 (P L 34, 179) *. [5] Gen. 1, 2. Est littera secundum Septuaginta iuxta annotationem cod. Erf. [6] Gen. 1, 2. [7] Gen. 1, 2.

mandum perficiendumque inchoaverat, qui [a] sicut Dominus et Conditor praeerat fluitanti [b] et confusae materiae, ut distingueret per species varias quando vellet et sicut vellet. Haec ideo dicta est aqua, quia omnia, quae in terra nascuntur, sive animalia sive arbores vel herbae et similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri [1].

His omnibus vocabulis vocata est illa informis materia, ut res ignota notis [c] vocabulis insinuaretur imperitioribus [d], et non [e] uno tantum; nam si uno tantum significaretur vocabulo, hoc esse putaretur, quod consueverant homines in illo vocabulo intelligere ». Sub his ergo nominibus significata est illa materia invisa [f] et informis, quae nulla specie cerni aut [g] tractari poterat [2], id est nominibus visibilium rerum, quae inde futurae erant, propter infirmitatem parvulorum, qui minus idonei sunt invisibilia comprehendere.

Et tunc *erant tenebrae,* id est lucis absentia. « Non enim tenebrae aliquid sunt, sed ipsa lucis absentia; sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur; et nuditas non aliqua res est, sed in corpore, ubi tegumentum [h] non est, nuditas dicitur; sicut et inanitas non est aliquid, sed inanis dicitur locus esse [i], ubi corpus non est, et inanitas [k] absentia corporis [3] ».

Cap. IV.

Quo sensu tenebrae dicantur esse aliquid, et quo dicantur non esse aliquid.

84 Attende quod [l] hic dicit Augustinus tenebras non aliquid esse, cum alibi tenebrae inter creaturas ponantur quae benedicunt Dominum, ubi [m] dicitur [4]: *Benedicite lux et tenebrae Domino.* Ideoque sciendum est, tenebras diversis modis accipi, scilicet [n] vel pro lucis absentia, qualiter supra Augustinus accepit, iuxta quam acceptionem non sunt aliquid; vel pro aëre obscurato [o] sive [p]

---

[a] B *quia.* [b] V *fluctuanti,* quod U prius habuit, sed corr. interl. *vel fluitanti.* [c] Ita omnes codd.; ed. *nobis.* [d] V *in pluribus.* [e] Z add. *in.* [f] Ita U V; ed. *confusa.* [g] Ed. *ac;* B *atque.* [h] D *integumentum.* [i] B in marg. add. *tenebrae.* [k] Ed. add. *est.* [l] D om. [m] Ed. et V *unde.* [n] D om. [o] Z *obscuro.* [p] D add. *pro.*

---

[1] Cod. Erf. hic annotat: *Illud similiter est Augustini super Gen.* [scil. Contra Manichaeos loc. cit.]. [2] Erf. annotat.: *Sententia est Augustini, sed verba Gandulphi.* [3] August., ibid. c. 4, n. 7; et XII. *Confess.* c. 3, n. 3 (P L 32, 827). [4] Dan. 3, 72.

aëris obscura qualitate: et secundum hoc aliquae res creatae sunt [a]. Ideo igitur dicit, tenebras fuisse tunc [b] *super faciem abyssi,* quia nondum erat lux, quae si esset [c], superesset et superfunderetur; sed nondum lucis gratia opus suum Deus venustaverat, quae postea in primo die formata est.

Cap. V.

Quare illa materia confusa sit dicta informis, et ubi ad esse prodiit, et quantumcumque in altum ascenderit.

De qua [d] priusquam tractemus, duo nobis discutienda occur- 85
runt: primum, quare illa materia confusa informis dicatur, an quia omni forma caruerit, an propter aliud; secundum [e], ubi ad esse prodierit et quantum in altum ascenderit.

Ad illud igitur quod primo positum est, breviter respondentes dicimus, illam primam materiam non ideo dictam fore informem, quod nullam omnino formam habuerit, quia non aliquid corporeum tale existere potest, quod nullam habeat formam; sed ideo non absurde informem appellari posse dicimus, quia in confusione et permixtione quadam subsistens, nondum pulcram apertamque [f] et distinctam receperat [g] formam, qualem modo cernimus. Facta est ergo illa materia in forma confusionis ante formam dispositionis [1]: in forma confusionis prius omnia corporalia materialiter simul et semel sunt creata, postmodum in forma dispositionis sex diebus sunt ordinata.

Ecce absolutum est quod primo in discussione propositum fuit, scilicet quare illa materia dicatur informis.

« Nunc superest quod secundo proponebatur explicare, ubi sci- 86
licet illa materia substiterit et quantum in altitudine [h] porrigebatur.

« Ad quod nihil temere asserentes dicimus, quod illa prima rerum omnium moles, quando creata est, ibidem ad esse videtur prodiisse, ubi nunc formata subsistit; eratque terreum [i] hoc ele-

---

[a] D *creata est.* [b] Z om. [c] Ed. add. *et.* [d] Ita omnes codd.; ed. add. *re.* [e] Ita U B; ed. *secundo.* [f] V D *aptamque.* [g] V *acceperat.* [h] V *altum.* [i] Z B D *terrenum.*

---

[1] Cfr. August. l. *De Gen. contra Manichaeos* c. 7, n. 11 (P L 34, 178), et l. *De Gen. ad litt.* c. 15, n. 29 (P L 34, 257), et Hugo, l. *De Sacram.* p. 1, c. 4, et quoad subsequentia ibid. c. 6 (P L 176, 189 et sqq.).

mentum in uno loco eodemque medio subsidens [a], ceteris [b] in una confusione permixtis, eisdemque circumquaque in modo [c] cuiusdam nebulae oppansis [d], ita obvolutum [e] erat, ut apparere non posset quod fuit. Illa vero tria, in una confusione permixta [f] circumquaque suspensa, eousque in altum porrigebantur, quousque nunc summitas corporeae naturae pertingit [1] ».

Et sicut quibusdam videtur, ultra locum firmamenti extendebatur illa moles, quae in inferiori parte spissior atque grossior erat, in superiori vero rarior et levior atque subtilior existebat; de qua rariori substantia putant quidam fuisse aquas, quae super firmamentum esse dicuntur.

« Talis fuit mundi facies in principio, priusquam reciperet formam vel dispositionem [2] ».

87 Nunc superest, ut dispositionem illam, qualiter perfecta sit, ordine prosequamur [3].

Sex diebus, sicut docet Scriptura Genesis, distinxit Deus et in formas redegit proprias cuncta, quae simul materialiter fecerat; perfecitque opus suum [g] die sexto, et sic deinde *requievit die septimo ab omni opere* [h], id est, cessavit novam creaturam facere. Sex enim diebus, sex rerum genera distinxit, nihilque postea fecit quod in aliquo illorum non contineatur; operatus est tamen postea, sicut Veritas in Evangelio [4] ait: *Pater meus operatur usque nunc, et ego operor illud.*

Cap. VI.

De quatuor modis divinae operationis.

88 Quatuor enim modis operatur Deus, ut ait Alcuinus [5] *Super Genesim:* « Primo, in Verbo omnia disponendo; secundo, in materia informi [i] quatuor elementorum, de nihilo eam creando;

---

[a] Ita U V B; etiam D habuit, sed correxit in *subsistens,* quod habet ed. [b] Ed. cum B add. *tribus.* [c] Ita U V; ed. *modum.* [d] D *expansis.* [e] Z B D *involutum.* [f] Ita U D; ed. *permixtione confusa,* pro *c. p.* [g] Ed. add. *in.* [h] B add. *quod patrarat.* [i] D *informata.*

---

[1] Erf. annotat: *Magister secundum sententiam Bedae super Gen.* [Quaest. super Gen. (P L 93, 240 et seq.)]. [2] Beda, loc. cit. [3] Haec et quae sequuntur, desumsit Mag. quasi verbotenus ex Hugone, l. *De Sacram.* p. 1, c. 7 (P L 176, 193). [4] Ioan. 5, 17. De cessatione ab opere cfr. infra dist. XV, c. 7. [5] *Interrogat. et resp. in Gen.*, interrogat. 19, fere ad verbum (P L 100, 519).

unde [1]: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul,* omnia scilicet elementa vel omnia corpora [a] materialiter simul creavit; tertio, per opera sex dierum varias distinxit creaturas; quarto, ex primordialibus seminibus non incognitae oriuntur naturae, sed notae saepius reformantur, ne pereant ».

DISTINCTIO XIII.

Cap. I.

De primo distinctionis opere.

Prima autem distinctionis operatio fuit formatio lucis, sicut 89
ostendit Scriptura [b] [2], quae, commemorata rerum informitate, eorum dispositionem a luce inchoavit, subdens: *Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux, et divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem. Et factum est vespere et mane, dies unus.* « Congrue mundi ornatus a luce incepit, unde cetera, quae creanda erant, viderentur [3] ».

Cap. II.

De luce facta primo die, si spiritualis an corporalis fuerit.

Si quaeritur, qualis illa lux fuerit, corporalis scilicet [c] an spi- 90
ritualis; id respondemus quod a Sanctis traditum legimus.

Dicit enim Augustinus [4], quia lux illa corporalis vel spiritualis intelligi potest. Si spiritualis accipitur, angelica natura intelligitur, quae prius informis fuit, sed postea formata est, cum ad Creatorem [d] conversa, ei caritate adhaesit, cuius informitatis creatio superius [5] significata [e] est, ubi [f] dictum est: *In principio creavit*

---

[a] V om.; B *corporea.* [b] U add. *Genesis.* [c] D om. [d] Ed. add. *suum.* [e] D *designata.* [f] B *cum.*

---

[1] Eccli. 18, 1. [2] Gen. 1, 3 seqq. Teste cod. Erf., haec et seqq. usque ad cap. 7 sumta sunt ex Gandolpho, II. Sent. c. 54, 56. [3] Glossa interlin. ad v. 3. [4] Libr. I *De Gen. ad litt.* c. 3, n. 7 (PL 34, 248)*; et XXII. *Contra Faustum,* c. 10 (PL 42, 405). Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 1, c. 9 (PL 176, 193). [5] Cfr. dist. II, c. 5.

Deus caelum et terram. Hic vero eiusdem formatio ostenditur, cum [a] ait: *Fiat lux, et facta est lux.* Haec ergo angelica natura prius tenebrae et postea lux fuit, quia prius habuit informitatem et imperfectionem, deinde formationis perfectionem; et ita divisit Deus lucem et tenebras [b].

Nam, ut [c] ait Augustinus *Super Genesim* [1]: « Huius creaturae informitas et imperfectio fuit, antequam formaretur in amore Conditoris; formata vero est, quando conversa est ad incommutabile lumen Verbi ».

Si vero corporalis fuit lux illa, quod utique probabile est, corpus lucidum fuisse intelligitur, velut lucida nubes, quod non de nihilo sed de praeiacenti materia formaliter factum est, ut lux esset et vim lucendi haberet; cum qua dies prima exorta est, quia ante lucem nec dies fuit nec nox, licet tempus fuerit.

Cap. III.

Ubi facta fuerit.

91 Si autem quaeritur: Ubi facta est lux illa [d], cum abyssus omnem terrae altitudinem tegeret, dici potest [e] in illis partibus esse [f] facta, quas nunc illustrat solis diurna lux.

Nec mirum in aquis lucem [g] posse lucere, cum etiam nautarum operatione saepius illustrentur, qui in profundum mersi, misso ex ore oleo [2] aquas sibi illustrant; quae multo rariores fuerunt in principio, quam modo sint, quia nondum congregatae fuerant in uno loco. Facta ergo lux illa [h] vicem et locum solis tenebat, quae motu suo circumagitata, noctem diemque discernebat.

« Ibi ergo [i] primum lucem apparuisse verisimile est, ubi sol quotidiano cursu circumvectus apparet, ut eodem tramite lux circumcurrens ac primo ad occasum descendens, vesperam faceret,

---

[a] D *ubi.* [b] Ed. *a tenebris,* om. *et.* [c] D *ubi.* [d] Z om. [e] D add. *quod.* [f] Ita U B; ed. om. [g] D om. [h] Z om. [i] D *quoque.*

---

[1] Libr. I, c. 5, n. 10 (P L 34, 249)*. [2] Ad haec verba cod. Erf. annotat: *Illud exemplum ponitur in Hexaëm. Ambrosii, hom. 1, libr. I, c. 9, n. 33, et Basilii, hom. 2, n. 7.*

deinde revocata ad ortum, auroram, id est mane illustraret [1] »; et ita divisit Deus lucem et tenebras [a] et *appellavit lucem diem, et tenebras noctem.*

Cap. IV.

Quibus modis accipitur dies.

Hic notandum est, quod dies diversis modis in Scriptura ac- 92
cipitur.

Dicitur enim dies lux illa, quae illo triduo tenebras illuminabat; et dicitur [b] dies illuminatio ipsa aëris [2]; dicitur etiam dies spatium viginti quatuor horarum, qualiter accipitur cum ait [3]: *Factumque* [c] *est vespere et mane, dies unus.* Quod ita distinguendum est: factum est vespere prius, et postea mane, et ita fuit dies unus expletus viginti quatuor horarum, dies scilicet naturalis [d], qui habuit vesperam, sed non mane. Mane enim dicitur finis praecedentis et initium sequentis diei, quod est aurora, quae nec plenam lucem nec omnino tenebras habet.

Mane ergo primus dies non habuit, quia nec dies praecesserat, qui sequentis diei initio terminaretur [e], et ideo [f] praecipue, quia luce apparente, mox super terram plenus atque praeclarus dies extitit, qui non ab aurora, sed a plena luce inchoavit et [g] mane sequentis diei consummatus est.

Unde Beda *Super Genesim* [4]: « Decebat [h], ut dies a luce inciperet et in mane sequentis diei tenderet, ut opera Dei a luce inchoasse et in lucem completa esse significarentur ».

Reliqui autem dies mane habuerunt et vesperam, quorum quisque, a suo mane incipiens, usque ad alterius diei mane tendebatur.

---

[a] Z *a tenebris,* om. *et.* [b] B add. *illa.* [c] Ita UB; ed. *factum.* [d] V *mortalis.* [e] Z *determinaretur.* [f] Ita UB; ed. *eo.* [g] B add. *in.* [h] D *dicebat.*

---

[1] Verbotenus in Hugone invenitur, I. *De Sacram.* p. I, c. 9 (PL 176, 194). [2] Cfr. August., I. *De Gen. ad litt.* c. 10, n. 18 seqq. (PL 34, 253). Cfr. Hugo, loc. cit. [3] Gen. 1, 5. [4] Libr. I *Hexaëm.* (PL 91, 18) et habetur in Glossa ord. ad v. 5.

Cap. V.

De naturali ordine computationis dierum, et de illo qui pro mysterio introductus est.

93 Hic est [a] naturalis ordo distinctionis dierum, ut distinguantur atque computentur dies a mane usque ad mane. Postea vero in mysterio factum est [1], ut dies computentur a vespera [b] in vesperam, et adiungatur dies praecedenti nocti in computatione, cum iuxta naturalem ordinem, praecedens dies sequenti nocti adiungi debeat, quia homo a luce per peccatum corruit in [c] tenebras ignorantiae et peccatorum, deinde per Christum a tenebris ad lucem rediit.

Unde Apostolus [d 2]: *Eramus aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.*

Primus itaque dies non ab aurora sed a plena luce incipiens, et post paulatim vesperam, occidente luce, excipiens, mane sequentis diei expletus est

Unde Beda [3]: « Occidente luce paulatim et post spatium diurnae [e] longitudininis inferiores partes subeunte, factum est vespere, sicut nunc usitato cursu solis fieri solet. Factum est autem mane, eadem super terram redeunte et alium diem inchoante; et dies expletus est unus viginti quatuor horarum. Fuitque nox illo triduo omnino tenebrosa, quae post creata sidera aliqua luce claruit ».

94 Solet autem quaeri, quare factus est sol, si lux illa faciendo diei sufficiebat.

Ad quod dici potest, quoniam lux illa forte superiores partes illustrabat, et ad illuminationem inferiorum solem fieri oportebat; vel potius ideo, quia, facto sole, diei fulgor auctus est: ampliori enim multo luce radiavit dies postea quam ante [f].

95 Si vero quaeritur, quid de luce illa factum sit, cum modo non appareat, potest dici, aut de ea corpus solis formatum, aut in ea parte caeli esse in qua sol est; non quod ipsa sit sol, sed sic ei unita, ut discerni non valeat [4].

---

[a] U add. *enim*. [b] D add. *usque*. [c] D om. [d] D om. [e] Ed. *divinae*. [f] U add. *illustratus est*.

[1] Teste cod. Erf., haec sententia sumta est ex August., IV. *De Trin.* c. 6, n. 10 (PL 42, 894). [2] Eph. 5, 8. [3] Loc. cit., et in Glossa ord. ad Gen. 1, 5. [4] Cfr. August., I. *De Gen. ad litt.* c. 10 et 14, n. 22 et 23 (PL 34, 254). Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 1, c. 15 (PL 176, 199 et seq.).

Cap. VI.

De intelligentia horum verborum: Dixit Deus.

Praeterea investigandum [a] est, quomodo accipiendum sit quod 96
aut: *Dixit Deus*, utrum temporaliter, an [b] sono vocis illud dixerit, an alio modo.

Augustinus *Super Genesim* [1] tradit, nec temporaliter nec sono vocis Deum fuisse locutum; quia si temporaliter, et mutabiliter; et si corporaliter dicatur sonuisse vox Dei, nec lingua erat, qua loqueretur, nec erat quem oporteret audire et intelligere. Bene ergo vox Dei ad naturam Verbi, per quod omnia facta sunt, refertur. Dixit ergo Deus: *Fiat* [c] etc. non temporaliter, non sono vocis, sed in Verbo [d] sibi coaeterno, id est, Verbum genuit intemporaliter in quo erat; et disposuit ab aeterno ut fieret in tempore, et in eo factum est.

Cap. VII.

Ex quo sensu Pater dicitur operari in Filio, vel per Filium, vel in Spiritu sancto.

Hic quaeri solet, quomodo accipiendum sit quod dicitur Pater 97
operari in Filio, vel per Filium, vel in Spiritu sancto.

Haec enim Scriptura frequenter nobis proponit, ut [e] [2]: *Omnia in sapientia fecisti, Domine,* id est in Filio »; et [3]: *In principio,* id est in Filio, *creavit Deus caelum et terram* »; et illud [4]: *Per quem fecit et saecula.*

Super illum quoque Psalmi locum [5]: *Verbo Domini caeli firmati sunt* etc. dicit Augustinus [6], quod [f] « Pater operatur per Verbum suum et Spiritum sanctum ».

Quomodo hoc ergo accipiendum est?

Putaverunt quidam haeretici, quod Pater, velut auctor et artifex, Filio et Spiritu sancto in rerum operatione quasi instru-

---

[a] Z *intelligendum.* [b] Ita U; D *et;* ed. *vel.* [c] Z add. *lux.* [d] Z add. *Dei.* [e] Ed. add. *illud.* [f] D *et.*

[1] Libr. I, c. 2, n. 4 (P L 34, 248). Plurima in hac distinctione dicta, iam a Beda collecta sunt et ab Hugone repetita. [2] Psalm. 103, 24. [3] Gen. 1, 1. [4] Hebr. 1, 2. [5] Ps. 32, 6. Explicatio interiecta habetur in Glossa. [6] *Enarrat.* 2 in Ps. 32, sermo 2, n. 5 (P L 36, 288).

mento uteretur, ex praedictis verbis errandi occasionem sumentes; quod velut blasphemum atque sanae doctrinae adversum abiicit pia fides.

Non est itaque intelligendum, ideo Scripturam frequenter commemorare Patrem operari in Filio, vel per Filium, tanquam Filius non posset facere, si ei [a] non porrexisset Pater [b] dexteram, vel tanquam aliquod instrumentum fuerit Patris operantis: sed potius illis verbis Patrem intelligi voluit cum Filio et Spiritu sancto operari, et sine eis nihil facere.

98 Sed dicit haereticus: Hac ratione posset dixisse, Filium operari per Patrem vel in Patre, et Spiritum sanctum cum utroque vel per utrumque, quia Filius cum Patre, et Spiritus sanctus cum utroque operatur.

Cui breviter respondetur, ideo illud dictum esse [c] et non istud, ut in Patre monstraretur auctoritas [d]: non enim Pater a Filio, sed Filius a Patre operatur, et Spiritus sanctus ab utroque. Ideoque Filius etiam per Spiritum sanctum legitur operari, quia cum Spiritu sancto operatur, hoc ipsum a [e] Filio habente, ut operetur [f] [1].

Potest et aliter illud accipi [g], ut dicatur Pater in Filio vel per Filium operari, quia eum genuit omnium opificem; sicut [h] dicitur per eum iudicare [2], quia genuit iudicem; ita et per Spiritum sanctum dicitur operari, sive Pater sive Filius, quia ab utroque procedit Spiritus sanctus, factor omnium.

Unde Ioannes Chrysostomus in *Expositione Epistolae ad Hebraeos* [3] sic ait: « Non, ut haereticus inaniter suspicatur, tanquam aliquod instrumentum Patris [i] exstiterit Filius; neque per eum Pater dicitur fecisse, tanquam ipse facere non posset; sed sicut dicitur Pater iudicare per Filium, quia iudicem genuit, sic etiam dicitur operari per Filium, quia eum constat opificem gennisse. Si enim causa eius Pater est, secundum quod Pater est, multo amplius eorum causa est quae per Filium facta sunt ».

Haec de opere primae diei dicta sunt.

---

[a] B om. [b] V *Deus*. [c] D om. [d] C add. *principii*. [e] D *idem de*, pro *ipsum a*. [f] Erf. annotat: *Alias: quia, cum Spiritus sanctus operatur, hoc ipsum habet a Filio, ut operetur*. [g] U *exponi*. [h] U add. *Pater*. [i] B om.

---

[1] Cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (P L 178, 737 et seq.). [2] Respicitur Ioan. 5, 22. [3] Homil. 2, n. 2 (P G L 63, 21) *, et est in Glossa ad Hebr. 1, 3, scil. ad verba *figura substantiae eius*.

DISTINCTIO XIV.

Cap. I–III [a].

De opere secundae diei, qua factum est firmamentum.

Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, 99
et dividat aquas ab aquis... Divisitque aquas, quae erant sub firmamento, ab his quae erant super firmamentum [1].

[Cap. II]. « Sciendum est, quod illius caeli describitur hic [b] 100
creatio, sicut ait Beda *Super Genesim* [2], in quo fixa sunt sidera, cui suppositae sunt aquae in aëre et in terra, et superpositae [c] aliae, de quibus dicitur [3]: *Qui tegis aquis superiora eius.* In medio ergo firmamentum est, scilicet [d] sidereum caelum; [Cap. III] quod de aquis factum esse, credi potest ». Crystallinus 101
enim lapis, cui magna est firmitas et perspicuitas, de aquis factus est [4].

Cap. IV.

Quomodo aquae possint esse super caelum, et quales sint.

« Si quem vero movet, quomodo aquae, natura [e] fluidae et in 102
ima labiles super caelum possint consistere, de Deo scriptum [5] esse meminerit: *Qui ligat aquas in nubibus suis.* Qui enim infra caelum ligat aquas ad tempus vaporibus nubium retentas, potest etiam super caeli sphaeram non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate

---

[a] Codices sequendo, haec tria capitula sub una rubrica ponimus. [b] B D om. [c] V B D add. *sunt.* [d] Ed. cum V Z *id est.* [e] D *naturae.*

---

[1] Gen. 1, 6, 7. Testante cod. Erf., haec et sequentia usque ad cap. VII, sumta sunt ex Gandulpho, *Sent.* II. c. 57. [2] I. *Hexaëm.* (P L 91, 18). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 1, et l. *De Sacram.* p. 1, c. 18 (P L 176, 89, 200). Cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (P L 178, 741 et seq.). Hic textus, qui excurrit usque in cap. IV, habetur in Glossa ordinaria fere ad verbum. [3] Ps 103, 3. [4] Alludere videtur ad Eccli. 43, 22. [5] Iob. 26, 8.

aquas suspendere, ne labantur. Quales autem et ad quid conditae sint, ipse novit qui condidit ».

Ecce ostensum est his verbis, quod caelum factum sit, scilicet illud in quo fixa sunt sidera, id est, quod excedit aërem; et de qua materia, scilicet de aquis; et quales sint aquae, quae super illud caelum sunt, scilicet ut glacies solidatae [a].

Quidam vero [b] caelum, quod excedit aëris spatia [c] igneae naturae dicunt [d], asserentes super aërem purum ignem esse, qui dicitur esse caelum, de quo igne sidera et luminaria facta esse coniectant; quibus Augustinus [1] consentire videtur.

103 Utrum vero nomine firmamenti caelum quod excedit aërem, an ipse aër hic intelligatur, idem Augustinus [2] quaerit nec solvit [e]. Magis tamen [f] approbare videtur, caelum illud [g] hic accipi, quod spatia [h] aëris excedit [i]. Aquas autem, quae super illud [k] caelum sunt, dicit vaporaliter trahi [l] et levissimis suspendi guttis, sicut aër iste nubilosus exhalatione terrae aquas vaporaliter trahit, et per subtiles minutias suspendit, et post corpulentius conglobatas pluvialiter refundit. Si [m] ergo « potest aqua, sicut videmus, ad tantas minutias pervenire, ut feratur [n] vaporaliter super aërem aquis naturaliter leviorem; cur non credamus, etiam super illud levius caelum minutioribus guttis et levioribus immanare vaporibus [3] » ? Sed quoquo modo ibi sint [o], ibi esse non dubitamus.

Cap. V.

De figura firmamenti.

104 « Quaeri etiam solet, cuius figurae sit caelum. Sed Spiritus sanctus, quamvis auctores nostri sciverint, per eos dicere noluit, nisi quod prosit saluti [4] ».

---

[a] B add. *sunt.* [b] U add. *putant.* [c] U *spatium.* [d] U *esse.* [e] Z B Erford. *absolvit.* [f] U *autem.* [g] Z om. [h] D *spatium.* [i] B *excellit.* [k] V om. [l] Z *detrahi.* [m] V *sicut.* [n] V *referatur.* [o] Z add. *ignoramus.*

---

[1] Libr. II. *De Gen. ad litt.* c. 3, n. 6 (P L 34, 265). Cfr. Hugo, loc. cit.; et Abael. loc. cit. [2] Ibid. c. 4, n. 7. [3] August., loc. cit. c. 4, n. 8 fere ad verbum. [4] August., ibid. c. 9, n. 30 *.

« Quaeritur etiam, si stet, an moveatur caelum. Si movetur, inquiunt, quomodo est firmamentum ? Si stat, quomodo in eo fixa sidera circumeunt ? Sed firmamentum dici potest non propter stationem, sed propter firmitatem [a] vel terminum aquarum intransgressibilem. Si autem stat, nihil impedit moveri et circuire sidera [1] ».

Cap. VI.

Quare tacuit Scriptura de benedictione operis huius diei.

Post haec quaeri solet, quare hic non est dictum, sicut in 105
aliorum dierum operibus [2]: *Vidit Deus, quod esset bonum.* Sacramentum aliquod hic commendatur. Ideo enim fortassis non est hic [3] dictum, quod tamen sicut in aliis est factum, quia binarius [4] est principium alteritatis et signum divisionis.

Cap. VII.

De opere tertii diei, quando aquae congregatae sunt in unum.

Sequitur [5]: *Dixit Deus: Congregentur aquae in locum unum,* 106
et appareat arida.

Tertii diei opus est congregatio aquarum in unum locum. « Congregatae enim sunt omnes aquae caelo inferiores in unam matricem, ut lux, quae praeterito biduo aquas clara luce illustraverat [b], in puro aëre clarior fulgeat, et appareat terra, quae cooperta [c] latebat, et quae aquis limosa erat, fieret arida et germinibus apta. Eodem enim die *protulit terra herbam virentem, lignumque faciens fructum* [6] ».

---

[a] U *fortitudinem,* sed corr. interl. *vel firmitatem.* [b] Ed. cum V Z *lustraverat.* [c] D om.; Z *occulta.*

---

[1] Ibid. c. 10, n. 23 *. Cfr. Abael. loc. cit. [2] Gen. 1, 12. Cfr. Hugo, l. *De Sacram* p. 1, c. 20 (P L 176, 201). [3] Cod. Erf. bene adnotat: *Non est hic secundum nostram translationem, tamen Septuag. habent, ut patet per August., super Gen. I, c. 1.* [4] Cod. Erf. notat: *Secundum Hieron., super Zachariam* 1, 7, *est binarius numerus infimis; et Contra Iovin. I, n. 16, binarius est numerus infaustus, et tangit rationem, quae hic ponitur.* [5] Gen. 1, 9. [6] Gen. 1, 12. Beda, *Hexaëm.* (P L 91, 20). Pro hoc et seq. cap. cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (P L 178, 748 et sqq.).

Cap. VIII.

Quomodo omnes aquae congregatae sunt in unum locum, cum multa sint maria et flumina.

« Si autem quaeratur, ubi congregatae sunt aquae, quae to-
107 tum texerant spatium usque ad caelum; potuit fieri, ut terra subsidens concavas partes praeberet, ubi fluctuantes aquas reciperet. Potest etiam credi, primarias aquas rariores fuisse, quae sicut nebula tegerent terras, sed congregatione esse spissatas, et ideo facile in unum posse redigi locum. Cumque multa constet esse maria et flumina, in unum tamen locum dicit aquas congregatas propter continuationem omnium aquarum, quae in terris sunt, quia cuncta flumina et maria magno mari iunguntur. Ideoque cum dixerit [a] aquas congregatas [b] in unum locum, deinde dicit pluraliter, *congregationesque aquarum*, propter multifidos sinus earum, quibus omnibus ex magno mari principium est [1] ».

Cap. IX.

De opere quartae diei, qua facta sunt luminaria.

108 Sequitur [2]: *Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, et dividant diem ac noctem.*

In praecedenti triduo disposita est universitatis mundi huius machina, et partibus suis distributa. Formata enim luce die prima, quae universa illustraret, duo sequentes dies attributi sunt supremae et infimae parti mundi, firmamento scilicet, et [c] aëri et [d] terrae et aquae. Nam secunda die [e] firmamentum desuper expansum est; tertia vero, aquarum molibus [f] intra receptacula sua collectis, terra est revelata atque aër serenatus [g]. Quatuor igitur mundi elementa illis diebus suis locis distincta sunt et ordinata.

109 Tribus autem sequentibus diebus ornata sunt illa quatuor elementa. Quarta enim die ornatum est firmamentum sole et luna et stellis; quinta aër in volatilibus, et aquae in piscibus ornamenta

[a] Z *enim dixerat,* pro *c. d.;* D add. *omnes.* [b] D add. *esse.* [c] Ed. om. [d] Ed. om. [e] B om. [f] V *mobilibus.* [g] Z add. *est.*

[1] Beda loc. cit. et habetur in Glossa ord. Cfr. August., l. *De Gen. ad litt.* c. 12, n. 26 (P L 34, 255). Cfr. Hugo, loc. cit. [2] Gen. 1, 14.

acceperunt; sexta accepit terra iumenta et reptilia et bestias, post quae omnia factus est homo de terra et in terra, non tamen ad terram nec propter terram, sed ad caelum et propter caelum. Quia igitur caelum ceteris elementis specie [a] praestat, priusquam aliis factum est, « ideo ante alia ornatur in quarto [b] die, quo [c] fiunt sidera, quae ideo facta sunt, ut per ea illustretur inferior pars, ne [d] esset habitantibus tenebrosa. Infirmitatique [e] hominum provisum est, ut, circumeunte sole, potirentur [f] diei noctisque vicissitudine, propter dormiendi vigilandique necessitatem; et etiam ideo, ne nox indecora remaneret, sed luna ac sideribus consolarentur [g] homines, quibus in nocte operandi necessitas incumberet; et quia quaedam animalia sunt, quae lucem ferre non possunt [1] ».

Cap. X.

Quomodo sit accipiendum illud: Sint in signa et tempora.

Quod autem subditur [2]: *Et sint in signa et tempora et dies* 110
et annos, quomodo accipiendum sit, quaeri solet.

Ita enim « dictum videtur, quasi quarto die coepissent tempora, cum [h] prius triduum sine tempore non fuerit. Ideoque tempora, quae fiunt per sidera, non spatia morarum sed vicissitudinem aëreae qualitatis debemus accipere, quia talia motibus siderum fiunt, sicut dies et anni, quos usitate novimus. Sunt enim *in signa* serenitatis et tempestatis, et *in tempora,* quia per ea distinguimus quatuor tempora anni, scilicet ver, aestatem, autumnum, hiemem [3] »; vel sunt *in signa et tempora,* id est, « in [i] distinctionem horarum temporis [k], quia, priusquam fierent, ordo temporum nullis notabatur indiciis, vel meridiana hora, vel qualibet hora [4] ».

Haec quarta die facta sunt.

---

[a] Ed. *speciem.* [b] V add. *ergo.* [c] V om. [d] D add. *scilicet.* [e] V B *infirmitati quoque.* [f] Ita U D; ed. add. *homines.* [g] D *confortarentur;* Z add. *se.* [h] V Z B add. *tamen.* [i] D om. [k] Ed. om.

---

[1] August., II. *De Gen. ad litt.* c. 13, n. 27 (P L 34, 274), et est in Glossa ord. ad Gen. 1, 14. Cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (P L 178, 751 et seqq.). [2] Gen. 1, 14. [3] August., ibid. c. 14, n. 29 (P L 34, 275). [4] August., ibid. *. Habetur etiam in Glossa ord. Cfr. I. *De Gen. contra Manich.* c. 14 (P L 34, 183). Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 1, c. 24 et 25 (P L 176, 202 et seq.); cfr. Abael. loc. cit.

DISTINCTIO XV.

Cap. I.

De opere quinti diei, quo facta sunt natatilia et volatilia.

111 *Dixit etiam* [a] *Deus* [1]: *Producant aquae reptile animae viventis et volatile super terram,* etc. Opus quintae diei est formatio piscium et avium, quibus duo elementa ornantur; et de eadem materia, id est de aquis, pisces et aves creavit, volatilia levans in aëra, et natatilia remittens gurgiti.

Cap. II.

De opere sexti diei,
quo creata sunt animalia et reptilia terrae.

112 Sequitur [2]: *Dixit Deus: Producat terra animam viventem, iumenta et reptilia et bestias terrae secundum species suas,* etc. Sextae diei opus describitur, cum terra suis animalibus ornari dicitur.

Cap. III.

De venenosis et noxiis animalibus.

113 Quaeri solet « de venenosis et perniciosis animantibus, utrum post peccatum hominis ad vindictam creata sint, an potius creata innoxia, peccatoribus nocere coeperint.

« Sane dici potest, quod creata nihil homini nocuissent, si non peccasset; puniendorum namque vitiorum et terrendorum, vel probandae et perficiendae virtutis causa nocere coeperunt. Fuerunt ergo creata innoxia, sed propter [b] peccatum [c] facta sunt noxia [3] ».

---

[a] Z *quoque.* [b] U *per.* [c] Z *peccata.*

---

[1] Gen. 1, 20. Cfr. Ambros., V. *Hexaëm.* cc. 1-3 (P L 14, 205 et sqq.). Cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (P L 178, 759). Cod. Erf. citat hic *Gandulphum, Sent. II, c. 66.* [2] Gen. 1 24. Cfr. Abael. loc. cit. [3] August. III. *De Gen. ad litt.* c. 15, n. 24 (P L 34, 289); est etiam in Glossa ordinaria ad hunc locum.

Cap. IV.

Utrum minima animalia tunc creata fuerint.

« De quibusdam etiam minutis animantibus quaestio est, utrum 114
in primis conditionibus creata sint, an ex rebus corruptis postea orta sint.

« Pleraque enim de humidorum corporum vitiis, vel exhalationibus [a], sive de cadaveribus gignuntur; quaedam etiam de corruptione lignorum et herbarum et fructuum; et Deus auctor omnium est. Potest autem dici, quod ea quae de corporibus animalium, maxime mortuorum, nascuntur, cum animalibus creata non fuerint nisi potentialiter et materialiter; ea vero quae ex terra vel ex [b] aquis nascuntur, vel ex eis quae terra germinante orta sunt, tunc creata fuisse, non incongrue dici potest [1] ».

Cap. V.

Quare post omnia factus est homo.

« Omnibus autem creatis atque dispositis, novissime factus est 115
homo, tanquam dominus et possessor, qui et omnibus praeferendus erat [2] »; unde sequitur [3]: *Vidit Deus, quod esset bonum, et ait: Faciamus hominem* [c] etc.

Sed antequam de hominis creatione tractemus, quod supra [4] breviter tetigimus, plenius versantes clarius faciamus.

In hac enim rerum distinctione catholici tractatores dissentire, ut supra diximus, inveniuntur, aliis dicentibus res creatas atque distinctas secundum species suas per intervalla sex dierum. Quorum sententiae, quia littera Genesis magis inservire videtur, atque [d] Ecclesia magis approbat, ideo hactenus studiose docuimus, quomodo ex illa communi materia, prius informiter facta, postea rerum corporalium genera per sex dierum volumina distinctim sint formata.

---

[a] Ed. add. *terrae.* [b] Ed. om. [c] Ita U V Z; ed. add. *ad imaginem.* [d] Ita U D; ed. add. *catholica.*

---

[1] August., ibid. c. 14, n. 22, 23 (P L 34, 288 et seq.) *. Habetur etiam in Glossa ordinaria. [2] Cfr. Abael. loc. cit. *. [3] Gen. 1, 25, 26. [4] Dist. XII, c. 2.

Cap. VI.

De sententia illorum qui simul omnia facta esse contendunt.

116 Aliis autem videtur, quod non per intervalla temporum facta sint, sed simul ita formata ad esse prodierint [1].

Quod Augustinus *Super Genesim* [2] pluribus modis nititur ostendere [a] dicens, « elementa quatuor ita [b] formata sicut modo apparent, ab initio exstitisse, et caelum sideribus ornatum fuisse; quaedam vero non formaliter, sed materialiter tunc facta fuisse, quae post, per temporis accessum, formaliter distincta sunt, ut herbae, arbores et forte animalia. Omnia ergo in ipso temporis initio facta esse dicunt [c], sed quaedam formaliter et secundum species quas [d] habere cernimus [e], ut maiores mundi partes; quaedam vero materialiter tantum ».

117 Sed, ut dicunt, Moyses, loquens rudi et carnali populo, locutionis modum temperavit, de Deo loquens a simili hominis, qui per moras temporum opera sua perficit [f], cum ipse simul sua opera fecerit.

Unde Augustinus [3]: « Ideo, inquit, Moyses divisim refert, Deum illa opera fecisse, quia non potuit simul ab homine dici, quod a Deo simul potuit fieri ».

Item [4]: « Potuit dividere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus operandi temporibus non divisit ».

Illi qui his auctoritatibus et aliis huiusmodi inhaerentes dicunt, quatuor elementa atque caeli luminaria ita formata, simul esse habuisse [g], illos sex dies, quos Scriptura memorat [h], sex rerum genera, id est distinctiones appellant, quae simul factae sunt, partim formaliter, partim causaliter.

---

[a] D *asserere.* [b] D add. *esse.* [c] Z *dicuntur.* [d] Z add. *ea.* [e] Z *videmus.* [f] D *facit.* [g] Ita omnes codd.; ed. om. [h] Ed. *commemorat.*

---

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 1; et l. *De Sacram.* p. 1, c. 1 (PL 176, 90, 187). [2] Libr. IV, c. 32, n. 49, 50; libr. V, c. 4 et 5 (PL 34, 316 et seq.; ac 323 et sqq.) *. [3] Ibid. I, c. 10, n. 19; c. 15, n. 29 (PL 34, 253 et sqq.). [4] Ibid.; teste cod. Erf. habetur apud Gandulphum et Hugonem loc. cit.

Cap. VII.

Quomodo intelligenda sit requies Dei.

Iam de septimae diei requie aliquid nos eloqui oportet. 118

Scriptum est [a] [1], quia *complevit Deus die septimo opus suum... et requievit die septimo ab universo opere* [b] *quod patrarat.*

« Requievisse dicitur Deus die septimo, non quasi operando lassus, sed ab universo opere [c] requievit, quia novam creaturam facere cessavit: requiescere enim cessare dicitur [2] ». Unde in Apocalypsi [3]: *Non habebant requiem dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus,* id est, dicere non cessabant. Requievisse igitur [d] Deus dicitur, quia « cessavit a faciendis generibus creaturae, quia ultra non condidit nova. Usque nunc tamen, ut Veritas in Evangelio ait, operatur Pater cum Filio, scilicet administrationem eorundem generum, quae tunc instituta sunt. Creatoris enim virtus causa subsistendi est omni creaturae. Quod ergo dicitur [4]: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor,* illud universae creaturae continuam administrationem ostendit. Die igitur septimo requievit, ut novam creaturam ulterius non faceret, cuius materia vel similitudo [e] non praecesserit; sed usque nunc operatur, ut quod condidit continere et gubernare non cesset [5] ».

Cap. VIII.

Quomodo accipiendum sit, quod dicitur Deus complesse opus suum septimo die, cum tunc quieverit.

Sed quaeritur, quomodo septimo die dicatur Deus complevisse 119
opus suum, cum ab omni opere illo die quieverit [f], nec aliquod novum genus rerum fecerit. « Alia translatio habet: *Consummavit Deus die sexto opera sua;* quae nihil quaestioni affert, quia manifesta sunt quae in eo facta sunt [6] » et omnium consummatio [g]

---

[a] Z add. *enim.* [b] Z *omni opere suo,* pro *u. o.* [c] Z add. *suo.* [d] B *itaque.* [e] Hic cod. Erf. annotat: Similitudo *non est ibi, nec in Glossa.* [f] Ed. cum Z *requieverit.* [g] V *confirmatio.*

---

[1] Gen. 2, 2. [2] August., IV. *De Gen. ad litt.* c. 8, n. 15 (PL 34, 301)*. [3] Cap. 4, 8. [4] Ioan. 5, 17. [5] Aug. loc. cit. c. 12, n. 22 (PL 34, 304). [6] Glossa ordinaria ad Gen. 2, 2. S. August., IV. *De Gen. ad litt.* c. 10, n. 20 (PL 34, 303). Cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (PL 178, 769).

eo die perfecta est, sicut Scriptura ostendit, cum ait [1]: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona* ».

Cap. IX.

Quomodo omnia a Deo facta, dicantur valde bona.

120 « Omnia quidem naturaliter bona erant, nilque in sui natura vitii habentia. Et sunt bona quae condidit Deus, etiam singula; simul vero universa valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulcritudo [2] », « in qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint, dum comparantur malis [3] ». Sexto igitur die facta est omnium operum consummatio.

121 Ideo praemissa oritur quaestio, quomodo [a] dicatur Deus [b] die septimo opus suum complesse, quod « Hebraica veritas habet, in quo tamen nihil novum creasse dicitur, nisi forte dicatur die septimo complesse opus suum, quia ipsum benedixit et sanctificavit », sicut subiicit Scriptura [4]: *Benedixit Deus* [c] *diei septimo et sanctificavit illum.* « Opus enim est benedictio et sanctificatio, sicut Salomon aliquid operis fecit, cum templum dedicavit [5] ».

Cap. X.

De sanctificatione septimi diei.

122 Illum [d] autem diem sanctificasse et benedixisse dicitur, quia mystica prae ceteris benedictione et sanctificatione eum donavit. Unde in Lege [6] dicitur: *Memento sanctificare diem sabbati.*

Et [e] inde est, quod [f] numerando dies usque ad septimum procedimus et dicimus, septem esse dies, quorum repetitione omne tempus agitur; non quin [g] alius sit ab illis dies [h] octavus et nonus, et sic de ceteris, sed quia in sex diebus rerum genera distincta sunt, et in septimo, licet non fuerit novum genus rerum institutum, fuit

---

[a] D *quare.* [b] Z om. [c] Ita U Z; ed. om. [d] V Z *unum.* [e] Z om. [f] Z add. *in.* [g] Ita omnes codd.; ed. *quia.* [h] D om.

---

[1] Gen. 1, 31. [2] August., *Enchirid.* c. 10 et 11 (P L 40, 236). Cfr. I. *Sent.* dist. XLVI, c. 5. [3] Aug., *Enchirid.* loc. cit. [4] Gen. 2, 3. [5] Ex Glossa ord. ad Gen. 2, 2. De Salomone cfr. III. Reg. 8. [6] Exod. 20, 8.

tamen in eo quasi quidam novus status [a] sanctificationis operum et requietionis [b] opificis.

Potest etiam sic exponi illud: *Complevit Deus die septimo opus suum,* id est, completum et consummatum vidit.

DISTINCTIO XVI.

Cap. I.

De hominis creatione.

His excursis, quod [c] supra [1] de hominis creatione promisimus [d], 123
effectui mancipare atque ordine explanare nunc suscipimus, ubi haec consideranda videntur, scilicet, quare creatus sit homo, et qualiter institutus, et qualis vel quomodo factus; deinde qualiter sit lapsus, postremo, qualiter et per quem [e] sit reparatus. Horum autem primo et secundo posita, id est causam creationis humanae et modum institutionis, superius [2] pro modulo nostrae facultatis tractavimus.

Cap. II.

Qualis factus sit homo.

Ideoque superest, ut qualis vel quomodo factus sit, discutiamus. 124
In Genesi legitur [3]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [f]. In eo quod dicit [g] *faciamus*, una operatio trium personarum ostenditur; in hoc vero, quod dicit *ad imaginem et similitudinem nostram*, una et aequalis substantia trium personarum monstratur [h]. Ex persona enim Patris hoc [i] dicitur ad Filium et Spiritum sanctum, non, ut quidam putant [k], Angelis, quia Dei et Angelorum non est una et [l] eadem imago vel similitudo [4].

[a] D add. *institutus.* [b] V add. *officii.* [c] Ed. cum Z *quae.* [d] Ed. cum D *praemisimus.* [e] Ita U B; ed. *quae.* [f] Ed. add. *etc.* [g] Z *dicitur.* [h] Z *ostenditur.* [i] V *hic.* [k] Z add. *dicitur.* [l] Ed. om. *una et.*

[1] Dist. praec. c. 5. Quoad hanc dist. cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 2 et I. *De Sacram.* p. 6, c. 1 (P L 176, 91, 205). Erf. relegat ad Gandulph. *Sent.* II, c. 72. [2] Dist. I, c. 4, 5, 6. [3] Cap. 1, 26. [4] August. III. *De Gen. ad litt.* c. 19, n. 29 (P L 34, 291); Glossa ord., sumta ex Beda.

Cap. III.

De imagine et similitudine, ad quam factus est homo.

125 Imago autem et similitudo in hoc loco vel increata intelligitur, id est Trinitatis essentia, ad quam factus est homo; vel creata, in qua factus est homo, et ipsa homini concreata.

Increatam enim imaginem, quae Deus est, intellexisse videtur Beda [1], cum dicit, « non esse unam imaginem Dei et Angelorum, sed trium personarum »; et ideo [a] personis, non Angelis fit ibi sermo. Improprie tamen imago dicitur, quia imago relative ad aliud dicitur, cuius similitudinem gerit, et ad quod repraesentandum facta est: sicut imago Caesaris, quae ipsius similitudinem praeferebat ipsumque quodammodo repraesentabat; improprie autem imago dicitur id ad quod aliud fit; sicut exemplum proprie dicitur quod sumitur ex aliquo, et exemplar ex quo sumitur aliquid. Ponitur tamen aliquando abusive alterum pro altero; ita et minus proprie accipitur imago essentia Trinitatis, si tamen ea nomine imaginis in hoc loco intelligitur. Filius vero proprie imago Patris dicitur, sicut supra [2] in tractatu de Trinitate diximus.

126 Unde fuerunt nonnulli, qui ita distinxerunt, ut imaginem in hoc loco intelligerent Filium; hominem vero non imaginem, sed ad imaginem factum dicerent.

Quos refellit Apostolus [3] dicens: *Vir quidem est imago et gloria Dei.* Haec namque imago, id est homo, cum dicitur fieri ad imaginem, non quasi ad Filium dicitur fieri, alioquin non diceret [b]: *Ad imaginem nostram.* Quomodo enim *nostram* diceret, cum Filius solius Patris imago sit?

127 Fuerunt autem et alii [4], perspicacius haec tractantes, qui per imaginem Filium, et per similitudinem Spiritum sanctum intelligerent, qui similitudo est Patris et Filii. Et ideo [c] pluraliter putaverunt dici *nostram,* id referentes ad similitudinem tantum, ad

---

[a] D add. *de.* [b] Ed. cum Z B *diceretur.* [c] Z add. *similiter.*

---

[1] *Hexaëm.* (PL 91, 29) *; est etiam in Glossa ord. [2] Lib. I. *Sent.* dist. XXVII, c. 3, et dist. XXVIII, c. 6. Quae sequuntur sunt ex August., VII. *De Trin.* c. 6, n. 12 (PL 42, 946). [3] I. Cor. 11, 7. Cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (PL 178, 760, 763). [4] Inter quos Rupert. Tuitiensis, II. *In Genes.* c. 2 (PL 167, 248).

imaginem vero subintelligendum esse *meam*. Hominem vero et imaginem esse et ad imaginem et similitudinem factum esse tradiderunt, et imaginem imaginis esse [a] et similitudinis.

Verumtamen haec distinctio, licet reprobabilis penitus non videatur, quia [b] *de medio montium* [1], id est auctoritatibus Sanctorum non manat, congruentius in ipso homine imago et similitudo Dei quaerenda et consideranda est. Factus est ergo homo ad imaginem Dei et similitudinem secundum mentem, qua irrationalibus antecellit; sed ad imaginem secundum memoriam, intelligentiam et dilectionem; ad similitudinem secundum innocentiam et iustitiam, quae in mente rationali naturaliter sunt.

Vel imago consideratur in cognitione veritatis, similitudo in 128
amore virtutis vel veritatis [c]; vel imago in aliis omnibus, similitudo in essentia, quia immortalis et indivisibilis [d].

Unde Augustinus in libro *De quantitate animae* [2]: « Anima [e] similis Deo facta est, quia immortalem et indissolubilem fecit eam Deus ». Imago ergo pertinet ad formam, similitudo ad naturam. Factus est igitur homo secundum animam ad imaginem et similitudinem non Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti, sed totius Trinitatis; ita et secundum animam dicitur homo esse imago Dei, quia imago Dei in eo est. Sicut imago dicitur et tabula et pictura [3] quae in ea est; sed propter picturam quae in ea est, simul et tabula imago appellatur: ita propter imaginem Trinitatis, etiam illud in quo est haec imago, nomine imaginis vocatur.

Cap. IV.

Quare homo dicitur imago et ad imaginem, Filius non ad imaginem.

Quocirca homo et imago dicitur et ad imaginem; Filius autem 129
imago, non ad imaginem, quia natus, non creatus, aequalis et in

[a] V om. [b] Ed. add. *tamen*. [c] Ita U V et Z (interl.); ed. om. *vel veritatis*. [d] Ed. add. *est;* D *invisibilis*. [e] U add. *inquit*.

[1] Haec verba respiciunt Zach. 6, 1: *Egredientes de medio duorum montium*, vel Ps. 103, 10; *Inter medium montium pertransibunt aquae*. [2] Cap. 2, n. 3 (P L 32, 1037)*. Cfr. *De Spiritu et anima*, c. 10 (P L 40, 785); August. XII. *De Trin.* c. 6 (P L 42, 1001 et sqq.); et *Serm.* 52, c. 6, n. 17 (P L 38, 361). [3] Cfr. August., XV. *De Trin.* c. 23, n. 43 (P L 42, 1090). Videsis ipsa August. verba apud Magistrum, I. *Sent.* dist. III, c. 3.

nullo dissimilis; homo creatus est a Deo, non genitus, non paritate aequalis, sed quadam similitudine accedens ei.

Unde Augustinus in libro VII *De Trinitate*[1]: « In Genesi legitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Faciamus* et *nostram*[a] pluraliter dixit, et nisi ex relativis accipi non oportet, ut facere intelligantur Pater et Filius et Spiritus sanctus ad imaginem Patris et Filii et Spiritus sancti, ut subsisteret homo imago Dei. Sed quia non omnino aequalis fiebat illa imago, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, ideo ita imago dicitur, quod et ad imaginem[b], quia non aequatur[c] paritate, sed accedit[d] quadam similitudine. Filius autem est imago, sed non ad imaginem, quia aequalis est[e] Patri. Dictus est ergo homo ad imaginem, propter imparem similitudinem; et ideo[f] *nostram,* ut imago Trinitatis esse homo intelligatur, non Trinitati aequalis, sicut Filius Patri ».

Ecce ostensum est, secundum quid homo sit similis Deo, scilicet secundum animam. Sed et « in corpore quandam proprietatem habet, quae hoc indicat, quia est erecta statura, secundum quam corpus animae rationali congruit, quia in caelum erectum est[2] ».

DISTINCTIO XVII.

CAP. I.

De creatione animae, an de aliquo facta sit.

130 Hic de origine animae plura quaeri solent, scilicet unde creata fuerit, et quando, et quam gratiam habuerit in creatione.

Sicut hominis formatio secundum corpus describitur, cum dicitur[3]: *Formavit Deus hominem de limo terrae,* ita eiusdem se-

[a] B om. *Faciamus et nostram.* [b] D add. *propter imparem similitudinem.* [c] V *aequalis.* [d] V *accidens.* [e] Ita U Z D; ed. om. [f] D add. *dicit.*

[1] Cap. 6, n. 12 (P L 42, 946). [2] Beda, *Hexaëm.* (P L 91, 29 et seq.)*; et habetur in Glossa ord. ad hunc locum. [3] Gen. 2, 7. Hoc et seq. cap. Magister sumsit ex August., VII. *De Gen. ad litt.* c. 1-3 (P L 34, 355 et sqq.); et deinde a verbis *Sed utrum in corpore* etc. ex eodem libro, c. 24. Cfr. et Hugo, I. *De Sacram.* p. 6, c. 3 (P L 176, 264); cod. Erf. remittit ad Gandulph. II. *Sent.* Cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (P L 178, 775).

cundum animam factura describitur, cum subditur: *Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.*

[Cap. II [a]]. Corpus enim de limo terrae formavit Deus, cui ani- 131
mam inspiravit, vel secundum aliam litteram, flavit vel sufflavit; non quod faucibus sufflaverit, vel manibus corporeis corpus formaverit: spiritus enim Deus est, nec lineamentis membrorum compositus [b]. Non ergo carnaliter putemus, Deum corporeis manibus formasse corpus, vel faucibus inspirasse animam, sed potius hominem de limo terrae secundum corpus formavit iubendo, volendo, id est voluit et verbo suo iussit, ut ita fieret; *et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae,* id est substantiam animae in qua viveret, creavit, non de materia [c] aliqua corporali vel spirituali, sed de nihilo.

Putaverunt enim quidam haeretici, Deum de sua substantia 132
animam creasse, verbis Scripturae pertinaciter [d] inhaerentes, quibus dicitur: *Inspiravit* vel *sufflavit* [e] etc. Cum flat [f], inquiunt, vel spirat homo, de se flatum emittit; sic ergo, cum dicitur Deus flasse vel spirasse spiraculum in faciem hominis, ex se spiritum hominis emisisse intelligitur, id est de sua substantia.

Qui hoc dicunt, non capiunt, tropica locutione [g] dictum esse *sufflavit* vel *flavit,* id est flatum hominis, scilicet animam fecit. Flare enim est flatum facere; flatum [h] facere est animam facere. Unde Dominus per Isaiam [1]: *Omnem flatum ego feci.*

Non sunt ergo audiendi qui putant, animam esse partem Dei. Si enim hoc esset, nec a se nec ab alio decipi posset, nec ad malum faciendum vel patiendum compelli, nec in melius vel deterius mutari. Flatus ergo, quo hominem animavit, factus est a Deo, non de Deo nec de aliqua materia, sed de nihilo.

[Cap. II continuatio].

Quando facta fuerit anima, an in corpore, an extra.

Sed utrum in corpore, an extra corpus [i], etiam inter doctos 133
scrupulosa quaestio est [2].

---

[a] Hic ed. incip. cap. 2. [b] U add. *est.* [c] D *substantia.* [d] V Z (interl.) B D *pervicaciter.* [e] Ed. *insufflavit.* [f] U add. *enim.* [g] U add. *hoc.* [h] U add. interl. *vero.* [i] C add. *sit anima.*

---

[1] Cap. 57, 16. [2] Cfr. Hugo, loc. cit.

Augustinus enim *Super Genesim* [1] tradit, animam cum Angelis sine corpore fuisse creatam, postea vero ad corpus accessisse: « Neque compulsa est incorporari, sed naturaliter illud voluit, id est sic creata fuit, ut vellet; sicut naturale est nobis velle vivere. Male autem velle vivere, non naturae, sed voluntatis est perversae [2] ».

Alii vero dicunt, animam primi hominis in corpore fuisse creatam, ita exponentes verba illa: *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae,* id est animam in corpore creavit, quae totum corpus animaret; *faciem* tamen specialiter expressit, quia haec pars sensibus ornata est ad intuenda superiora.

Sed quidquid de anima primi hominis aestimetur, de aliis certissime sentiendum [a] est, quod in corpore creentur: creando enim infundit eas Deus et infundendo creat. Dicendum est etiam, « animam illam non sic esse creatam, ut praescia esset operis futuri iusti vel iniusti [3] ».

Cap. III.

In qua aetate factus sit homo.

134 Solet etiam quaeri, utrum Deus hominem repente in virili aetate fecerit, an [b] perficiendo et aetates augendo, sicut nunc format in matris utero.

Augustinus *Super Genesim* [4] dicit, quod Adam in virili aetate continuo factus est, et hoc secundum superiores, non inferiores causas, id est secundum voluntatem et potentiam Dei, quam naturae generibus non alligavit: qualiter et virga Moysi conversa est in draconem [5]. Nec talia contra naturam fiunt nisi nobis, quibus aliter naturae cursus innotuit, Deo autem natura est quod facit; non ergo contra dispositionem suam illud fecit Deus. Erat enim in prima causarum [c] conditione, sic hominem posse fieri [d], sed non ibi erat necesse ut sic fieret; « hoc enim non erat in conditione creaturae, sed in beneplacito Creatoris, cuius voluntas necessitas est [6] ». « Hoc enim necessario futurum est quod vult et praescit.

---

[a] Z *sciendum.* [b] U *aut.* [c] V *creaturarum.* [d] D add. *a Deo.*

---

[1] Loc. cit. c. 25 et 27 (PL 34, 368 et seq.). Cod. Erf. addit: *Hoc non asserit Augustinus.* [2] Loc. cit. c. 28. [3] August. loc. cit. c. 26*. Cfr. supra dist. IV. et infra dist. XXIII, c. 4. [4] Libr. VI, c. 13 et 14 (PL 34, 348 et sqq.). [5] Alluditur ad Exod. 7, 10. [6] Aug., loc. cit. c. 75.

Multa vero secundum inferiores causas futura sunt, sed in praescientia Dei futura non sunt. Si autem ibi aliter futura sunt, potius futura sunt, sicut ibi sunt, ubi praescit ille qui non potest falli [1] ». « Sic ergo factus est Adam non secundum inferiores causas, quia non erat in rerum causis seminalibus, ut ita fieret, sed secundum superiores, non [a] contra naturam operantes, quia in rerum causis naturalibus erat, ut ita posset fieri [2] ».

Cap. IV.

Quare homo, extra paradisum creatus, in paradiso sit positus.

Hominem autem ita formatum tulit Deus, ut Scriptura [3] docet, 135
et posuit in paradiso voluptatis, *quem plantaverat a principio.*

His verbis aperte Moyses insinuat, quod homo extra paradisum creatus, postmodum in paradiso sit positus. Quod ideo factum dicitur, quia non erat in eo permansurus, vel ut non naturae, sed gratiae hoc assignaretur.

Cap. V.

Quibus modis paradisus accipitur.

Intelligitur autem paradisus localis et corporalis, in quo homo 136
locatus est.

« Tres enim generales de paradiso sententiae sunt: una eorum qui corporaliter intelligi volunt tantum; alia eorum qui spiritualiter tantum; tertia eorum qui utroque modo paradisum accipiunt. Tertiam mihi placere fateor, ut homo in corporali paradiso sit positus [4] », qui ab illo principio plantatus accipi potest, quo omnem terram, remotis aquis, herbas et ligna producere iussit. « Qui [b] etsi praesentis Ecclesiae vel futurae typum tenet, ad litteram tamen intelligendum est, esse locum amoenissimum, fructuosis arboribus magnum et magno fonte fecundum. Quod [c] dicimus *a principio*, antiqua translatio [5] dicit [d] *ad orientem*. Unde volunt, in orientali

[a] Z add. *tamen*. [b] V B *quia*. [c] U add. *autem*. [d] D *habet*.

[1] Aug., loc. cit. c. 17 *. [2] Aug., ibid. c. 18 *. [3] Gen. 2, 8. [4] August., VIII. *De Gen. ad litt.* c. 1, n. 1 et 4 (P L 34, 371 et sqq.); habetur in Glossa ord. [5] Id est Septuag. Cfr. August., loc. cit. c. 3.

parte esse paradisum, longo [a] interiacente spatio vel maris vel terrae a regionibus quas incolunt homines, secretum, et in alto situm [1], usque ad lunarem circulum pertingentem; unde nec aquae [b] diluvii illuc pervenerunt [2] ».

Cap. VI–VII.

De ligno vitae, et de ligno scientiae boni et mali.

137 In hoc autem paradiso erant ligna diversi generis, inter quae unum erat, quod vocatum est *lignum vitae*, alterum vero *lignum scientiae boni et mali* [c].

Lignum autem vitae dictum est, sicut docet Beda [3] et Strabus, « quia divinitus accepit hanc vim, ut qui ex eius fructu comederet, corpus eius stabili sanitate et perpetua soliditate firmaretur, nec ulla infirmitate vel aetatis imbecillitate in deterius vel in occasum laberetur ».

138 Lignum autem scientiae boni et mali non a natura hoc nomen accepit, sed ab occasione rei postea secutae.

« Arbor enim illa non erat mala, sed scientiae boni et mali ideo [d] dicta est, quia post prohibitionem erat in illa transgressio futura, qua [e] homo experiendo disceret, quid esset inter obedientiae bonum et inobedientiae malum. Non ergo de fructu, qui nasceretur inde, positum est illud nomen, sed de re [f] transgressionem secuta [4] ». Cognovit enim homo, priusquam tangeret hoc lignum, bonum et malum; sed bonum per prudentiam et experientiam, malum vero per prudentiam tantum; quod etiam per expe-

---

[a] V B *longe.* [b] Ed. *aqua.* [c] In ed. verba *In hoc... mali* sunt pars cap. 3, quae tamen in codic. (qui etiam cc. 6 et 7 coniungunt) sunt initium huius cap. [d] D om. [e] V *quam.* [f] D om.

---

[1] Hic cod. Erf. annotat: *Illud non est Bedae, sed Strabi in quadam Glossa ibid. Lunarem hyperbolice dictum est i. e. altius omni terra, secundum Damascenum.* [2] Beda, *Hexaëm.* (PL 91, 13 et seq.); est in Glossa. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (PL 178, 775 et seq.). [3] Beda, *Hexaëm.* (PL 91, 44); habetur hoc sicut et Strabi sententia in Glossa ord. Sumtae sunt hae sententiae ex August., VIII. *De Gen. ad litt.* c. 3 (PL 34, 374). Cfr. Abael. *Expos. in Hexaëm.* (PL 178, 776 et seq.). [4] Ex Glossa ord. ad Gen. 2, 9. Cfr. August., VIII. *De Gen. ad litt.* c. 6, n. 12 (PL 34, 377). In eod. libr. c. 15 invenies et quae sequuntur. Cfr. August., ibid. c. 13, n. 28, 29.

rientiam novit, usurpato ligno vetito, quia per experientiam mali didicit, quid sit inter bonum obedientiae et malum inobedientiae. Si vero primi parentes obedientes essent, nec contra praeceptum peccassent, non ideo tamen minus diceretur *lignum scientiae boni et mali,* quia hoc ex eius tactu accideret, si usurparetur. A ligno igitur homo [a] prohibitus est, quod malum non erat, ut ipsa praecepti conservatio [b] bonum illi esset, transgressio malum. Nec melius consideratur, quantum malum sit inobedientia quam hoc modo, cum scilicet ideo [c] reus homo factus esse intelligitur, quia prohibitus rem tetigit, quam si non prohibitus tetigisset, nec peccasset nec poenam sensisset. Si enim venenosam herbam prohibitus tetigeris, poena sequitur, etsi nemo prohibuisset; similiter sequeretur [d], si etiam [e] prohiberetur res tangi, quae non tangenti tantum [f], sed prohibenti obest, sicut aliena pecunia; ideo prohibito [g] est peccatum, quia prohibenti est damnosum. Cum vero [h] tangitur quod nec tangenti obest si non prohibetur, nec cuilibet si tangatur, ideo prohibetur, ut per se bonum obedientiae et malum inobedientiae monstretur; sicut primus homo, a re bona prohibitus, poenam incurrit, ut non ex re mala, sed ex inobedientia poena esse [i] monstretur, sicut ex obedientia palma [1].

DISTINCTIO XVIII.

Cap. I.

De formatione mulieris.

In eodem quoque paradiso mulierem formavit Deus de sub- 139
stantia [k] viri, sicut post plantatum paradisum hominemque in eo positum, et post universa animalia ad eum ducta, suisque nominibus designata, subnectit Scriptura [2]: *Immisit Deus soporem in Adam.*

---

[a] Ed. om. [b] U *conservatio.* [c] V add. *hoc modo.* [d] U (corr. interl.) V B *prosequeretur.* [e] V *sic eius,* pro *si etiam.* [f] D om. [g] Ed. cum V *prohibitum.* [h] Z *ergo.* [i] D om. [k] A B C *costa.*

---

[1] Respic. Prov. 21, 28. Cfr. Abael. loc. cit. [2] Gen. 2, 21 et 22. Haec distinctio magna ex parte deprompta est ex Hugone, l. *De Sacram.* p. 6, c. 34-36, et *Sum. Sent.* tr. 3, c. 3 (P L. 176, 284, 92). Cod. Erf. hic citat Gandulph. *Sent.* II, c. 157, 158.

Cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, et formavit eam in mulierem.

140 Hic attendendum est, quare non creavit simul virum et mulierem, sicut Angelos, sed prius virum, deinde mulierem de viro.

« Ideo scilicet, ut unum esset generis humani principium, quatenus in hoc et superbia diaboli confunderetur, et hominis humilitas Dei similitudine sublimaretur. Diabolus quippe aliud a Deo principium esse concupierat, ideoque, ut eius superbia retunderetur, hoc homo in munere accepit, quod diabolus perverse rapere voluit, sed obtinere non potuit. Et per hoc imago Dei in homine apparuit, quia sicut Deus omnibus rebus existit principium creationis, ita homo omnibus hominibus principium generationis. Ideo etiam ex uno homine omnes esse voluit Deus, ut dum cognoscerent se ab uno esse omnes, se quasi unum amarent [1] ».

Cap. II.

Quare de latere viri, et non de alia parte corporis formata sit.

141 Cum autem his de causis « facta sit mulier de viro, non de qualibet parte corporis viri [a], sed de latere eius formata est, ut ostenderetur, quia in consortium creabatur dilectionis, ne forte, si fuisset de capite [b] facta, viro ad dominationem videretur praeferenda; aut si de pedibus, ad servitutem subiicienda. Quia igitur viro nec domina nec ancilla parabatur, sed socia, nec de capite nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda, ut iuxta se ponendam cognosceret, quam de suo latere sumtam didicisset [2] ».

Cap. III.

Quare dormienti, et non vigilanti subtracta sit costa.

142 Non sine causa « quoque dormienti viro potius [c] quam vigilanti detracta est costa, de qua mulier in adiutorium generationis viro est formata, sed ut nullam in eo sensisse poenam monstrare-

[a] D om. [b] V B add. *viri*. [c] V *prius*.

[1] August., XII. *De civ. Dei* c. 27 (P L 41, 376). [2] August., loc. cit. et IX. *De Gen. ad litt.* c. 13, n. 23 (P L 34, 402); nec non *De bono coniugali* c. 1 (P L 40, 373) *.

tur, et divinae simul potentiae opus mirabile ostenderetur [a], quae hominis dormientis latus aperuit, nec eum tamen a quiete soporis excitavit [1] ». « In quo etiam opere Sacramentum Christi et Ecclesiae figuratum est [2]; quia sicut mulier de latere viri dormientis formata est [3], ita Ecclesia ex Sacramentis, quae de latere Christi in Cruce dormientis profluxerunt, scilicet sanguine et aqua, quibus redimimur a poenis atque abluimur a culpis [4] ».

Cap. IV.

Quod de costa in se multiplicata, sine additamento extrinsecae rei, facta fuerit.

Solet etiam quaeri, utrum de « costa illa sine adiectione rei 143
extrinsecae facta sit mulier.

« Quod quibusdam non placuit. Ceterum si ad perficiendum corpus mulieris Deus augmentum extrinsecum [b] addidisset, maius illud esset quam ipsa costa. Ideoque potius de illo [c] quam de ipsa [d] costa mulier facta deberet dici, de quo plures accepisset substantiae partes. Restat igitur, ut de sola ipsius costae substantia, sine omni extrinseco additamento per divinam potentiam in semetipsa multiplicata, mulieris corpus factum dicatur, eo sane miraculo, quo postea de [e] quinque panibus, Iesu caelesti benedictione multiplicatis, quinque millia hominum satiata sunt [5] ».

Illud etiam sciri oportet, quod cum Angelorum ministerio facta 144
sit mulieris formatio, non est eis tamen tribuenda creationis potentia. « Angeli enim nullam possunt creare naturam, ergo nec formare costam in mulierem, nec carnis supplementum in locum [f] costae; non quod nihil agant, ut aliquid crectur, sed non ideo creatores sunt, sicut nec agricolae segetum aut [g] arborum [h]. Solus [i] Deus, id est Trinitas, est Creator [6] ». Femina ergo facta est a Deo, etiamsi costa ministrata sit per Angelos.

[a] U *probaretur*. [b] U *extrinsecus*. [c] Ed. add. *addito*. [d] V B D om. [e] D om. [f] Ed. *loco*. [g] Ed. *vel*. [h] D add. *sunt creatores*. [i] U *sed solus*; ed. *solum*.

[1] Hugo, l. *De Sacram.* p. 6, c. 36 (P L. 176, 284). [2] Respic. Ephes. 5, 32. [3] Respic. Ioan. 19, 34. [4] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 3 (P L 176, 92). [5] Hugo, loc. cit. [6] August., IX. *De Gen. ad litt.* c. 15, n. 26; et c. 16, n. 30 (P L 34, 403 et sqq.).

Cap. V.

De causis superioribus et inferioribus.

145 Sed quaeritur, an ratio quam Deus primis operibus concreavit [a], id haberet, ut secundum ipsam ex viri latere feminam fieri necesse foret; an hoc tantum, ut fieri posset [b].

« Ad quod sciendum est, omnium rerum causas in Deo ab aeterno esse: ut enim homo sic fieret, vel equus et huiusmodi, in Dei potentia et dispositione ab aeterno fuit. Et [c] hae dicuntur primordiales causae, quia istas aliae non praecedunt, sed istae alias, quae sunt causae causarum. Cumque unum sit [d] divina potentia et [e] dispositio sive voluntas, et ideo una omnium principalis causa, tamen propter effectus diversos [f] pluraliter dicit Augustinus[1], primordiales causas omnium rerum in Deo esse, inducens similitudinem artificis, in cuius dispositione est, qualis futura sit arca. Ita et in Deo uniuscuiusque rei futurae causa praecessit. In creaturis vero quarundam rerum, sed non omnium causae sunt, ut ait Augustinus, quia inseruit Deus seminales rationes rebus, secundum quas alia ex aliis proveniunt, ut de hoc semine tale granum, de hac arbore talis fructus, et huiusmodi. Et hae quoque dicuntur primordiales causae, etsi non adeo proprie, quia habent ante se causam aeternam, quae proprie et universaliter prima est. Illae vero ad res aliquas dicuntur primae, quae scilicet ex eis proveniunt. Ideo etiam primordiales dicuntur, quia in prima rerum conditione rebus a Deo insitae sunt. Et sicut creaturae mutabiles sunt, ita et hae causae mutari possunt[2] »; quae autem in immutabili Deo causa est, mutari non potest.

[a] Z *creavit.* [b] D add. *a Deo.* [c] Ed. om. [d] V B *sint.* [e] Ita U; ed. om. [f] D add. *principaliter et.*

[1] Cfr IX. *De Gen. ad litt.* c. 16 et 17, n. 32 (PL 34, 404 et sqq.). Cfr. etiam *83 Qq.* q. 46 (PL 40, 29 et sqq.); et quoad praecedentia cfr. *De Gen.* loc. cit. c. 18, n. 33 (PL 34, 406). [2] Haec omnia et quae sequuntur sunt ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 3, qui ea ex multis locis Augustini compilavit (PL 176, 93 et seq.).

Cap. VI.

De causis, quae in Deo simul sunt et in creaturis, et de his quae in Deo tantum sunt.

Omnium igitur rerum causae in Deo sunt; sed quarundam 146
causae et in Deo sunt et in creaturis, quarundam vero causae in Deo tantum sunt; et illarum rerum causae dicuntur absconditae in Deo, quia ita est in divina dispositione, ut hoc vel illud fiat, quod non est in seminali creaturae ratione. Et illa quidem [a] quae secundum causam seminalem fiunt, dicuntur naturaliter fieri, quia ita cursus naturae hominibus innotuit, alia vero praeter naturam, quorum causae tantum sunt in Deo.

Haec autem dicit Augustinus[1] esse illa quae per gratiam 147
fiunt, vel ad ea significanda non naturaliter [b], sed mirabiliter fiunt. Inter quae mulieris facturam de costa viri ponit, ita dicens: « Ut mulierem ita fieri necesse foret, non in rebus conditum, sed in Deo absconditum erat ». Omnis naturae cursus habet naturales leges. Super hunc naturalem cursum Creator habet apud se posse de omnibus facere aliud, quam eorum naturalis ratio habet: ut virga scilicet arida repente floreat [c], fructum gignat; et in iuventute sterilis, femina in senectute pariat; ut asina loquatur, et huiusmodi. Dedit autem naturis, ut ex his etiam haec fieri posset, non ut [d] in naturali motu haberent. Habet ergo [e] in se absconditas quorundam factorum [f] causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non opere providentiae, quo naturae subsistunt ut sint [g], sed quo illas administrat ut voluerit, quas ut voluit condidit. Omnium ergo quae ad gratiam significandam, non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt, absconditae causae in Deo fuerunt, quorum unum erat [h], quod mulier facta est de latere viri dormientis. Non [i]

---

[a] D om. [b] V add. *sed potentialiter.* [c] Ed. add. *et.* [d] B add. *hoc.* [e] Ed. add. *Deus.* [f] Ed. et U *futurorum,* sed U corr. interl. *vel factorum.* Erf. hic adnotat: *Alias* futurorum; *in originali* factorum, *et sumitur haec littera* futurorum *a VI. libro, c. 8* [n. 13], *ubi eadem est sententia.* [g] Erf. adnotat: *In originali:* Quo natura substituit, ut sint, *et est melior littera.* [h] V om. [i] V *Nam non.*

---

[1] Quae praecedunt sumsit Hugo loc. cit. ex August., IX. *De Gen. ad litt.* c. 17, n. 32 (P L 34, 406) *; et quae sequuntur ex eod. ibid. c. 18, n. 34 *.

habuit prima rerum conditio, ut femina sic fieret, sed ut fieri posset [a], ne contra causas, quas Deus voluntarie instituit, mutabili voluntate aliquid facere putaretur.

Cap. VII.

De anima mulieris, quae non ex anima viri, quia animae non sunt ex traduce.

148 « Quemadmodum mulieris corpus de viri corpore traductum fuit, ita putaverunt aliqui, ipsius animam de viri anima propagatam, et omnes animas praeter primam de traduce esse, sicut corpora [1] ».

Alii autem putaverunt, simul omnes animas ab initio [b] creatas. Catholica autem Ecclesia nec simul nec ex traduce factas esse animas docet, sed in corporibus per coitum seminatis atque formatis infundi, et infundendo creari.

Unde in *Ecclesiasticis dogmatibus* [2]: « Animas hominum non esse ab initio [c] inter ceteras [d] intellectuales naturas [e] nec simul creatas, sicut Origenes fingit, dicimus; neque cum corporibus per coitum seminari, sicut Luciferiani et Cyrillus et quidam Latinorum praesumtores affirmant. Sed dicimus, corpus tantum per coniugii copulam seminari, creationem vero animae solum Creatorem nosse, eiusque iudicio corpus [f] coagulari in vulva, et compingi atque formari, ac formato iam corpore, animam creari et infundi, ut vivat in utero homo, ex anima constans et corpore, et egrediatur vivus ex utero, plenus humana substantia ».

Hieronymus [g] [3] etiam anathematis vinculo illos condemnat, qui animas ex traduce dicunt, inducens auctoritatem Prophetae: *Qui finxit singillatim corda eorum.* Hic [h] satis, inquit, innuit Propheta, quod non animam de anima facit Deus [i], sed singillatim animas de nihilo creat.

---

[a] D add. *a Deo.* [b] U add. *esse.* [c] D add. *mundi.* [d] Ed. *creaturas.* [e] Ed. *natas.* [f] D add. *copulari et.* [g] V *Verum.* [h] Ed. *hoc.* [i] Z om.

---

[1] August., X. *De Gen. ad litt.* c. 1, n. 1 (PL 34, 407); Hugo ibid. [2] Gennadius, c. 14 (PL 58, 984). [3] Ita in Glossa ad Ps. 32, 15, quae sumta est ex Hieronymi libro *Contra Ioan. Ierosolymitanum* n. 22 (PL 23, 372 et seq.).

DISTINCTIO XIX.

Cap. I.

De statu hominis ante peccatum, qualis fuit secundum corpus, et qualis post peccatum.

Solent quaeri plura de primo hominis statu ante peccatum, 149
scilicet qualis fuerit homo priusquam peccaret, et in corpore et in anima, mortalis, an immortalis, passibilis, an impassibilis; de termino inferioris vitae et de transitu ad superiorem; de modo propagationis filiorum, et alia multa, quae non [a] inutiliter sciuntur, licet aliquando curiositate quaerantur.

Et priusquam ad animi qualitatem pertinentia prosequamur, de qualitate eius secundum corpus et modo propagationis filiorum et de aliis quibusdam inspiciamus.

« Primus igitur [b] homo secundum naturam corporis terreni et immortalis fuit quodam modo [c], quia potuit non mori, et mortalis quodam modo, quia potuit mori: in illo namque primo statu habuit posse mori et posse non mori. Et haec fuit prima humani corporis immortalitas, scilicet posse non mori. In secundo vero statu post peccatum [d], habuit posse mori et non posse non mori, quia in hoc statu moriendi est necessitas. In tertio statu habebit posse non mori et non posse mori, quia ad illum statum pertinet moriendi impossibilitas, quod ex gratia erit, non ex natura [1] ».

Cap. II.

Quomodo dicitur homo factus in animam viventem.

In primo statu fuit corpus hominis animale, id est egens ali- 150
moniis ciborum [e]; unde et *homo factus* dicitur *in animam viventem* [2], non spiritualem, « id est in animam corpus sensificantem,

---

[a] V om. [b] Z om. [c] Ed. et V B add. *secundum aliquid.* [d] U add. *scilicet.* [e] D om.

---

[1] Hugo, I. *De Sacram.* p. 6, c. 18 (P L 176, 275). Cfr. August., VI. *De Gen. ad litt.* cc. 25 et 26 (P L 34, 354). [2] Respic. Gen. 2, 7.

quod adhuc erat animale [1], non spirituale, quod egebat cibis, ut per animam [a] viveret. *Factus est* igitur *in animam viventem,* id est vitam corpori dantem, tamen per sustentamenta [b] ciborum; et tunc erat corpus mortale et immortale, quia poterat mori et poterat non mori [2] ».

« Post peccatum vero factum est mortuum, sicut dicit Apostolus [3]: *Corpus propter peccatum mortuum est,* id est, necessitatem moriendi in se habet ».

151 In resurrectione vero erit spirituale, scilicet agile et cibis non egens, et immortale, non sicut in statu primo tantum fuit, scilicet quod possit non mori, sed etiam quod non poterit mori.

Unde Augustinus *Super Genesim* [4]: « Apostolus ait: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum,* etc. Prius de limo terrae formatum est corpus animale, non spirituale, cum quali resurgemus et renovabimur enim [c] a vetustate, non in corpus animale, quale fuit, sed in melius, id est spirituale, *cum hoc mortale induerit* [d] *immortalitatem* [5], in quam mutandus erat Adam, nisi mortem corporis animalis peccando meruisset. Non ait Apostolus: corpus mortale est propter peccatum, sed: *mortuum* ».

Cap. III.

Corpus hominis ante peccatum, mortale et immortale erat, post peccatum, mortuum.

152 « Illud enim [e] ante peccatum mortale et immortale erat, quia poterat mori et non mori. Aliud est autem non posse mori, aliud posse non mori. Ideo factum est per peccatum non mortale, quod erat, sed mortuum, quod non fieret, nisi peccasset [f]. Animale enim non [g] est [h] hoc corpus, sicut primi hominis fuit, sed iam deterius est; habet enim necessitatem moriendi ». Ecce hic evidenter aperit

---

[a] D add. *viventem.* [b] V *sustentacula.* [c] Ita omnes codd.; ed. om. *enim.* [d] Ita U Z; ed. *induet;* V *hoc mors inducet in,* pro *h. m. i.* [e] Z *vero.* [f] Ita U; ed. *peccaret.* [g] Ita omnes codd.; ed. om. [h] Ita omnes codd.; ed. add. *et.*

---

[1] Respic. I. Cor. 15, 45. Cfr. Glossa interlin. [2] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 4 (P L 176, 94). [3] Rom. 8, 10. Aug., VI. *De Gen. ad litt.,* c. 22 (P L 34, 353)*. [4] Quae hic sequuntur et in cap. seq. habentur loc. cit. cc. 24-26. [5] Cfr. I. Cor. 15, 44-54.

Augustinus, quod corpus hominis ante peccatum, mortale et immortale fuit, sed non qualiter fiet in resurrectione.

De hoc [a] eodem Beda [1] *Super Genesim* ait: « Non est credendum, ante peccatum ita fuisse mortua corpora, sicut modo. Ait enim Apostolus: *Corpus propter peccatum mortuum est,* sed licet fuissent animalia et [b] nondum spiritualia, non tamen mortua, quae scilicet necesse esset mori ».

Cap. IV.

Utrum immortalitas, quam habuit tunc, fuerit de conditione naturae, an ex gratiae beneficio.

Solet hic quaeri, cum homo primus mortale et immortale 153
corpus habuerit, utrum ex conditione naturae ipsius corporis habuerit utrumque, an alterum beneficium esset gratiae, scilicet immortalitas [c], id est posse non mori.

Ad quod dici potest, quia alterum habebat in natura corporis, id est posse mori; alterum vero, scilicet posse non mori, erat ei ex ligno vitae, scilicet ex dono gratiae.

Unde Augustinus *Super Genesim* [2]: « Quodam modo creatus est homo immortalis, quod erat ei de ligno vitae, non de conditione naturae. Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris. Non enim immortale erat, quod omnino mori non posset; quod non erit, nisi cum fuerit spirituale ». Aperte dicit, quod non ex natura, sed ex ligno vitae habebat posse non mori.

Propter hoc aliqui dicunt, quod nisi ligno illo [d] uteretur, non semper viveret, quia peccaret. Peccaret enim, si illo ligno non [e] uteretur, quia praeceptum erat ei, ut comederet de omni ligno paradisi, nisi de ligno scientiae boni et mali. Sicut ergo peccavit comedendo quod erat [f] prohibitum, ita etiam peccaret, si non comederet quod erat iussum.

---

[a] Z om. [b] Ed. et V D om. [c] V *immortalitatis.* [d] Ed. add. *vitae.* [e] B add. *semper.* [f] B add. *ei.*

---

[1] Libr. I. *Hexaëm.* (P L 91, 47 et seq.) *; et habetur in Glossa ord.
[2] Libr. VI, c. 25, n. 36 (P L 34, 354).

Cap. V.

Si posset homo vivere semper, utens aliis lignis et non ligno vitae, Deo non mandante ut de illo ederet.

154 Sed adhuc quaeritur, si non esset praeceptum, ut de ligno vitae ederet, et aliis et non illo vesceretur, nunquid posset non mori ?

Si semper viveret, non utens ligno illo, non erat ei ex illo ligno posse non mori; si vero non posset semper vivere, id erat ei ex ligno illo.

Aliqui dicunt, quod si non [a] fuisset ei praeceptum vesci [b] ligno illo, et aliis et non illo vesceretur, viveret semper; sic determinantes illud quod supra dixit Augustinus, scilicet « erat ei de ligno vitae, non de conditione naturae » tantum, scilicet quasi non ex conditione naturae solummodo erat ei, sed etiam ex ligno illo [c].

Aliis autem [d] videtur, quod ex ligno vitae erat ei posse non mori, non ex natura: ideo enim dicitur potuisse non mori, quia poterat uti ligno illo, de quo edens non moreretur.

Cap. VI.

De immortalitate corporis prima et secunda.

155 De hac vero hominis immortalitate, qualis fuerit, Augustinus *Super Genesim* [1] quaestionem movens sic [e] ait: « Quaeritur, quomodo immortalis factus sit homo prae aliis animantibus; et quomodo cum illis communem acceperit alimoniam. Sed alia est immortalitas carnis, quam in Adam accepimus; alia, quam in resurrectione speramus per Christum. Ille factus est homo immortalis, ut non posset mori, si non peccaret, moreretur autem, si peccaret;

---

[a] V om. [b] V Z B add. *de.* [c] D add. *vitae,* et om. *ligno.* [d] D om. [e] V om.

---

[1] Libr. III, c. 21, n. 33 (P L 34, 293), et *Quaest. veter. et nov. Test.* q. 19 et alibi (P L 35, 2227)*; cfr. Beda, *Hexaëm.* I (P L 91, 44); in Glossa ord. ad Gen. 1, 26.

filii vero resurrectionis nec poterunt ultra [a] peccare, nec mori. Caro nostra non tunc egebit refectione ciborum, quia [b] nulla poterit esse defectio [c]. Caro [d] Adae ante peccatum ita immortalis creata est, ut per alimoniam adiuta [e], esset mortis et doloris expers. Sic igitur immortalis et incorruptibilis condita est caro hominis, ut suam immortalitatem et incorruptionem per observantiam mandatorum Dei custodiret. In quibus mandatis hoc continebatur, ut de illis lignis concessis manducaret, et ab interdicto abstineret; per horum edulium immortalitatis dona conservaret, donec corporalibus incrementis perductus ad aetatem, quae Conditori placeret, multiplicata progenie, ipso iubente, sumeret de ligno vitae, quo perfecte immortalis factus, cibi alimenta non ulterius requireret ». Ecce his verbis videtur Augustinus tradere, quod caro primi hominis immortalitatem in se habuerit, quae per alimoniam ciborum conservaretur usque ad tempus suae translationis in melius, quando de ligno vitae comederet et fieret omnino immortalis, ita ut non posset mori.

Ideo aliqui dicunt, quod immortalitatem de natura habebat, 156
qua poterat non mori, quae aliorum lignorum esu poterat conservari; sed non poterat consummari nisi per assumtionem ligni vitae.

Quod Augustinus videtur sentire *Super Genesim* [1] dicens: « Hoc quoque addo [f], talem cibum illam arborem praestitisse, quo corpus hominis stabili sanitate firmaretur, non sicut ex [g] alio cibo, sed inspiratione salubritatis occulta ». Hic innuere videtur, quod cum aliis cibis posset corpus sustentari, hoc cibo indeficienti sanitate firmaretur. Ex quo consequi videtur, quod sicut in natura sui [h] habuit mortalitatem quandam, scilicet aptitudinem moriendi; ita [i] aliquam immortalitatem in natura sui [k] habuit, id est aptitudinem [l], qua poterat non mori, cibis adiutus; sed si perstitisset, immortalitatis perfectio esset ei de ligno vitae.

Sed qui hoc tradunt, quomodo superiora Augustini verba [2], quibus dicit, quod erat immortalis ex ligno vitae, huic sententiae non contradicant, diligenter inquirant.

---

[a] Z om. [b] U add. *tunc.* [c] Z om. *Caro nostra... defectio.* [d] U add. *enim.* [e] D *adesset vita,* pro *adiuta.* [f] V om. [g] D om. [h] Ed. *sua.* [i] U add. *quoque.* [k] Ed. et D *sua.* [l] U add. *quamdam.*

---

[1] Libr. VIII, c. 5, n. 11 (PL 34, 377). [2] Cfr. c. 4. huius dist.

DISTINCTIO XX.

Cap. I.

De modo procreationis filiorum, si non peccassent primi homines.

157 Post haec videndum est, qualiter primi parentes [a], si non peccassent, filios procreassent, et quales ipsi filii nascerentur.

Quidam putant, ad gignendos filios primos homines [b] in paradiso misceri non potuisse nisi post peccatum, dicentes, concubitum sine corruptione vel macula non posse fieri. Sed ante peccatum nec corruptio nec macula in homine esse poterat; quoniam ex peccato [c] haec consecuta sunt.

Ad quod dicendum est, quod si non peccassent primi homines, sine omni peccato et macula in paradiso carnali copula convenissent, et esset ibi *thorus immaculatus* [1] et commixtio sine concupiscentia, atque [d] genitalibus membris sicut ceteris imperarent, ut ibi nullum motum illicitum sentirent; et sicut alia membra corporis aliis admovemus, ut manum ori, sine ardore libidinis, ita genitalibus uterentur membris sine aliquo pruritu carnis. Haec enim lethalis aegritudo membris humanis [e] ex peccato inhaesit. Genuissent itaque filios in paradiso per coitum immaculatum et sine [f] corruptione.

Unde Augustinus *Super Genesim* [g] [2]: « Cur non credamus, primos homines ante peccatum genitalibus membris ad procreationem imperare potuisse, sicut ceteris in quolibet opere sine voluptatis pruritu utuntur [h]? Incredibile enim non est, Deum talia fecisse illa corpora, ut, si non peccassent, illis membris sicut pedibus imperarent, nec cum ardore seminarent, vel cum dolore parerent; sed post peccatum motum illum meruerunt, quem nuptiae ordinant, continentia cohibet ». « Infirmitas enim prona in ruinam turpitudinis excipitur honestate nuptiali, et quod sanis esset [i] offi-

---

[a] U *homines.* [b] V *parentes.* [c] Z *peccatis;* D *peccatum,* pro *ex peccato.* [d] D *ut.* [e] V om. [f] D add. *omni.* [g] V B om. *Unde Aug. sup. Genesim,* quae in U sunt add. interl. [h] Ed. *ultimur.* [i] Z add. interl. *in.*

---

[1] Respic. Ad Hebr. 13, 4. [2] Libr. IX, c. 10, n. 18 (PL 34, 399).

cium, aegrotis est in remedium [1] ». « Emissi quidem de paradiso convenerunt et gennerunt, sed potuerunt eis esse in paradiso nuptiae honorabiles et *thorus immaculatus* sine ardore libidinis, sine labore pariendi [2] ».

Cap. II.

Quare in paradiso non coierunt.

Cur ergo non coierunt in paradiso? Quia, creata muliere, mox 158
transgressio facta est [3], et eiecti sunt de paradiso; vel quia Deus nondum iusserat, ut coirent, et poterat divina exspectari auctoritas, ubi concupiscentia non angebat. Deus vero non iusserat, quia casum eorum praesciebat, de quibus homo propagandus erat [4].

Ecce expresse habes de modo propagationis filiorum.

Cap. III.

De modo translationis in melius, si non peccassent.

De termino vero temporis, quo transferrentur ad spiritualem [a] 159
caelestemque vitam, certum aliquid Scriptura non tradit. Et ideo ambiguum est, utrum parentes, genitis filiis perfectaque humani officii iustitia, ad meliorem statum transferrentur, non per mortem, sed per aliquam mutationem; an patres [b] in aliquo statu vitae manerent [c], ligno vitae utentes, donec filii ad eundem statum pervenirent, et sic impleto [d] numero, omnes simul ad meliora transferrentur, ut essent *sicut* [e] *Angeli Dei* [f] *in caelis* [5].

De quo Augustinus ambigue disserit *Super Genesim* [6], ita inquiens [g]: « Potuerunt primi homines in paradiso filios gignere, non ut morientibus patribus [h] succederent filii [i], sed in aliquo formae statu manentibus, et de ligno vitae vigorem sumentibus [k], et [l]

---

[a] C *aeternam.* [b] Ita omnes codd.; ed. *parentes.* [c] Ed. cum D *remanerent.* [d] U *completo.* [e] Ed. et D add. *sancti.* [f] Ed. et D om. [g] D *dicens,* et om. *ita.* [h] Ita omnes codd.; ed. *parentibus.* [i] D om. [k] V *accipientibus.* [l] V *donec.*

---

[1] Ibid. c. 7, n. 12 (PL 34, 397). [2] Ibid. c. 3, n. 6 (PL 34, 395). [3] Contrarium docet Abael. *Expos. in Hexaëm.* (PL 178, 781 et seq.). [4] August. ibid. c. 4, n. 8 (PL 34, 395) *. [5] Matth. 22, 30. [6] Libr. IX, c. 3, n. 6, (PL 34, 395).

filii ad eundem perducerentur statum, donec impleto numero, sine morte animalia corpora in aliam qualitatem transirent, in qua omnino regenti spiritui deservirent, et solo spiritu vivificante, sine corporeis alimentis viverent ». « Vel potuerunt parentes filiis cedere, ut per successiones numerus impleretur, qui. genitis filiis perfectaque humani officii iustitia, ad meliora transferrentur, non per mortem, sed per aliquam mutationem [1] ».

Ecce hic habes [a] de transitu hominis ad meliora, sed incertum nobis relinquitur, utrum simul transferrentur, an per successiones.

Cap. IV.

Utrum in perfectione staturae et usu membrorum procrearentur filii.

160 « Si vero quaeritur, quales, si non peccasset homo, filios genuisset, utrum videlicet, sicut ipse primus homo secundum staturam corporis et usus [b] membrorum perfectus mox conditus exstitit, ita etiam eius filii in ipso nativitatis exordio perfecti existerent, qui [c] ambulare et loqui et cetera [d] facere possent; responderi potest, quod filios parvulos nasci oportebat propter materni uteri necessitatem [2] ».

Sed utrum mox nati perfectionem staturae et membrorum usum haberent; an parvuli et in minore aetate constituti, uti possent membrorum officiis; an per intervalla temporum eo modo, quo nunc fit, perfectionem staturae et usum membrorum recepturi essent, de auctoritatibus [e] definitum non habemus.

Et super hoc Augustinus ambigue loquitur [3]: « Movet nos, inquit, si primi homines non peccassent, utrum tales filios essent habituri, qui nec lingua nec manibus uterentur nec pedibus [f]. Nam propter uteri necessitatem forte necesse erat, parvulos nasci; sed quamvis exigua pars corporis sit costa, non tamen propter hoc parvulam viro coniugem fecit; unde et eius filios poterat omnipo-

---

[a] Ita U B; ed. *habemus.* [b] Ed. *usum.* [c] Ed. *quia.* [d] Ed. *cuncta.* [e] B *auctoribus.* [f] V B C om. *nec pedibus.*

---

[1] Ibid. c. 6, n. 10 (P L 34, 396). [2] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 4 (P L 176, 94).* [3] I. *De peccat. merit. et bapt. parvul.* c. 37, n. 68 (P L 44, 150). Cfr. Hugo, ibid.

tentia Creatoris mox natos grandes facere ». « Sed ut hoc omittam, poterat certe eis praestare quod multis animalibus praestitit, quorum pulli, quamvis sint parvuli, tamen mox ut nascuntur, currunt et matres sequuntur. Econtra homini nato nec ad incessum pedes idonei sunt, nec manus saltem ad scalpendum habiles [a]; et iuxta se mammis positis, nascentes magis possunt esurientes flere quam sugere; propriaeque infirmitati mentis congruit haec infirmitas carnis [1] ».

Ilis verbis videtur insinuari, quod filii, etiam parvuli, officiis membrorum valerent uti.

« Sed cum Augustinus sub assertione de his nihil tradat, 161
non irrationabiliter quibusdam placuit, primorum parentum filios nascituros parvos, ac deinde per intervalla temporum eadem lege, qua et nunc nativitatem humanam ordinatam cernimus [b], staturae incrementum et membrorum usum recepturos, ut in illis exspectaretur aetas ad ambulandum et loquendum, sicut modo in nobis; quod utique non esset vitio deputandum sed conditioni naturae, sicut a cibo non penitus abstinere valebant, nec tamen illud erat ex vitio, sed ex natura conditionis [2] ».

« Ad hoc autem opponitur ita: Si non peccarent, nec more- 162
rentur; sed non peccarent, si non comederent; poterant igitur sine alimonia vivere.

« Ceterum [c], sicut supra [3] diximus, non solum peccarent, si de ligno vetito ederent, sed etiam si concessis non uterentur; quia sicut erat eis praeceptum non illo ligno vesci [d], ita aliis vesci. Praeterea, contra naturalem rationem facerent, qua intelligebant de illis esse edendum, quod et naturaliter appetebant.

« Item opponitur: Cum fames sit poena peccati, si non pecca- 163
rent, famem non sentirent; sed sine fame superfluum videretur comedere; unde putant quidam, eos cibis non indiguisse ante peccatum, quia non poterant esurire, si non peccassent.

« Ad quod dici potest, quod fames vere defectus est et poena peccati. Est enim immoderatus appetitus edendi, cui non subiacuisset homo, si non peccasset; sed procul dubio peccaret, nisi hunc

---

[a] U add. *sunt*. [b] V *credimus;* B om. *ordinatam*. [c] D *sed*. [d] A *uti*.

---

[1] August. loc. cit. c. 38, n. 69; et Hugo, ibid. [2] Hugo, loc. cit., ubi et sequentia. [3] Dist. XIX, c. 4.

defectum cibo praeveniret. Habebat enim naturalem appetitum et moderatum, cui ita satisfaciendum erat, ne defectus [a] famis sentiret. Sicut igitur non ex vitio sed ex conditione naturae erat, quod ante peccatum homo cibis indigebat, ita non ex vitio esset sed de natura, si hominis conditio in principio suo [b], id est in primo parente, a perfecto inchoata, in subsequenti propagatione a modico ad maiora proficeret, ut scilicet per intervalla temporis staturae corporeae incrementa usumque membrorum susciperet ».

Cap. V.

Utrum etiam in sensu parvuli nascerentur.

164 « Et cum de corpore humano non sit absurdum vel inconveniens hoc aestimare [c], quaeri solet, utrum de sensu animae et cognitione veritatis eodem modo sentiendum sit, ut scilicet hi qui sine peccato nascerentur, sensu et intelligentia mentis imperfecti existerent, et per accessum temporis in his proficerent usque ad perfectionem; an mox conditi perfectionem sensus et cognitionis perciperent.

« Illi qui sentiunt, parvulos natos in statura corporis et usu membrorum per accessum temporis profecturos, non diffitentur, eosdem in exordio nativitatis sensu imperfectos existere, et per intervallum temporis in sensu et cognitione proficere usque ad perfectum.

165 « Ad quod quidam opponunt dicentes: Si mox nati non haberent perfectionem sensus et intelligentiae, in eis esset ignorantia [d]; ignorantia autem peccati est poena.

« Sed qui hoc dicunt, non satis diligenter considerant [e], quia non omnis, qui aliquid nescit vel minus perfecte aliquid scit, statim ignorantiam habere sive in ignorantia [f] esse dicendus est, quia ignorantia non dicitur, nisi cum id quod sciri [g], non ignorari debet, nescitur. Talisque ignorantia poena peccati est, cum mens vitio obscuratur, ne cognoscere valeat ea quae scire deberet [1] ».

---

[a] Ita U Z D; ed. *defectum*. [b] Z *om.* [c] Ed. et V *existimare;* Z add. *quod diximus*. [d] D om. *in e. e. ignorantia.* [e] D *intelligunt.* [f] V *ignorans,* om. *in.* [g] Ed. et Z add. *et.*

---

[1] Hugo, I. *De Sacram.* p. 6, c. 26 (PL 176, 284).

Cap. VI.

De duobus bonis, altero hic dato, altero promisso.

« Talis erat hominis institutio ante peccatum secundum cor- 166
poris conditionem. De hoc autem [a] statu transferendus erat cum universa posteritate sua ad meliorem dignioremque statum [b], ubi caelesti et aeterno bono in caelis sibi parato frueretur. Sicut enim ex duplici natura compactus est homo, ita illi duo bona Conditor a principio praeparavit: unum temporale, alterum aeternum; unum visibile, alterum invisibile; unum carni, alterum spiritui [1] ». « Et quia primum est quod est *animale, deinde quod spirituale* [2] est, temporale ac visibile bonum prius dedit; invisibile autem et aeternum promisit, et meritis quaerendum proposuit. Ad illius autem custodiam quod dederat, et ad illud merendum [c] quod promiserat, naturali rationi in creatione animae [d] hominis inditae, qua poterat inter bonum et malum discernere, praeceptum addidit obedientiae, per cuius observantiam datum non perderet et promissum obtineret, ut per meritum veniret ad praemium ».

DISTINCTIO XXI.

Cap. I.

De invidia diaboli, qua ad tentandum accessit.

« Videns igitur diabolus, hominem per obedientiae [e] humilitatem 167
posse ascendere, unde ipse corruerat, per superbiam invidit ei; et qui prius per superbiam fuerat diabolus, id est deorsum lapsus, zelo invidiae factus est satan, id est adversarius. Unde et mulierem tentavit, in qua minus quam in viro rationem vigere cognovit [f 3] ». « Eius enim malitia, ad tentandam virtutem timida [4], humanam naturam in ea parte, ubi debilior videbatur, aggressa est, ut si

---

[a] D om. [b] D *locum.* [c] Ed. et C *aliud promerendum,* pro *i. m.* [d] V D om. [e] U *obedientiam et.* [f] Ita U; ed. *novit.*

---

[1] Hugo, ibid. c. 6, et seq. loc. c. 27 *. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 4 (PL 176, 95). [2] I. Cor. 15, 46. [3] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 4 (PL 176, 95 et 96). [4] Respic. Sap. 17, 10.

forte illic aliquatenus praevaleret, postmodum fiducialius ad alteram, quae robustior fuit, pulsandam vel potius subvertendam accederet. Primum igitur solitariam feminam exploravit, ut in ea primum omnem vim suae tentationis experiretur [1] ».

Cap. II.

De forma, in qua venit.

168 « Sed quia illi per violentiam nocere non poterat, ad fraudem se convertit, ut dolo hominem supplantaret, quem virtute superare nequiret. Ne [a] autem fraus illius nimis manifestaretur, in sua specie non venit, ne aperte cognosceretur et ita repelleretur. Iterum, ne nimis occulta foret fraus eius, quae caveri non posset, et homo simul videretur iniuriam pati, si taliter circumveniri permitteret eum Deus, ut praecavere non posset, in aliena quidem forma venire permissus est diabolus, sed in tali, in qua eius malitia facile posset deprehendi. Ut igitur in propria forma non veniret, voluntate sua factum est; ut autem [b] forma suae malitiae congruenti veniret, divinitus factum est. Venit igitur ad hominem in serpente, qui forte, si permitteretur, in columbae specie venire maluisset. Sed non erat dignum, ut spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua Spiritus sanctus appariturus erat [2] ». « Non ergo nisi per serpentem tentare permissus fuit diabolus, ut per illud quod foris erat, astutiam tentantis animadvertere femina [c] quiret [3] ». Diabolus enim per serpentem tentabat, in quo loquebatur.

Cap. III.

De calliditate serpentis.

169 Ideoque serpens dictus est esse [d] *callidior cunctis animantibus terrae* [4], quia, ut ait Augustinus [5], « mali angeli, licet superbia deiecti, natura tamen sunt excellentiores omnibus bestiis, propter eminentiam rationis; quamvis serpens non rationali anima,

[a] D *ut.* [b] Ita U V B; ed. add. *in.* [c] V om. [d] V D om.

[1] Hugo, l. *De Sacram.* p. 7, c. 3 (PL 176, 287). [2] Hugo, l. *De Sacram.*, loc. cit. [3] Hugo, *Sum. Sent.* loc. cit. [4] Gen. 3, 1. [5] Libr. XI *De Gen. ad litt.* c. 2, n. 4 (PL 34, 431).

sed spiritu diabolico possit sapientissimus dici. Non ergo [c] mirum, si diabolus, spiritu suo implens serpentem, sicut vates implebat, sapientissimum reddiderat omnium bestiarum; quem tamen ad tentandum non elegit diabolus, sed per quod animal permissus fuit, tentavit ».

Cap. IV.

Utrum elegerit serpentem, ut per eum tentaret diabolus.

Unde Augustinus *Super Genesim* [1]; « Non est putandum, 170
quod diabolus serpentem, per quem tentaret, elegerit, sed cum decipere cuperet, non potuit nisi per quod animal posse permissus est. Nocendi enim voluntas inest cuique a se, sed potestas a Deo ». « Sic autem loquebatur diabolus [b] per serpentem ignorantem, sicut per energumenos vel [c] fanaticos loquitur. Serpente enim velut organo est usus, movens naturam eius ad exprimendos sonos verborum et signa, quibus suam monstraret voluntatem. Serpens ergo nec verba intelligebat, nec rationalis est factus; callidissimus tamen dictus est propter astutiam diaboli [2] ». « Locutus est autem sicut asina Balaam [3]; sed hoc diabolicum, illud angelicum fuit; boni enim et mali angeli similiter operantur [4] ».

« Hic quaeri solet, quare mulier non horruerit [d] serpentem? Quia, cum noverit creatum [e] esse, etiam officium loquendi a Deo accepisse putavit [5] ».

Cap. V.

De modo tentationis.

« Tentatio autem hoc modo facta est [6] ». « Stans coram femina, 171
hostis superbus non audet in verba persuasionis exire, metuens

---

[a] V *enim.* [b] V om. [c] U add. *per.* [d] Ita U B; ed. *horruit.* [e] V om.

---

[1] Libr. XI, c. 3 (P L 34, 431)*. Cod. Erf. adnotat: *Illud in Glossa ad Gen. 3, 1. et non in Augustino* [scil. quoad verba]. In eadem Glossa inveniuntur plura alia, quae a Magistro hic afferuntur. [2] Aug., loc. cit. c. 27 (P L 34, 443). [3] Num. 22, 28. [4] Aug., loc. cit. c. 28 (P L 34, 445). [5] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 5 (P L 176, 96). [6] Hugo, ibid.

deprehendi; sed sub interrogatione eam aggreditur, ut ex responsione colligeret, qualiter in malitia procedere posset. *Cur*, inquit, *praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus* [a], *ne comederemus et ne tangeremus, ne forte moriamur* [1]. In quo verbo dedit locum tentandi [b], cum dixit, *ne forte moriamur;* unde mox diabolus [2] *dixit ad mulierem: Nequaquam moriemini; scit enim Deus, quod in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.*

« Attende ordinem ac progressum humanae perditionis. Primo Deus dixerat: *Quacumque die comederitis ex eo* [c], *morte moriemini;* deinde mulier dixit: *Ne forte moriamur;* novissime serpens dixit: *Nequaquam moriemini.* Deus affirmavit; mulier quasi ambigendo illud dixit; diabolus negavit. Quae igitur dubitavit, ab affirmante [d] recessit et neganti appropinquavit [3] ».

172 Qui ad suam persuasionem pleniter [e] suffulciendam, id est, ut [f] malum, quod intendebat, libere persuaderet, « et malum, quod mulier timuit, negando removit, et promissionem [g] addidit, et ut eius persuasio citius reciperetur, promissionem duplicavit. Unam nempe comestionem suadens, duo in praemio proposuit, similitudinem Dei scientiamque boni et mali spondens [4] ». « Ubi tribus modis hominem tentavit, scilicet gula in persuasione cibi, cum dixit: *In quacumque die comederitis;* inani gloria in promissione deitatis, cum dixit: *Eritis sicut dii;* avaritia in promissione scientiae, cum dixit: *Scientes bonum et malum.* Gula est immoderata cibi aviditas; vana gloria amor propriae excellentiae; avaritia immoderata habendi cupiditas, quae non est tantum pecuniae sed etiam altitudinis et scientiae, cum supra modum sublimitas ambitur [5] ».

---

[a] U om. [b] Ita U V D; ed. *tentanti;* D om. *cum dixit.* [c] D om. *ex eo.* [d] D add. *Deo.* [e] D *plenius.* [f] D *et,* pro *id est ut.* [g] Ed. *repromissionem.*

---

[1] Gen. 3, 1-3. [2] Ibid. 4 et seqq. [3] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 5; et l. *De Sacram.* p. 7, c. 4 (PL 176, 96, 288). [4] Hugo l. *De Sacram.* p. 7, c. 6 (PL 176, 289). [5] Gregor. *Super Evang.* Hom. 16, n. 2 (PL 76, 1136) *; cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 5, et *De Sacram.* loc. cit. (PL 176, 96).

Cap. VI.

De duplici tentationis specie.

« Porro sciendum est, duas esse species tentationis, interiorem 173
scilicet et exteriorem.

« Exterior tentatio est, quando extrinsecus nobis malum visibiliter suggeritur verbo vel signo aliquo, ut ille cui fit, ad peccati consensum declinet; et talis tentatio tantum [a] fit ab adversario. Interior vero tentatio est, quando invisibiliter [1] malum nobis intrinsecus suggeritur; et haec tentatio aliquando fit ab hoste, aliquando a carne. Nam et diabolus invisibiliter mala suggerit, et ex carnis corruptione suboritur motus illicitus et titillatio prava; ideoque tentatio, quae est ex carne, non fit sine peccato; quae autem est ab hoste, nisi ei consentiatur, non habet peccatum, sed est exercendae virtutis materia. Tentatio autem carnis interior difficilius vincitur, quia interius oppugnans de nostro contra nos roboratur [2] ».

Cap. VII.

Quare peccatum hominis, et non angeli, remediabile sit.

« Homo igitur, qui sola exteriori tentatione pulsatus cecidit, 174
tanto gravius plectendus erat, quanto leviori impulsu [b] fuerat prostratus. Et tamen quia aliquam, licet modicam, cadendi occasionem habuit, idcirco per Dei gratiam iuvari potuit ad veniam, ut qui per alium ceciderat, per alium erigeretur [3] ». « Qui ergo incitatorem habuit ad malum, non iniuste reparatorem habuit ad bonum. Diabolus vero, quia sine alicuius tentatione peccavit, per alium, ut surgeret, iuvari non debuit nec per se potuit; et ideo irremediabile peccatum eius exstitit. Peccatum vero hominis, sicut per alium habuit initium, ita per alium non incongrue habuit remedium [4] ».

---

[a] V om. [b] U *impulsione*.

[1] Cod. Erf. hic recte annotat: *In Hugone non est* invisibiliter; *unde aliter intendit Hugo distinguere, scil. quod tentatio exterior est, quando nobis extrinsecus malum sive visibiliter sive invisibiliter faciendum suggeritur; interior, quando ex motu pravae delectationis interior animus ad peccandum sollicitatur. Magister vero aliter distinguit, ut patet.* [2] Hugo I. *De Sacram.* p. 7, c. 9 (P L 176, 290). [3] Hugo, ibid. [4] Gregor., IV. *Moral.* c. 3, n. 8 (P L 75, 641 et seq.) *.

175 Praeterea angelica natura, quoniam non tota perierat, sed ex parte perstiterat, non est redempta; humana vero tota perierat, et ideo ne penitus [a] perderetur, ex parte est redempta, ut inde ruina suppleretur [b] angelica.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [1]: « Placuit universitatis Creatori et Moderatori, ut, quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea quae perierat, in perpetua perditione remaneret; quae autem cum Deo, illa deserente, perstiterat, de sua certissime cognita semper felicitate gauderet. At vero creatura rationalis, quae in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis tota perierat, ex parte debuit [c] reparari, unde angelicae societati suppleretur, quod ruina illa minuerat. Hoc enim promissum est Sanctis, quod erunt *aequales Angelis* Dei [2] ».

Cap. VIII.

Quod non soli viro praeceptum fuit datum.

176 Illud etiam notandum est [d], quod non soli viro praeceptum videtur esse datum, cum ipsa mulier testetur, sibi etiam [e] esse mandatum, dicens [f]: *Praecepit nobis Deus* etc. « Supra tamen legitur, ante factam mulierem Deum dixisse viro: *De ligno scientiae boni et mali ne comedas.* Non dixit: Ne comedatis. Forte quia facturus erat mulierem, sic praecepit, ut per virum ad mulierem perveniret mandatum; quia mulier quae subiecta viro fuit, non nisi mediante viro divinum debuit accipere praeceptum. Unde Apostolus: *Si quid discere mulieres voluerint, domi viros suos interrogent* [3] ».

Si quaeritur, quomodo loqui potuerunt vel loquentem intelligere, qui non didicerant inter loquentes crescendo [g] vel magisterio, « dicimus, quia Deus eos tales [h] fecerat, qui possent loqui et discere ab aliis, si essent [4] ».

---

[a] D *ex toto;* V B add. *repente;* U supra *penitus* habet corr. interl. *vel repente.* [b] U corr. interl. *vel repararetur.* [c] Ita V Z B C; U A *meruit;* D *valuit;* ed. *poterat,* quod in Z est corr. interl. [d] D om. [e] B om. [f] V om. [g] Z *existendo.* [h] D om.

---

[1] Cap. 29, n. 9 (PL 40, 246). [2] Luc. 20, 36; et Matth. 22, 30. [3] August., VIII. *De Gen. ad litt.* c. 17, n. 36 (PL 34, 87). [4] Aug. ibid. c. 16, n. 35.

DISTINCTIO XXII.

Cap. I.

De origine illius peccati.

Hic videtur diligenter investigandum esse, quae fuerit origo 177
et radix illius peccati.

Quidam putant, quandam elationem in animo hominis praecessisse, ex qua diaboli suggestioni consensit.

Quod videtur Augustinus innuere *Super Genesim* [1], ita dicens: « Non est putandum, quod homo deiiceretur, nisi praecessisset in eo quaedam elatio comprimenda, ut per humilitatem peccati sciret quam falso de se praesumserit, et quod non bene se habet natura, si a faciente [a] recesserit ».

Item in eodem [2]: « Quomodo verbis tentatoris crederet mulier, Deum se a re bona et utili prohibuisse, nisi inesset eius menti amor ille propriae potestatis et de se superba praesumtio, quae per tentationem fuerat convincenda aut perimenda? Denique, non contenta suasione serpentis, aspexit lignum bonum esu, decorum aspectu [3]; nec credens se inde posse mori, forte putavit Deum alicuius causa significationis illa dixisse. Ideo manducavit et dedit viro suo fortassis cum aliqua suasione [b], quam Scriptura intelligendam reliquit. Vel forte non fuit suaderi necesse, cum eam mortuam esse illo cibo non videret vir ». « Sicut ergo non est permissus diabolus tentare feminam nisi per serpentem, ita nec virum nisi per feminam [4] », ut, sicut praeceptum Dei per virum venit ad mulierem, ita diaboli tentatio per mulierem transiret [c] ad virum. « In muliere vero quae rationalis erat, non est ipse locutus ut in serpente, sed persuasio eius, quamvis instinctu [d] adiuvaret interius, quod per serpentem gerebat exterius [5] ».

Ex praedictis tentationis modus atque progressus insinuatur, nec non et [e] quod praediximus [f] innui videtur, scilicet quod

---

[a] Z add. *Deo.* [b] Z *persuasione.* [c] V om. [d] V *instinctum.* [e] Ed. *etiam.* [f] Z *diximus.*

---

[1] Libr. XI, c. 5, n. 7 (PL 34, 432)*. [2] Ibid. c. 30, n. 39 (PL 34, 445)*. [3] Respic. Gen. 3, 6 et seqq. [4] Aug., ibid. c. 27, n. 34 (PL 34, 443). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 4 (PL 176, 96). [5] Aug., ibid.

tentationem praecesserit quaedam elatio et praesumtio in mente hominis.

178 Quod si ita fuit, « non igitur alterius suggestione prius peccavit, cum auctoritas [1] tradat, ideo peccatum diaboli incurabile esse, quia non suggestione, sed propria superbia cecidit; hominis vero curabile, quia non per se, sed per alium cecidit, et ideo per alium surgere [a] potuit [2] ».

Quocirca praedicta Augustini verba pium ac diligentem lectorem efflagitant, quae sic intelligere sane quimus: « Non deiiceretur homo, scilicet in actum illius peccati, ut scilicet lignum vetitum ederet, et in has miserias per tentationem diaboli, nisi elatio comprimenda praecessisset non utique tentationem sed opus peccati [3] ». Talis enim fuit ordinis processus [b]: diabolus [c] tentando dixit: *Si comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum et malum;* quo audito statim menti mulieris surrepsit [d] elatio quaedam et amor propriae potestatis, ex quo placuit ei facere quod diabolus suadebat, et utique [e] fecit. Suggestione igitur [f] peccavit, quia tentatio praecessit, ex qua in mente eius orta est elatio, quam peccatum operis secutum est et poena peccati.

Cap. II.

De mulieris elatione.

179 Et talis quidem elatio in mente mulieris pro certo fuit, qua credidit et voluit habere similitudinem Dei cum aequalitate quadam, putans id [g] esse verum quod diabolus dicebat.

Et ideo specialiter mulierem commemorat Augustinus [4] inquiens [h]: « Quomodo crederet mulier diabolo, nisi esset in mente eius de se praesumtio superba » ? Et quod ibi sequitur, scilicet, « quae per tentationem fuerat convincenda, vel perimenda », ad mulierem referendum est, ut intelligatur quae mulier, non elatio, fuerat per tentationem etc.

---

[a] Ita U Z; ed. *resurgere.* [b] U *progressus.* [c] D add. *enim.* [d] V *surrexit.* [e] D add. *hoc.* [f] D *itaque.* [g] B om. [h] U *dicens.*

---

[1] Gregor. IV. *Moral.* c. 13, n. 25 (PL 75, 650); Anselm., II. *Cur Deus homo,* c. 22 (PL 158, 430); August., loc. cit. c. 42, n. 60 (PL 34, 454). [2] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 6 (PL 176, 96). [3] Hugo, loc. cit. [4] Loc. cit. c. 30, n. 39 (PL 34, 445).

Cap. III.

De viri elatione.

Solet quaeri, utrum illa talis elatio et amor propriae potestatis in viro fuerit, sicut in muliere. 180

Ad quod dicimus, quod *Adam non* fuit *seductus* [1] eo modo, quo mulier; non enim putavit esse verum, quod diabolus suggerebat. In eo tamen seductum fuisse credi potest, quod commissum veniale putaverit, quod peremptorium erat. Sed nec prior seductus fuit, nec in eo in quo mulier, ut crederet Deum illud lignum ideo tangere prohibuisse, quia si tangerent, fierent sicut dii. Verumtamen praevaricator fuit Adam, ut testatur [a] Apostolus. Potuit ergo aliqua elatio menti eius inesse illico [b] post tentationem, ex qua voluit lignum vetitum experiri, cum mulierem non videret mortuam, esca illa percepta.

Unde Augustinus *Super Genesim* [2]: « Cum Apostolus Adam praevaricatorem fuisse ostendat dicens [3]: *In similitudinem praevaricationis Adae,* seductum tamen negat, ubi [c] ait [4]: *Adam non est seductus, sed mulier.* Unde et interrogatus non ait: Mulier seduxit me; sed: *Dedit mihi et comedi.* Mulier vero [d] inquit: *Serpens seduxit me* ».

Hanc autem seductionem [5] proprie vocavit Apostolus, per 181
quam id quod suadebatur, cum falsum esset, verum putatum est, scilicet quod Deus lignum illud ideo tangere prohibuerit, quia sciebat eos, si tetigissent, sicut deos futuros, tanquam eis divinitatem [e] invideret, qui eos homines fecerat. « Sed etsi [f] virum propter aliquam mentis elationem, quae Deum latere non poterat, sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret, accepta illa esca, non esse mortuam; nec tamen eum arbitror, si iam spirituali mente praeditus erat, ullo modo credidisse quod diabolus suggerebat [6] ».

---

[a] D *ait.* [b] B om. [c] V *ut.* [d] B om. [e] B add. *suam.* [f] V *si.*

---

[1] I. Tim. 2, 14. [2] Libr. XI, c. 42, n. 58 (PL 34, 452); et XIV. *De civ. Dei,* c. 11, n. 2 (PL 41, 419); est in Glossa ad I. Tim. 2, 14. [3] Rom. 5, 14. [4] I. Tim. 2, 14. [5] Quid proprie sit *seducere,* dicit August., *Super Evang. Ioan.* tr. 29, n. 1 (PL 35, 1628). [6] August., XI. *De Gen. ad litt.* c. 42, n. 60 (PL 34, 454); est in Glossa ad Gen. 3.

Cap. IV.

Quis magis deliquerit, vir, an mulier.

182 Ex quo manifeste animadverti potest, quis eorum plus peccaverit, Adam scilicet, vel Eva.

Plus enim videtur peccasse mulier, quae voluit usurpare divinitatis aequalitatem, et nimia praesumtione elata credidit, ita esse futurum. « Adam vero [a] nec illud credidit et de poenitentia et Dei misericordia cogitavit, dum uxori morem gerens, eius persuasioni consensit, nolens eam contristare et a se alienatam relinquere, ne periret, arbitratus illud esse veniale, non mortale delictum [1] ».

Unde Augustinus [2]: « Apostolus inquit: *Adam non est seductus;* quod utique ita [b] accipi potest, ut intelligatur non esse seductus prior scilicet, vel in eo in [c] quo mulier, ut scilicet crederet illud esse verum: *Eritis sicut dii* [3]; sed putavit utrumque posse fieri, ut et uxori morem gereret et per poenitentiam veniam haberet. Minus ergo peccavit qui de poenitentia et Dei misericordia cogitavit ». « Postquam enim mulier seducta manducavit eique dedit, ut simul ederent, noluit eam contristare, quam credebat sine suo solatio contabescere, et a se alienatam omnino interire; non quidem carnali victus concupiscentia, quam nondum senserat, sed amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne offendatur amicus; quod eum facere non debuisse, divinae sententiae iustus exitus indicavit [4] »; « ergo alio quodam modo ipse etiam [d] deceptus est [5] ». « Inexpertus enim divinae severitatis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum [6] »; « sed dolo illo serpentino, quo mulier [e] seducta est, nullo modo arbitror illum potuisse seduci [7] ».

Ex his datur intelligi, « quod mulier plus peccaverit [f], in qua maioris tumoris praesumtio fuit; quae etiam in se et in proximum

---

[a] Z om. [b] D om. [c] B om. [d] U om. [e] D add. *illa.* [f] U add. *quam homo;* supra *homo* habetur *id est vir.*

---

[1] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 6; et l. *De Sacram.* p. 7, c. 10 (PL 176, 98, 291). [2] Libr. XI *De Gen. ad litt.* c. 42, n. 58 (PL 34, 453). Cfr. Hugo, loc. cit. [3] Gen. 3, 5. [4] Aug., ibid. n. 59. [5] Aug., ibid. n. 60*; sed haec, sicut et quae praecedunt et quae sequuntur, verbotenus leguntur in Hugone, loc. cit. Cfr. etiam Glossa in 1. Tim. 2, 14. [6] August., XIV. *De civ. Dei* c. 11, n. 2 (PL 41, 419). [7] Aug. *De Gen. ad litt.* loc. cit. n. 60.

et in Deum peccavit, vir autem tantum in se et in Deum [a]. Inde etiam colligitur, quod mulier plus peccaverit, quia gravius punita est, cui dictum fuit: *In dolore paries filios* [1] etc. ».

Sed huic videtur contrarium quod Augustinus *Super Genesim* [2] de viro et muliere peccatum suum excusantibus ait: « Dixit Adam [3]: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi* [b], *et comedi;* non dicit: Peccavi. Superbia enim habet confusionis deformitatem, non confessionis humilitatem ». « Nec etiam mulier confitetur peccatum, sed refert in alterum, dicens: *Serpens decepit me, et comedi,* in impari sexu, sed pari fastu [4] ». Ecce hic dicit Augustinus, quod parem fastum habuit mulier cum viro; pariter ergo superbierunt, et pariter peccaverunt. 183

Sed hoc ita determinari potest, ut dicamus, parem utriusque fuisse fastum in excusatione peccati et etiam in esu ligni vetiti, sed disparem, et in muliere multo maiorem, in eo quod credidit et voluit esse sicut Deus, quod [c] non vir.

Verumtamen et de viro legitur, quod voluit esse sicut Deus. Dicit enim Augustinus super illum locum Psalmi [5]: *Quae non rapui, tunc exsolvebam:* « Rapuit Adam et Eva praesumens [d], ut diabolus, de divinitate; rapere voluerunt divinitatem, et perdiderunt felicitatem ». 184

Item super illum locum [6]: *Deus, quis similis tibi?* « Qui per se vult esse ut Deus, perverse vult esse similis Deo, ut diabolus, qui noluit sub eo esse, et homo, qui ut servus noluit teneri praecepto, sed voluit ut nullo sibi dominante esset quasi Deus ».

Item, super illum Epistolae locum [7]: *Non rapinam arbitratus est, se esse aequalem Deo:* « Quia non usurpavit quod suum non esset, ut diabolus et primus homo ».

Ideo quibusdam videtur, quod etiam Adam ambierit esse sicut Deus, non tamen credidit, id fieri posse; et ideo falsum esse quod 185

---

[a] Z B D add. *peccavit.* [b] Ed. add. *de ligno.* [c] B add. interl. *tamen.* [d] Ita omnes codd.; ed. *praesumentes.*

---

[1] Gen. 3, 16. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* loc. cit. [2] Libr. XI, c. 35, n. 47 (PL 34, 449). [3] Gen. 3, 12, 13. Erf. annotat haec et seqq. usque in finem cap. esse ex Gandulph. II. *Sent.* c. 181 et 182. [4] Aug., ibid. n. 48. [5] Psalm. 68, 5; August., *Enarrat.* in hunc Psalm. serm. n. 9 (PL 36, 848). Cfr. Glossa ibid. [6] Psalm. 70, 19; et August., *Enarrat.* in hunc Psalm. serm. 2, n. 6 (PL 36, 895)*; fere ad verbum ibi in Glossa. [7] Philip. 2, 6; August., tr. 17. *In Ioan.* n. 16 (PL 35, 1535)*; expressius in Glossa ad loc. cit.

diabolus promittebat, cognovit. Et licet divinitatis aequalitatem concupierit, non tamen adeo [a] exarsit, nec tanta est affectus ambitione, sicut mulier, quae illud posse fieri putavit, et ideo magis ambiendo illud, superbivit. Virum autem aliqua forte ambitionis subreptio [b] movit, sed non ita [c], ut illud putaret verum vel possibile fore.

Aliis [1] autem videtur ideo dictum esse, quod Adam illud voluerit, quia mulier de eo sumta illud voluit; sicut, inquiunt, peccatum dicitur *per unum hominem intrasse in mundum* [2], id est in [d] humanam naturam, cum tamen mulier ante virum peccaverit, quia per mulierem intravit [e] de viro factam. Vel potius ideo per hominem dicitur intrasse, quia, etiam peccante muliere, si vir non peccasset, humanum genus minime peccatis corruptum periret. Minus ergo peccavit vir quam mulier.

186 His autem opponi solet hoc modo: « Tribus modis, ut ait Isidorus [3] peccatum geritur [f], scilicet ignorantia, infirmitate, industria. Et gravius est infirmitate peccare quam ignorantia, gravius-que industria quam infirmitate. Eva autem videtur ex ignorantia peccasse, quia seducta fuit; Adam vero ex industria, quia non fuit seductus, ut Apostolus ait ».

Ad quod dicimus, quia, licet Eva in hoc per ignorantiam deliquerit, quod putavit verum esse quod diabolus suadebat, non tamen in hoc, quin noverit illud Dei esse mandatum, et peccatum esse contra agere. Et ideo [g] excusari a peccato per ignorantiam non potuit.

Cap. V.

De ignorantia excusabili et inexcusabili.

187 Est enim [h] ignorantia [i], quae excusat peccantem; et est ignorantia talis, quae non excusat; est autem [h] ignorantia invincibilis,

---

[a] V *ideo.* [b] V *surrectio.* [c] D *tanta.* [d] D om. [e] Ed. *intraverit.* [f] U *gignitur.* [g] V add. *peccatum.* [h] D *autem.* [i] Z add. *talis.* [k] U *enim;* D om.

[1] Cod. Erf. hic annotat: *Gandulphus, II. c. 182, respondet ad primam auctoritatem: Adam et Eva, i. e. alter illorum, ut ibi: Id ipsum properabant latrones, i. e. alter illorum; et infra nomine uno hominis in seqq. auctoritatibus Eva intelligitur, vel quia de latere hominis formata est, vel quia de ea omnis homo propagandus erat.* [2] Rom. 5, 12. Cfr. August., *Enchirid.* c. 27, n. 8 (PL 40, 245). [3] II. *Sent.* sive *De sum. bono,* c. 17, n. 3 (PL 83, 620); Gregor., XXV. *Moral.* c. 11, n. 28 (PL 76, 339). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 6 (PL 176, 98).

et ignorantia vincibilis. Excusatio [a] omnis tollitur, ubi mandatum non ignoratur.

Est autem ignorantia triplex: et eorum scilicet [b] qui scire nolunt cum possint; quae non excusat, quia et ipsa peccatum est; et eorum qui volunt, sed non possunt, quae [c] excusat et est poena peccati, non peccatum; et eorum qui quasi [d] simpliciter nesciunt, non renuentes vel proponentes scire; quae neminem plene excusat, sed sic fortasse, ut minus puniatur.

Unde Augustinus *Ad Valentinum* [1]: « Eis auferatur excusatio, qui mandata Dei noverunt, quam solent habere homines de ignorantia. Et licet gravius sit peccare scienter quam nescienter, non ideo tamen confugiendum [e] est ad ignorantiae tenebras, ut in eis quisquam excusationem requirat. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse », « quia in eis qui intelligere noluerunt, ipsa ignorantia peccatum est; in eis vero qui non potuerunt, poena peccati [2] ». « Ignorantia vero quae non est eorum qui scire nolunt, sed eorum [f] qui tanquam simpliciter nesciunt, nullum sic excusat, ut aeterno igne non ardeat, sed fortasse, ut mitius [g] ardeat [3] ».

Non igitur mulier excusationem habuit de ignorantia, cum et mandatum noverit, et peccatum esse [h] secus agere non ignoraverit [i] [4].

Solet quaeri etiam, cum sine vitio esset natura hominis, unde 188
consensus mali processerit.

Ad quod responderi potest [k], quia ex libero arbitrio [l] voluntatis fuit. Et [m] in ipso enim et in alio causa exstitit, ut fieret deterior: in alio, quia in diabolo qui suasit [n]; in ipso, quia voluntate liberi arbitrii consensit. Et cum liberum arbitrium sit bonum, ex re utique bona malus ille consensus provenit, et ita ex bono malum manavit. De hoc autem in sequenti [5] plenius tractabimus, cum [o] origo mali, et in qua re coalescat, investigabitur.

---

[a] U add. *enim.* [b] Z om. [c] D add. *quandoque.* [d] Z om. [e] Z D *fugiendum.* [f] D om. [g] Ita U B; ed. *minus.* [h] D om. [i] V *ignoverit.* [k] Z *dicimus,* pro *responderi potest.* [l] Ed. add. *propriae.* [m] Ed. cum Z D om. [n] Z *persuasit.* [o] D add. *unde.*

---

[1] *De gratia et libero arbitrio,* c. 3, n. 5 (P L 44, 884 et seq.). [2] Prosper., lib. *Sent.* n. 311 (P L 51, 475). [3] August., loc. cit. [4] Teste cod. Erf. verba: *Est autem ignorantia triplex* usque ad *Solet etiam quaeri,* sumta sunt ex Gandulpho, II. c. 184-186. [5] Infra dist. XXXIV.

Cap. VI.

An voluntas praecesserit illud peccatum.

189 Si vero quaeritur, utrum voluntas illud peccatum praecesserit: dicimus, quia peccatum illud et in voluntate et in actu constitit, et voluntas actum praecessit; sed ipsam voluntatem alia hominis voluntas mala non praeiit [a] atque ex diaboli persuasione et hominis arbitrio illa voluntas mala prodiit, qua iustitiam deseruit et iniquitatem inchoavit; et ipsa voluntas iniquitas fuit.

DISTINCTIO XXIII.

Cap. I.

Quare Deus permiserit hominem tentari quem sciebat casurum.

190 Praeterea quaeri solet, « cur Deus hominem tentari permiserit, quem decipiendum esse praesciebat.

« Sed non esset laudabile homini, si ideo bene vivere posset, quia nemo male vivere suaderet, cum natura [b] posse et in potestate haberet velle non consentire suadenti, Deo iuvante [1] »; « et est gloriosius non consentire quam tentari non posse [2] ».

911 Moventur etiam quidam dicentes: « Cur creavit Deus quos futuros malos praesciebat? Quia praevidit quid boni de malis eorum esset facturus. Sic enim eos fecit, ut relinqueret eis unde aliquid facerent; et si culpabiliter aliquid facerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. A se habent voluntatem malam, ab illo naturam [c] bonam et iustam poenam [3] ». « Frustra igitur dicitur, non deberet Deus creare, quos praesciebat [d] malos futuros; sciebat enim, bonis [e] profuturos et iuste pro mala voluntate puniendos [4] ».

---

[a] Ed. *praecessit.* [b] D add. *haberet.* [c] D *vero.* [d] D *sciebat.* [e] V *bonos.*

---

[1] August., XI. *Gen. ad litt.* c. 4, n. 6 (PL 34, 431). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 6 (PL 176, 98). [2] Aug., ibid. c. 6, n. 8. [3] Ibid. c. 9, n. 12. [4] Ibid. c. 6, n. 8. Cfr. Hugo, loc. cit. Teste cod. Erf. quae praecedunt usque ad verba *Addunt etiam* occurrunt etiam apud Gandulphum, II. c. 187 et seq.

Addunt etiam [a]: « Talem hominem deberet facere, qui nollet omnino peccare.

« Concedimus quidem, meliorem naturam esse, quae omnino peccare nollet; concedant et ipsi, non esse malam, quae talis facta est, ut posset non peccare, si vellet; et iuste punitam, quae voluntate, non necessitate peccavit. Cum ergo haec bona sit, illa melior, cur utramque non faceret, ut uberius laudaretur de utraque? Illa enim de [b] sanctis Angelis, haec de [c] hominibus est [1] ».

Item inquiunt: « Si Deus vellet, et isti [d] boni essent.

« Et hoc quidem concedimus; sed melius voluit [e], ut quod vellent essent, et boni quidem non infructuose, mali vero non impune essent [2] ».

Item inquiunt: « Posset Deus voluntatem eorum vertere in bonum, quia omnipotens est.

« Posset revera. Cur non fecit? Quia noluit. Cur noluit? Ipse novit. Non debemus *plus sapere, quam oportet* [3] ».

Cap. II.

Qualis secundum animam fuerit homo ante peccatum.

« Et quidem secundum animam [f] rationalis fuit homo, habens 192
discretionem boni et mali. Scientiam quoque [g] rerum creatarum et cognitionem veritatis, quae primae perfectioni congruebat, mox conditus non incongrue accepisse putatur, et ad illam non studio vel disciplina aliqua per intervallum temporis profecisse, sed ab exordio suae conditionis divinitus illam percepisse [4] ».

Cap. III.

De triplici scientia hominis ante lapsum.

« Fuitque homo primus ante lapsum triplici cognitione praedi- 193
tus, rerum scilicet propter se factarum [h] et Creatoris et sui.

« Rerum quippe cognitionem hominem accepisse, perspicuum est, cum non ipse Creator vel Angelus aliquis, sed homo omnibus

---

[a] U add. *quod.* [b] Ed. *in.* [c] Ed. *in.* [d] Ita U D; ed. *illi.* [e] C add. *id est, permisit.* [f] V B *animum,* quod in U est corr. interl. [g] Z *vero.* [h] V *creatarum.*

---

[1] August., ibid. c. 7, n. 9. [2] Ibid. c. 9, n. 12. [3] Ibid. c. 10, n. 13. Respic. Rom. 12, 3. [4] Hugo, l. *De Sacram.* p. 6, c. 12 (PL 176, 270)*.

animantibus nomina imposuerit, ut ostenderetur, quod singulorum notitiam homo ipse [a] habuerit. Quae enim propter illum creata erant et ab illo regenda et disponenda erant, horum omnium Deus illi [b] et scientiam tribuit et providentiam atque curam reliquit, quia, ut ait Apostolus [1], *non est cura Deo de bobus.* Quorum aliorumque animalium Deus homini curam reliquit et providentiam, ut dominationi eius subiicerentur et ratione illius gubernarentur; ut sciret illis necessaria providere, a quibus emolumentum debebat recipere. Hanc autem scientiam homo peccando non perdidit, sicut nec illam, qua carnis necessaria providerentur [c]; et idcirco in Scriptura homo de huiusmodi non eruditur, sed de scientia animae, quam peccando amisit.

« Cognitionem quoque Creatoris primus homo habuisse creditur. Cognovit enim, a quo creatus fuerat, non eo modo cognoscendi, quo [d] *auditu* solo [2] percipitur, quo modo a credentibus absens quaeritur, sed quadam interiori aspiratione, qua Dei praesentiam contemplabatur; non tamen ita excellenter, sicut post hanc vitam Sancti visuri sunt, neque ita *in aenigmate* [3], qualiter in hac vita videmus.

« Porro cognitionem sui idem homo talem [e] accepisse videtur, ut et quid deberet superiori et quid aequali et [f] inferiori non ignoraret. Conditionem quoque suam et ordinem, scilicet qualis factus esset, et qualiter incedere deberet, quid agere, quid [g] cavere, intellexit. Si horum notitiam non habuisset, non esset reus praevaricationis, neque se ipsum cognovisset [4] ».

Cap. IV.

Utrum homo praescius fuerit eorum quae sibi futura erant.

194 « Si autem quaeritur, utrum [h] homo scientiam habuerit eorum quae circa eum ventura [i] erant, id est [k], si ruinam suam praesciverit; et similiter, si praesciverit bona, quae habiturus fuisset, si in obedientia perstitisset; responderi potest, quod ei magis facienda

---

[a] D om. [b] V om. [c] Ita U; ed. *providentur.* [d] V *qui;* ed., contra U D, add. *ex.* [e] V om. [f] D add. *quid.* [g] B (interl.) et D add. *etiam.* [h] D *si.* [i] Ed. *futura.* [k] V *et,* pro *id est.*

[1] Epist. I. Cor. 9, 9. [2] Respic. Rom. 10, 16. [3] Respic. I. Cor. 13, 12. [4] Totum hoc cap. verbotenus sumitur ex Hugone, I. *De Sacram.* p. 6, cc. 12-15 (P L 176, 270 et sqq).

indicta sunt, quam futura revelata. Accepit enim scientiam et praeceptum eorum quae facienda fuerant, sed non habuit praescientiam eorum quae futura erant ». Non fuit ergo homo praescius sui casus, sicut et de Angelo diximus; quod Augustinus *Super Genesim* asserit, ratione utens, quam supra [1] posuimus.

« Haec de scientia hominis, quantum ad primum statum pertinet, dixisse sufficiat [2] ».

DISTINCTIO XXIV.

Cap. I.

De gratia hominis et potentia ante casum.

Nunc diligenter investigari oportet, quam gratiam vel poten- 195
tiam habuerit homo ante casum, et utrum per eam potuerit stare, vel non.

Sciendum est igitur quod homini in creatione, sicut de Angelis diximus [3], datum est per gratiam auxilium, et collata [a] potentia, per quam poterat stare, id est non declinare ab eo quod acceperat; sed non poterat proficere in tantum, ut per gratiam creationis sine alia mereri salutem valeret. Poterat quidem per illud auxilium gratiae creationis resistere malo, sed non perficere bonum. Poterat tamen per illud bene vivere quodam modo, quia poterat vivere sine peccato; sed non poterat sine alio gratiae adiutorio spiritualiter vivere, quo vitam mereretur aeternam [4].

Unde Augustinus in *Enchiridio* [5]: « Sic factus est homo rectus, ut et manere in ea rectitudine posset, non sine divino adiutorio, et suo fieri perversus arbitrio; utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret vel ab illo, vel de illo. Et quia suam maluit facere voluntatem quam Dei, de illo facta est voluntas Dei ».

Item in eodem [6]: « Sic oportebat, prius hominem fieri, ut et bene posset velle et male; nec frustra, si bene; nec impune, si male [b] ».

---

[a] Ed. add. *est.* [b] V om. *nec f. s. b. n. i. s. male.*

---

[1] Dist. IV, c. 1, ubi etiam locus Augustini citatur. [2] Verbotenus ex Hugone, loc. cit. c. 15. [3] Dist. V, c. 5. [4] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 7 (PL 176, 99). [5] Cap. 107 (PL 40, 282) *. [6] Cap. 105.

Idem quoque [a] in libro *De correctione et gratia* [1] ait: « Si hoc adiutorium vel Angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset (quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio [b] posset manere, si vellet) non utique sua culpa cecidisset; defuisset quippe [c] adiutorium, sine quo manere non posset ».

Idem: « Dederat Deus homini bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat rectum; dederat adiutorium, sine quo non posset in ea manere, si vellet, et per quod posset [d]. Ut autem hoc vellet, in eius dimisit arbitrio ».

Item [e] in eodem: « Acceperat posse, si vellet; sed non habuit velle, quo posset; nam si habuisset, perseverasset ».

Ilis testimoniis evidenter monstratur, quod homo rectitudinem et bonam voluntatem in creatione acceperit atque auxilium, quo stare poterat; alioquin non sua culpa videretur cecidisse [2].

196 Sed quomodo rectam et bonam voluntatem habuit homo [f], si per eam nec mereri vitam valuit, nec ea stare voluit?

Quia nec aliquid mali et tunc volebat, et ad tempus stare voluit sed non perseveranter; et ideo recta et bona fuit tunc voluntas hominis.

197 Ad hoc autem, quod diximus, hominem non potuisse proficere vel mereri per gratiam creationis, solet opponi sic [3]: Per illud auxilium gratiae creationis potuit stare in bono quod acceperat; potuit ergo resistere tentationi; sed resistere tentationibus atque suggestionibus malis meritum est ac bonum remunerabile; omne autem bonum meritum profectus est; per gratiam igitur creationis proficere potuit sine adiectione alterius gratiae.

Ad quod dicimus, quia resistere malo et non consentire tentationi non fecisset illi meritum, etsi non consensisset, quia nihil in eo erat, quod ad malum impelleret, sicut Angelis qui non ceciderunt, non fuit meritum quod steterunt, id est, quod non corruerunt. Nobis autem meritum est [g] aliquando, si malum non facimus, sed resistimus, ibi dumtaxat ubi causa subest, quae nos id [h] facere movet: quia ex peccati corruptela proni sunt ad lapsum

---

[a] B om. [b] Ita U D; ed. *auxilio.* [c] Z *utique.* [d] Z add. *si vellet.* [e] Ita U Z; D *idem;* ed. om. [f] V om. [g] B om. [h] V B om.

---

[1] Cap. 11, n. 32 (P L 44, 935). Ibid. etiam duo loci seqq. [2] Quae praecedunt sumta sunt ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 7 (P L 176, 99). [3] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* loc. cit.*.

gressus nostri [1]. Ubi autem non intervenit causa nos ad malum impellens, non meremur si ab eo declinamus. Declinare enim a malo semper vitat poenam, sed non semper meretur palmam.

Cap. II.

De adiutorio homini in creatione dato, quo stare poterat.

Hic [a] considerandum est, quod fuerit illud adiutorium homini 198
datum in creatione, quo poterat manere, si vellet.

Illud utique fuit libertas arbitrii, ab [b] omni labe et [c] corruptela immunis, atque voluntatis rectitudo et omnium naturalium potentiarum animae [d] sinceritas atque vivacitas.

Cap. III.

De libero arbitrio.

Liberum vero arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua 199
bonum, gratia assistente, eligitur, vel malum, eadem desistente. Et dicitur liberum quantum ad voluntatem, quae ad utrumlibet flecti potest; arbitrium vero quantum ad rationem [e], cuius est facultas vel potentia illa, cuius etiam est discernere inter bonum et malum; et aliquando quidem, discretionem habens boni et mali, quod malum est eligit; aliquando vero quod bonum est. Sed quod bonum est, nisi gratia adiuta, non eligit; malum vero per se eligit. Est enim in anima rationali voluntas naturalis, qua naturaliter vult bonum, licet tenuiter et exiliter, nisi gratia iuvet, quae adveniens iuvat eam et erigit, ut efficaciter velit bonum. Per se autem potest [f] velle malum efficaciter. Illa igitur rationalis animae potentia, qua velle malum vel bonum potest, utrumque discernens, liberum arbitrium nuncupatur; quod bruta animalia non habent, quia ratione carent, habent tamen sensum et appetitum sensualitatis [2].

Cap. IV.

De sensualitate.

Est enim sensualitas quaedam vis animae inferior, ex qua est 200
motus, qui intenditur in corporis [g] sensus atque appetitus rerum

---

[a] Hic D et Erf. incip. dist. XXIV. [b] D *et.* [c] Z add. *ab omni.* [d] Z om. [e] V *ratione,* et om. *quantum ad.* [f] Z om. [g] V B C add. *exterioris.*

---

[1] Respic. Gen. 8, 21. [2] Haec item excerpta sunt ex Hugone, loc. cit.

ad corpus pertinentium. « Ratio vero vis animae est superior, quae, ut ita dicamus, duas habet partes vel differentias: superiorem et inferiorem. Secundum superiorem, supernis conspiciendis vel consulendis intendit; secundum inferiorem, ad temporalium dispositionem prospicit [a] [1] ». Quidquid ergo in anima nostra nobis considerantibus occurrit, quod non sit commune cum bestiis, ad rationem pertinet; quod autem in ea reperis commune cum belluis [b], ad sensualitatem pertinet. Et ubi nobis gradatim in consideratione partium animae progredientibus primum aliquid occurrit, quod non est commune cum bestiis, ibi incipit ratio.

201 Haec [c] autem docet Augustinus in libro XII *De Trinitate* [2] ita dicens: « Videamus, ubi sit quasi quoddam hominis exterioris interiorisque confinium. Quidquid enim habemus in animo commune cum pecore, recte dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus homo exterior deputabitur, sed adiuncta quadam vita sua, qua compages corporis et omnes sensus vigent, quibus instructus est ad exteriora sentienda ». « Ascendentibus igitur introrsum quibusdam gradibus considerationis per animae partes, ubi incipit aliquid occurrere, quod non sit commune nobis cum bestiis, ibi incipit ratio, ubi interior homo iam possit agnosci [d] [3] ».

Cap. V.

De ratione et partibus eius.

202 « Rationis autem pars superior aeternis rationibus conspiciendis vel consulendis adhaerescit, portio inferior ad temporalia deflectitur gubernanda [4] ». « Et illa rationis intentio, qua contemplamur aeterna, sapientiae deputatur; illa vero, qua bene utimur rebus temporalibus, scientiae deputatur [5] ». « Cum vero disserimus de natura mentis humanae, de una quadam re disserimus, nec eam in haec duo, quae commemoravi, nisi per officia geminamus [6] ». « Carnalis autem vel sensualis animae motus, qui in corporis sensus intenditur, nobis pecoribusque communis est, qui seclusus est a ratione sapientiae, rationi autem scientiae vicinus est [7] ».

---

[a] V *perspicit.* [b] Z *bestiis.* [c] Ed. *hoc.* [d] D *cognosci.*

[1] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 8 (PL 176, 101). [2] Cap. 1, n. 1 (PL 42, 997). [3] Ibid. c. 8, n. 13 (PL 42, 1005). [4] Aug., ibid. cap. 7, n. 12 (PL 42, 1005). [5] Ibid. c. 14, n. 22 (PL 42, 1010)*. [6] Ibid. c. 4, n. 4 (PL 42, 1000). [7] Ibid. c. 12, n. 17 (PL 42, 1007).

Cap. VI–VIII [a].

De simili ordine peccandi in nobis et in primis parentibus.

Illud quoque praetermittendum non est, quod talis nunc in 203
unoquoque [b] homine tentationis est ordo et progressio, qualis tunc in primis praecessit parentibus. Ut enim tunc serpens mulieri malum suasit, ipsaque consensit, deinde viro suo dedit, sicque consummatum est peccatum [c]; [Cap. VII.] ita et nunc in nobis pro 204
serpente est sensualis motus animae; pro muliere inferior portio rationis; pro viro superior rationis portio. Et hic est vir, qui secundum Apostolum dicitur *imago et gloria Dei* [1]; et illa est mulier, quae secundum eundem dicitur *gloria viri*.

[Cap. VIII]. Atque inter hunc virum et hanc mulierem est 205
velut quoddam spirituale coniugium naturalisque contractus, quo superior rationis portio quasi vir debet praeesse et dominari; inferior vero quasi mulier debet subesse et obedire. Ideo vir secundum Apostolum [2] non debet habere velamen, sed mulier. Et sicut in cunctis animalibus [d] non est repertum homini *adiutorium simile* [e] [3], sed de illo sumtum quod ei formaretur in coniugium; ita [f] in partibus animae, quas cum pecoribus habemus communes, nullum menti nostrae simile est adiutorium.

Unde Augustinus in eodem [4]: « Illud nostrum, quod in actione temporalium tractandorum ita versatur, ut non sit nobis commune cum pecore [g], rationale est quidem, sed ex illa rationali mente qua subhaeremus intelligibili et incommutabili veritati, tanquam ductum et inferioribus tractandis gubernandisque deputatum est. Sicut enim in omnibus pecoribus non est inventum viro adiutorium simile illi, nisi de illo detractum in coniugium formaretur; ita menti nostrae, qua supernam consulimus veritatem, nullum est ad usum rerum temporalium, quantum naturae hominis satis est, simile adiutorium ex animae partibus, quas communes cum peco-

---

[a] Codices sequendo, cc. 6-8 coniungimus. [b] Ita U V Z; ed. *uno*. [c] Hic punctuationem ed. mutandam esse, a propositionis sensu evidenter exigitur. [d] Ed. *animantibus*. [e] Ed. cum V Z add. *sibi*. [f] Ed. et D add. *et*. [g] Z *pecoribus*.

---

[1] Epist. I. Corinth. 11, 7. [2] Ibid. v. 6. [3] Respic. Gen. 2, 20. [4] Libr. XII. *De Trin.* c. 3, n. 3 (PL 42, 999).

ribus habemus. Ideoque rationale nostrum, non ad unitatis divortium separatum, sed in auxilium societatis quasi derivatum, in suo dispertitur officio. Et sicut una caro est duorum in masculo et in femina; sic intellectum nostrum et actionem sive rationem et appetitum rationalem, vel si aliquo modo significantius dici possunt, una mentis natura complectitur, ut [a], sicut de illis dictum est: *erunt duo in carne una* [1], sic de his dici possit: duo in mente una ».

Ecce ex his [b] intelligi potest, qualiter in anima [c] hominis existat imago illius coniugii, et qualiter in singulis nostrum spiritualiter sint illa tria, scilicet vir, mulier, serpens.

Cap. IX–XII [d].

Qualiter per illa tria in nobis consummetur tentatio.

206 Nunc superest ostendere, quomodo per haec tria in nobis consummetur peccatum; ubi agnosci poterit, si diligenter intendamus [e], quid sit in anima, mortale vel veniale peccatum.

Ut enim ibi serpens suasit mulieri, et mulier viro, ita et in nobis sensualis motus, cum illecebram peccati conceperit, quasi serpens suggerit mulieri, scilicet inferiori parti rationis, id est rationi scientiae; quae si consenserit illecebrae, mulier edit cibum vetitum; post de eodem dat viro, cum superiori parti rationis, id est rationi sapientiae, eandem illecebram suggerit, quae [f] si consentit, tunc vir etiam cum femina cibum vetitum gustat. Si ergo in motu sensuali tantum peccati illecebra teneatur, veniale ac levissimum est peccatum.

207 [Cap. X]. Si vero inferior pars rationis consenserit, ita ut sola cogitationis delectatione sine voluntate perficiendi teneatur, mulier sola manducavit, non vir, cuius auctoritate cohibetur voluntas, ne ad opus usque perveniat.

208 [Cap. XI]. Si vero adsit plena voluntas perficiendi, ut, si adsit facultas [g], ad effectum perducatur, vir quoque manducat, quia superior pars rationis illecebrae consensit; et tunc est damnabile et grave peccatum.

---

[a] V *et.* [b] Z add. *verbis.* [c] D *mente.* [d] Stando codicibus, cc. 9-12 coniungimus. [e] Ita U; ed. *intendatur;* D *attendatur.* [f] D *quod.* [g] Ed. add. *et.*

[1] Gen. 2, 24.

[Cap. XII]. Quando autem mulier sine viro gustat, aliquando 209
est mortale, aliquando veniale peccatum [a].

Ut enim dictum est, tunc mulier sine viro gustat, cum ita delectatione cogitationis peccatum [b] tenetur, ut faciendum non decernatur; vel cum quidam terminus et mensura peccato adhibetur a viro, ut non liceat mulieri effrenata libertate in peccatum progredi. Si vero [c] peccatum non diu teneatur delectatione cogitationis, sed statim ut mulierem tetigit, viri auctoritate repellitur, veniale est. Si vero diu in delectatione cogitationis teneatur, etsi voluntas perficiendi desit, mortale est, et pro eo damnabitur simul [d] vir et mulier, id est totus homo, quia et tunc vir non, sicut debuit, mulierem cohibuit, unde potest dici consensisse [e].

Cap. XII (continuatio).

Repetitio summam perstringens [f].

Itaque, ut breviter summam perstringam, quando peccatum ita 210
in anima concipitur, ut illud facere disponat vel etiam perficiat, aliud frequenter, aliud vel [g] semel, vel etiam quando delectatione cogitationis diu tenetur, mortale est. Cum vero in sensuali motu tantum est, ut praediximus, tunc levissimum est, quia ratio tunc non delectatur. Ideo autem supra dixi: « aliud frequenter, aliud semel », quia, ut quibusdam placet [h], quaedam sunt, quae, si tantum semel fiant vel facienda disponantur, damnant; quaedam vero non, nisi saepius fiant vel facienda decernantur, ut de otioso verbo et huiusmodi.

Haec [i] Augustinus in XII libro *De Trinitate* [1] tradit ita 211
dicens [k]: « Sicut in illo coniugio primorum hominum [l] serpens manducandum persuasit, mulier autem non manducavit sola, sed viro suo dedit, et simul manducaverunt; ita et in quodam secreto coniugio, quod in unoquoque [m] homine geritur et dignoscitur, cum rationi scientiae, quae in rebus temporalibus agendis ratiocinandi

---

[a] D om. [b] U *peccator*. [c] Ita U V; ed. *ergo*. [d] V *similiter*. [e] Z add. *quodam modo*. [f] Ita omnes codices dividunt textum Magistri, hancque rubricam praeponunt. [g] Ed. om. [h] Ita U B (in marg.) et D; ed. om. *ut quibusdam placet*. [i] Z B D add. *autem*. [k] Ita U D; ed. om. [l] U *parentum*. [m] Ita U; ed. *uno*.

[1] Cap. 12, n. 17, 18 (PL 42, 1007).

vivacitate versatur, animalis sensus ingerit quandam illecebram; tunc velut serpens alloquitur feminam. Huic autem illecebrae consentire, de ligno vetito est edere. Sed iste consensus, si sola cogitationis delectatione contentus est, superiori [a] vero auctoritate ita retinentur membra, ut non *exhibeantur arma iniquitatis peccato* [1]; sic habendum aestimo, velut lignum vetitum mulier sola [2] comederit.

« Si autem in consensu illo ita decernitur quodque peccatum, ut, si potestas sit, etiam opere impleatur [b], intelligenda est mulier dedisse viro suo simul edendum illicitum cibum. Neque enim potest peccatum non solum cogitandum suaviter, verum etiam perpetrandum efficaciter mente decerni, nisi et illa mentis intentio, penes quam summa potestas est membra in opus movendi vel ab opere cohibendi, malae actioni cedat. Nec sane, cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen et volvens [c] libenter, quae [d] statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt [e], negandum est esse peccatum, sed longe minus, quam et si opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum et dicendum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* [f]. Neque enim, sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, et ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur, ita dici potest in homine uno [g], si delectationibus illicitis, a quibus continuo se deberet avertere, cogitatio sola libenter pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari. Absit hoc credere. Haec quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi haec, quae sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur ».

212 Idem quoque [h] in libro II [i] *Contra Manichaeos* [3] de hoc eodem sic ait: « Apostolus dicit [4], *secundum principem potesta-*

---

[a] U *superioris.* [b] U *compleatur.* [c] V B D *volens,* quod U habuit sed correxit in *volvens.* [d] D add. *tamen.* [e] V add. *non.* [f] Ita omnes codd.; ed. om. *sicut e. n. d. d. nostris.* [g] V om. [h] V D *Ideoque,* pro *idem quoque.* [i] Ed. cum V om.

---

[1] Rom. 6, 13. [2] Respicit. Gen. 3, 6. [3] Libr. II. *De Gen. contra Manich.* c. 14, n. 20, 21 (PL 34, 206 et seq.). [4] Eph. 2, 2.

tis aëris huius, spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiae. Numquid ergo visibiliter eis apparet, aut quasi corporeis locis accedit ad eos et operatur? Sed miris modis per cogitationem suggerit quidquid potest; quibus suggestionibus [a] resistendum est. *Non enim ignoramus* [1] astutias eius. Quomodo enim accessit ad Iudam, quando ei persuasit ut Dominum traderet? Numquid in locis, aut per hos oculos ei visus est? Sed utique, ut dictum est, *in cor eius intravit* [2]. Repellit autem illum homo, si paradisum [b] custodiat. *Posuit enim hominem Deus in paradiso, ut operaretur et custodiret illud* [c] [3], quia sic Ecclesiae dicitur in Canticis Canticorum [d] [4]: *Hortus conclusus* [e], *fons signatus;* quo utique non admittitur perversitatis ille persuasor, sed tamen per mulierem decipit [f]. Non enim etiam [g] ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quae debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam in unoquoque nostrum nihil aliud agitur [h], cum ad peccatum quisque delabitur, quam tunc actum est in illis tribus: serpente, muliere et viro. Nam primo fit suggestio sive per cogitationem, sive per sensus corporis: vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo; quae suggestio cum facta fuerit, si cupiditas nostra non moveatur ad peccandum, excludetur [i] serpentis astutia. Si autem mota fuerit, quasi iam mulieri persuasum erit; sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atque compescit; quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta [k] luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, et quod libido commoverit, faciendum esse decernat, ab omni beata vita tanquam de paradiso expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum, quando rea tenetur in consensione conscientia ».

Haec de animae partibus intersernimus, ut ipsius animae natura plenius cognosceretur, et secundum quam sui portionem in ea sit liberum arbitrium intelligatur, scilicet secundum rationem, quo omne mortale peccatum geritur, sed non omne veniale, illud scilicet, quod in solo motu sensualitatis existit.

---

[a] D add. *cogitationibus.* [b] Ed. add. *mentis.* [c] Ita U Z (interl.) et D; ed. om. [d] U om. [e] D add. *est.* [f] Ita U; ed. *decepit.* [g] D om.; V *ita.* [h] Ita U D; ed. add. *nunc.* [i] Ita U; ed. *excluditur.* [k] Ed. *aliquantula.*

---

[1] II. Cor. 2, 11. [2] De Iuda cfr. Ioan. 13, 2, et Luc. 22, 3. [3] Gen. 2, 15. [4] Cant. 4, 12.

Cap. XIII.

Quibus modis accipitur sensualitas in Scriptura.

213 Non est autem silentio [a] praetereundum, quod saepe in Scriptura nomine sensualitatis non id solum in anima, quod est [b] nobis commune cum pecore, sed etiam inferior portio rationis, quae temporalium dispositioni intendit, intelligitur. Quod diligens lector in locis Scripturae, ubi de ipsa fit mentio, vigilanter annotet [1].

DISTINCTIO XXV.

Cap. I.

Definitio liberi arbitrii secundum philosophos.

214 Iam vero ad propositum redeamus, scilicet ad liberi arbitrii tractatum; quod philosophi [2] definientes dixerunt liberum de voluntate iudicium, quia potestas ipsa et habilitas voluntatis et rationis, quam supra [3] diximus esse liberum arbitrium, libera est ad utrumlibet, quia libere potest moveri ad hoc vel ad illud. Liberum ergo dicitur arbitrium quantum ad voluntatem, quia voluntarie moveri et spontaneo appetitu potest ferri [c] ad ea quae bona vel mala iudicat, vel iudicare valet.

Hoc autem sciendum est, quoniam liberum arbitrium ad praesens vel ad praeteritum non refertur, sed ad futura contingentia. Quod enim in praesenti est, determinatum est, nec in potestate nostra est, ut tunc sit vel non sit, quando est. Potest enim non esse, vel aliud esse postea; sed non potest non esse, dum est, vel aliud esse, dum id est, quod est; sed in futuro an hoc sit, vel illud [d], ad potestatem liberi arbitrii spectat. Nec tamen omnia futura sub potestate liberi arbitrii veniunt, sed ea tantum, quae

---

[a] D *in scriptura;* V om.; Z *sub silentio.* [b] D add. *in.* [c] V *sciri.* [d] D *aliud.*

---

[1] Cfr. August. XII. *De Trin.* c. 13, n. 20 (P L 42, 1009). [2] Boeth., III. *Super libr. Periherm.* (ed. 2). Pro hoc cap. cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 5, cc. 20-22 et *Sum. Sent.* tr. 3, c. 9 (P L 176, 102, 255). De hac distinctione, teste cod. Erf., conferendus est Gandulph., II. *Sent.* c. 193. [3] Dist. praeced. c. 3.

per liberum arbitrium possunt fieri, vel non fieri. Si quis enim tale quid velit ac disponat facere, quod in eius nullatenus [a] sit potestate, vel quod sine ipsius dispositione aeque fieret, in hoc ipse liberum non habet arbitrium.

Et quidem, secundum praedictam assignationem, in his tantum 215
videtur esse liberum arbitrium, qui voluntatem mutare et in contraria possunt deflectere, in quorum videlicet potestate [b] est eligere bonum, vel malum, et utrumlibet secundum electionem facere, vel dimittere; secundum quod nec in Deo nec in his omnibus, qui tanta beatitudinis gratia sunt roborati, ut iam peccare nequeant, liberum arbitrium esse nequit.

Sed quod Deus liberum arbitrium habeat, Augustinus docet in libro XXII *De civitate Dei* [1], ita inquiens: « Certe Deus ipse nunquid, quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est »?

Ambrosius quoque in libro *De Trinitate* [2] ait: « Paulus dicit quoniam *omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult* [3], id est, pro liberae voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio ».

Cap. II.

Qualiter in Deo accipitur liberum arbitrium.

Sed aliter accipitur liberum arbitrium in Creatore quam in 216
creaturis. Dei etenim liberum arbitrium dicitur eius sapientissima et omnipotens voluntas, quae non necessitate, sed libera bonitate [c] omnia facit, prout vult.

Ideoque [d] Hieronymus attendens, non ita esse liberum arbitrium in Deo, sicut est in creaturis, ab ipso videtur liberum arbitrium excludere, in homilia quadam de filio prodigo [4] dicens: « Solus Deus est, in quem peccatum non cadit, nec cadere potest; cetera, cum sint liberi arbitrii, in utramque partem flecti possunt ». Dum ait « cetera », indicat liberum arbitrium, sicut est [e] in ceteris, non esse in Deo.

---

[a] V *nulla.* [b] D *iudicio,* om. *videlicet.* [c] Z corr. interl. *vel voluntate* [d] D om. [e] D om.

---

[1] Cap. 30, n. 3 (PL 41, 802). [2] II. *De fide,* c. 6, n. 48 (PL 16, 569). [3] I. Cor. 12, 11. [4] Est in Epist. 21. *Ad Damasum* n. 40 (PL 22, 393). Cfr. Abael. *Sic et non* c. 34 (PL 178, 1394 et seq.).

Cap. III.

Quod Angeli et Sancti habent liberum arbitrium.

217 Angeli vero et Sancti, qui iam cum Domino feliciter vivunt, atque ita gratia beatitudinis confirmati sunt, ut ad malum flecti nec velint nec possint, libero arbitrio non carent [1].

Unde Augustinus in libro XXII *De civitate Dei* [2] ait: « Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit [a], posse non mori; ita primum liberum arbitrium posse non peccare; novissimum non posse peccare [b] ».

Idem in *Enchiridio* [3]: « Sic oportebat prius [c] hominem fieri, ut bene velle posset et male; postea vero sic erit, ut male velle non possit, nec ideo carebit libero arbitrio ».

Cap. IV.

Quod liberius erit liberum arbitrium, quando peccare non poterit.

218 « Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. Neque aut voluntas non [d] est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo anima nostra [e] nunc habet nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est. Sed ordo servandus fuit, quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale, quod etiam peccare possit, quamvis sit melius, quod peccare non possit [4] ».

Ecce his verbis evidenter astruitur, quod post beatitudinis confirmationem erit in homine liberum arbitrium, quo peccare non poterit, et nunc in Angelis est et in Sanctis, qui cum Domino sunt; et tanto utique liberius, quanto a peccato immunius et ad bonum pronius [f]. Quo enim quisque ab illa peccati servitute, de qua scriptum est: *Qui facit peccatum, servus est peccati* [5], longius absistit, tanto in eligendo bonum liberius habet iudicium. Unde si diligenter

---

[a] Z add. *scilicet.* [b] V om. *novissimum n. p. peccare.* [c] Z *primum,* sed corr. interl. *vel prius.* [d] D om. [e] U add. *etiam.* [f] D *promptius.*

---

[1] Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 9 (PL 176, 104). [2] Loc. cit.; Abael. loc. cit. [3] Cap. 105, n. 28 (PL 40, 281). [4] Aug., loc. cit.; Abael. loc. cit. [5] Ioan. 8, 34. Quod sequitur est ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 8 (PL 176, 101).

inspiciatur, liberum videtur dici arbitrium, quia sine coactione et necessitate valet appetere vel eligere quod [a] ex ratione decreverit.

Cap. V.

De differentia libertatis arbitrii secundum diversa tempora.

Ex praedictis perspicuum fit, quod maior fuit libertas arbitrii 219
prima quam secunda, et tertia multo maior quam secunda vel prima. Prima enim libertas arbitrii fuit, in qua poterat peccare et non peccare; ultima vero erit in qua poterit non peccare, et non poterit peccare; media vero est [b] in qua potest peccare et non potest non peccare, ante reparationem etiam mortaliter, post reparationem vero saltem venialiter [1].

Cap. VI.

De quatuor statibus liberi arbitrii.

« Et possunt notari in homine quatuor status liberi arbitrii. 220
« Ante peccatum enim ad bonum nil impediebat, ad malum nil impellebat »; non habuit infirmitatem ad malum, et habuit adiutorium ad bonum; tunc sine errore ratio iudicare, et voluntas sine difficultate bonum appetere poterat.

« Post peccatum vero, ante reparationem gratiae, premitur a concupiscentia et vincitur et habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono; et ideo potest peccare et non potest non peccare, etiam damnabiliter.

« Post reparationem vero, ante confirmationem, premitur a concupiscentia, sed non vincitur, et habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in bono, ut possit peccare propter libertatem et infirmitatem, et possit non peccare ad mortem propter libertatem et gratiam adiuvantem; nondum tamen habet posse omnino non peccare, vel non posse [c] peccare propter infirmitatem nondum perfecte absorptam, et propter gratiam nondum perfecte consummatam.

« Post confirmationem vero, infirmitate penitus consumta et gratia consummata, nec vinci nec premi poterit, et tunc habebit non posse peccare [2] ».

---

[a] D *quae*. [b] ita U D; ed. om. [c] D add. *non*.

---

[1] Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 6, c. 16 (P L 176, 272). [2] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 9 (P L 176, 102) *.

Cap. VII.

De corruptione liberi arbitrii per peccatum.

221 Unde manifestum est, quod praeter alias poenalitates pro peccato illo incurrit homo poenam in corruptione et depressione [a] liberi arbitrii. Per illud namque peccatum naturalia bona in homine corrupta sunt et gratuita detracta. Hic est enim ille qui a *latronibus vulneratus est et spoliatus* [1]: *vulneratus* quidem in naturalibus bonis, quibus non est privatus, alioquin non posset fieri reparatio; *spoliatus* vero gratuitis, quae per gratiam naturalibus addita fuerant. Haec sunt *data optima, et dona perfecta* [2], quorum alia sunt corrupta per peccatum, id est naturalia, ut ingenium, memoria, intellectus; alia subtracta, id est gratuita, quamquam et naturalia ex gratia sint: ad generalem quippe Dei gratiam pertinent; saepe tamen huiusmodi fit distinctio, cum gratiae vocabulum ad speciem, non ad genus refertur. Corrupta est ergo libertas arbitrii per peccatum et ex parte perdita.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [3]: « Libero arbitrio male utens, homo et se perdidit et ipsum. Cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est et liberum arbitrium. A quo *enim quis devictus est, huic servus addictus est* [4] ». Ecce liberum arbitrium dicit hominem amisisse, non quia post peccatum non habuerit liberum arbitrium, sed quia libertatem arbitrii perdidit, non quidem omnem, sed libertatem a miseria et a peccato.

Cap. VIII.

De tribus modis libertatis liberi arbitrii: a necessitate, a peccato, a miseria.

222 « Est namque [b] libertas [c] triplex, scilicet a necessitate, a peccato, a miseria.

« A necessitate et ante peccatum et post aeque liberum est arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modo. Ideoque

---

[a] D *et corruptionem et depressionem,* pro *i. c. e. d.* [b] Z *autem.* [c] U add. *arbitrii.*

---

[1] Luc. 19, 30; cfr. Ambr. et Beda in hunc locum, et August. II. *Quaest. Evang.* q. 19 (PL 35, 1340). [2] Respic. Iac. 1, 17. [3] Cap. 30 (PL 40, 246). [4] II. Petr. 2, 19.

voluntas merito apud Deum iudicatur, quae semper a necessitate libera est et nunquam cogi potest. Ubi necessitas, ibi non est libertas; ubi non est libertas, nec voluntas, et ideo nec meritum. Haec libertas in omnibus est, tam in bonis quam in malis.

« Est et alia libertas, a peccato scilicet, de qua dicit Apostolus [1]: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas;* et Veritas in Evangelio [2]: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.*

Haec libertas a servitute peccati liberat et servos iustitiae facit, sicut e converso servitus peccati [a] liberos iustitiae facit.

« Unde Apostolus [3]: *Liberati a peccato, servi facti estis iustitiae.* Et item [4]: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis iustitae.*

Hanc libertatem homo peccando amisit; ideoque Augustinus [5] dicit, quod homo male utens libero arbitrio, et se perdidit et ipsum, quia perdita est per peccatum libertas, non a necessitate, sed a peccato: *Qui enim facit peccatum servus est peccati.*

« Istam libertatem, quae est a peccato, illi soli nunc habent, quos Filius per gratiam liberat et reparat, non ita quod penitus sint sine peccato in hac mortali carne, sed ut [b] in eis peccatum non dominetur, neque regnet. Et haec est vera et bona libertas, quae bonam parit servitutem, scilicet iustitiae.

« Unde Augustinus in *Enchiridio* [c] [6]: Ad iustitiam faciendam non erit aliquis liber, nisi a peccato liberatus, esse iustitiae coeperit servus; et ipsa est vera libertas propter recti facti laetitiam, simul et pia servitus propter praecepti obedientiam [7] ».

Est alia libertas non vera, malae servituti adiuncta, quae est 223
ad malum [d] faciendum, ubi ratio dissentit a voluntate, iudicans non esse faciendum quod voluntas appetit; ad bonum vero faciendum ratio concordat voluntati, et ideo ibi [e] vera libertas est et pia.

De libertate autem ad malum et servitute mala ait Augustinus in *Enchiridio* [8]: « Servi addicti [f] quae potest esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit; ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati servus est ».

---

[a] V *iustitiae.* [b] D om. [c] Ed. add. *ait.* [d] D *male.* [e] Ed. om. [f] Ed. et A add. *peccato.*

---

[1] Epist. II. Cor. 3, 17. [2] Ioan. 8, 36. [3] Rom. 6, 18. [4] Rom. 6, 20. [5] *Enchirid.* c. 30 (P L 40, 246). [6] Loc. cit. [7] Quae praecedunt sunt quasi verbotenus ex Hugone *Sum. Sent.* tr. 3, c. 9 (P L 176, 102 et seq.). [8] Loc. cit.

224 Hic quaeri potest [a], utrum haec libertas, qua quis liber est ad malum, sit libertas arbitrii. Si enim libertas arbitrii est, bonum quidem est, quia libertas arbitrii bonum [b] naturale est.

Quibusdam videtur, quod sit ipsa libertas arbitrii, quae semper bona est, sed propter peccati servitutem ad malum sit liberior et pronior; et ideo dicitur non vera esse libertas, quia ad malum est.

Aliis autem videtur, quod haec libertas ad malum, quam supra commemoravit Augustinus, non sit ipsa libertas arbitrii, sed sit quaedam promitas peccandi et curvitas, quae ex peccato est et mala est.

225 Similiter etiam [c] quaeri solet, utrum illa libertas vera, quae est ad iustitiam faciendam, sit ipsa [d] libertas arbitrii.

Quidam dicunt, illam eandem esse, sed reparatam per gratiam, qua iuvante libera est ad bonum, sine gratia vero non est libera ad bonum.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [1]: « Ista libertas ad bene [e] faciendum unde erit homini addicto et vendito, nisi eum redimat ille [f] qui dicit [2]: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis?* Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio gloriatur, qui nondum est liber ad bene [g] operandum »? Ecce aperte ostendit, liberum arbitrium per gratiam liberari [h] ut per illud bene operetur quis. Ideoque dicunt, illam libertatem veram, quae est ad bene faciendum, cuius supra meminit Augustinus, esse libertatem ipsam [i] arbitrii, gratia Dei liberatam et adiutam.

Alii vero putant non esse ipsam arbitrii libertatem, sed aliam quandam, quae ex gratia et libero arbitrio in mente hominis, Deo operante, incipit esse cum reparatur.

Verum [k] nobis magis placet ut ipsa libertas arbitrii sit et illa [l] qua quis liber est ad [m] malum, et illa qua quis liber est ad bonum faciendum: ex causis enim variis sortitur diversa vocabula. Dicitur enim libertas ad malum faciendum, antequam per gratiam sit reparata; sed cum per gratiam fuerit reparata, dicitur libertas ad bonum faciendum, quia ante gratiam libera est voluntas ad ma-

---

[a] D *solet*. [b] Z add. *quidem*. [c] U *autem*. [d] Z om. [e] V *bonum*. [f] D om. [g] V Z *bonum*. [h] V *operari*. [i] D om. [k] D *utrum*. [l] Z om. [m] U add. *faciendum*.

---

[1] Loc. cit. [2] Ioan. 8, 36.

lum, per gratiam vero libera fit ad bonum. Semper igitur voluntas hominis aliquo modo libera est, sed non semper bona est. Non enim est bona nisi a peccato liberata; est tamen a necessitate libera.

Unde Augustinus in libro *De gratia et libero arbitrio* [1]: « Semper in nobis voluntas libera est [a], sed non semper bona est. Aut enim libera est iustitiae, quando servit peccato, et tunc est mala; aut a pecccato libera est, quando servit iustitiae, et tunc est bona ».

Est iterum libertas a miseria, de qua Apostolus [2] ait: *Et* 226
ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.

Hanc libertatem habuit homo ante peccatum, quia omni carebat miseria et nulla tangebatur [b] molestia, et plenius habebit in futura beatitudine, ubi miser esse non poterit. Sed in hac vita, quae est inter primum peccatum et ultimam confirmationem, nemo a miseria liber est, quia poena peccati non caret.

« Ex praedictis iam apparet, in quo per peccatum sit imminutum vel corruptum liberum arbitrium, quia ante peccatum nulla erat homini difficultas nullumque impedimentum de lege membrorum ad bonum, nulla impulsio vel instigatio ad malum [3] ».

Nunc autem per legem carnis ad bonum impeditur et ad malum instigatur, ut non possit velle et perficere bonum, nisi per gratiam liberetur et adiuvetur, quia, ut ait Apostolus [4], *peccatum habitat in carne.* Liberum ergo arbitrium, cum semper et in singulis sit liberum, non est tamen liberum pariter in bonis et in malis, et ad bona et ad mala. Liberius enim est in bonis, ubi liberatum est, quam in malis, ubi liberatum non est. Et liberius est ad malum, quod per se potest, quam ad bonum, quod, nisi gratia liberetur et adiuvetur, non potest.

Cap. IX.

De libertate, quae est ex gratia, et quae ex natura.

Libertas ergo a peccato et a miseria per gratiam est, libertas 227
vero a necessitate per naturam.

---

[a] U om. [b] D *angebatur.*

---

[1] Cap. 15, n. 31 (PL 44, 899). [2] Rom. 8, 21. Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 9 (PL 176, 103). [3] Hugo, loc. cit. [4] Rom. 7, 17.

Utramque [a] libertatem, scilicet naturae et gratiae, notat Apostolus [1], cum ex persona hominis non redempti ait: *Velle adiacet mihi, perficere autem* [b] *non invenio;* ac si diceret: Habeo libertatem naturae, sed non habeo libertatem gratiae; ideo non est apud me perfectio boni. Nam voluntas hominis, quam naturaliter habet, non valet erigi ad bonum efficaciter volendum vel opere implendum, nisi per gratiam liberetur et adiuvetur: liberetur quidem ut velit, et adiuvetur ut perficiat; quia, ut ait Apostolus [2], *non est volentis* velle, *neque currentis* currere, id est operari, *sed miserentis Dei; qui operatur in nobis velle* et operari bonum, cuius gratiam non advocat hominis voluntas vel operatio, sed ipsa gratia voluntatem praevenit praeparando, ut velit bonum, et praeparatam adiuvat [c], ut perficiat.

DISTINCTIO XXVI.

Cap. I.

De gratia operante et cooperante.

228 Haec est gratia operans et cooperans; operans enim gratia praeparat hominis voluntatem, ut velit bonum; gratia cooperans adiuvat, ne frustra velit.

Unde Augustinus in libro *De gratia et libero arbitrio* [3]: « Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incipit, quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui [d] volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus, operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut perficiamus [e], nobis cooperatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus [f] bona pietatis opera, nihil valemus ».

Ecce his verbis satis aperitur, quae sit operans gratia, et quae cooperans: operans enim [g] est quae praevenit voluntatem bonam,

---

[a] D add. *vero.* [b] Ed. add. *bonum.* [c] U add. *ne frustra velit id est.* [d] V B *quod.* [e] V Z *faciamus;* sed Z corr. interl. *vel perficiamus.* [f] Ed. add. *ad.* [g] Ed. add. *gratia.*

---

[1] Rom. 7, 18. Cfr. Hugo, loc. cit. [2] Rom. 9, 16, et Phil. 2, 13. [3] Cap. 17, n. 33 (P L 44, 901). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 7 (P L 176, 99).

ea enim liberatur et praeparatur hominis voluntas ut sit bona, bonumque efficaciter velit; cooperans vero gratia voluntatem iam bonam sequitur adiuvando.

Unde Augustinus *Contra Iulianum haereticum* [1], qui bo- 229
nam voluntatem tantum esse ex libero arbitrio dicebat, atque hominem per liberum arbitrium posse bonum velle et operari sine gratia asserebat, ait: « Apertam de commendatione gratiae Apostolus protulit sententiam, cum ait [2]: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* Hoc si attenderes, Iuliane, non extenderes contra gratiam merita voluntatis humanae. Non enim ideo miseretur Deus alicuius, quia voluit et cucurrit; sed ideo voluit et cucurrit, quia misertus est [a] Deus. Praeparatur [b] enim voluntas hominis a Deo, et a *Domino gressus hominis diriguntur* [3]. Ideoque congrue ait: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei* »; « non quia hoc sine voluntate nostra agatur, sed quia voluntas nostra nil boni agit, nisi divinitus adiuvetur [4] ».

Unde alibi [5]: « Apostolus ait [c 6]: « *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Non ideo dicit, quia nihil boni agebat; sed quia nihil boni ageret, si illa non adiuvaret ».

His testimoniis aperte insinuatur, quia voluntas hominis gratia Dei praevenitur atque praeparatur ut fiat bona, non ut fiat voluntas, quia et ante gratiam voluntas erat, sed non erat bona et recta voluntas.

Cap. II.

Quid sit voluntas.

Voluntatem ipsam Augustinus in libro *De duabus anima-* 230
bus [7] ita definit: « Voluntas est animi motus, cogente nullo [d], ad aliquid non admittendum, vel adipiscendum ». Haec autem [e], ut non admittat malum et adipiscatur bonum, praevenitur et praeparatur gratia Dei.

---

[a] B C *miseretur*, pro *misertus est.* [b] Ita U; ed. *paratur.* [c] Z om. [d] V *nulla necessitate.* [e] Z *ergo.*

---

[1] Libr. I *Operis imperfecti* c. 141 (P L 45, 1140) *. [2] Rom. 9, 16. [3] Prov. 16, 9; et Ps. 36, 23. [4] August., *De perfectione iustitiae hominis*, c. 19, n. 40 (P L 44, 314). [5] Epist. 186. *Ad Paulinum*, c. 10, n. 36 (P L 33, 830). [6] I. Cor. 15, 10. [7] Cap. 10, n. 14 (P L 42, 104.

Unde Apostolus gratiam praevenientem et subsequentem commendans, id est, operantem et cooperantem, vigilanter dixit: « *Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei* [a]; et non e converso [b]: non est miserentis Dei, sed volentis et currentis. Nam si, ut quibusdam placuit, quod dictum est ita accipiatur: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei,* tanquam [c] diceretur, non sufficit [d] sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei; econtra [e] dicitur, non sufficit etiam misericordia Dei, si non sit voluntas hominis. Ac per hoc, si recte dictum est illud quia id voluntas hominis sola non implet, cur non etiam a contrario recte dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, cum id misericordia Dei sola non impleat [1] »? « Homo enim credere vel sperare non poterit, nisi velit; nec pervenire ad palmam, nisi voluntate currat ». Restat ergo, ut ideo [f] ita recte dictum intelligatur, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam praevenit et praeparat adiuvandam, et adiuvat praeparatam, nolentem praevenit ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit ».

Ecce his verbis et aliis praemissis evidenter traditur, quia voluntas hominis praeparatur et praevenitur gratia Dei, ut bonum velit; et adiúvatur, ne frustra velit.

231 Itaque bona voluntas comitatur gratiam, non gratia voluntatem.

Unde Augustinus *Ad Bonifacium Papam* [2] scribens contra Pelagianos, inquit [g]: « Cum fides impetrat iustificationem, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti praecedit humani, sed ipsa meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, voluntate comitante, non ducente, pedissequa, non praevia ». Ecce hic expresse habes, quia gratia praevenit bonae voluntatis meritum, et ipsa voluntas bona pedissequa est gratiae, non praevia.

---

[a] D om. [b] D add. *scilicet.* [c] B D add. *si.* [d] V add. *bona.* [e] Ed. *contra.* [f] D om. [g] U *ait.*

---

[1] August., *Enchirid.* c. 32, n. 9 (P L 40, 248); ubi etiam duo seqq. loci. [2] Vel potius Epist. 186. *Ad Paulinum,* c. 3, n. 10 (P L 33, 819); est in Glossa ad Rom. 5, 1.

Cap. III.

Quae sit gratia voluntatem bonam praeveniens.

Et si diligenter intendas, nihilominus tibi monstratur, quae sit 232
ipsa gratia voluntatem [a] praeveniens et praeparans, scilicet fides cum dilectione.

Ideoque Augustinus in eodem [1], tractans quomodo instificati sumus ex fide, et tamen gratis — utrumque enim ait [b] Apostolus, qui dicit [2]: *Iustificati ex fide;* alibi ait [3]: *Iustificati gratis per gratiam* — hoc enim [c] ideo dixit, « ne fides ipsa superba sit, ne dicat sibi: Si ex fide instificati, quomodo gratis? Quod [d] enim fides meretur, cur non potius redditur, quam donatur? Non dicat ista homo fidelis, quia cum dixerit, habeo fidem ut merear iustificationem, respondetur ei: *Quid habes, quod non accepisti* [4] »? Fides enim, qua iustificatus es, gratis tibi data est. Hic aperte ostenditur, quod fides est causa iustificationis, et ipsa est gratia et beneficium, quo hominis praevenitur voluntas et praeparatur.

Unde Augustinus in I libro *Retractationum* [5]: « Voluntas est qua et peccatur et recte vivitur. Voluntas vero ipsa nisi Dei gratia liberetur a servitute, qua peccati serva facta est, et ut vitio superet adiuvetur, recte pieque vivi a mortalibus non potest; et hoc beneficium quo liberatur, nisi eam praeveniret, iam meritis daretur et non esset gratia, quae utique gratis datur ».

Praevenitur ergo bona [e] hominis voluntas illo gratiae beneficio, quo liberatur et praeparatur. Et illud beneficium recte fides Christi intelligitur, sicut Augustinus in *Enchiridio* [6] evidenter ostendit dicens: « Ipsum arbitrium liberandum est post illam ruinam a servitute peccati. Nec omnino per se ipsum, sed per solam Dei gratiam, quae in fide Christi posita est, liberatur, ut voluntas [f] praeparetur ». Ecce aperte dicit, gratiam per quam liberatur [g] arbitrium et praeparatur voluntas, positam esse in fide Christi: « fides enim Christi, ut in eodem ait, impetrat quod lex imperat [7] ».

---

[a] D add. *bonam.* [b] Ed. *dicit;* B om. [c] Ed. *inquit.* [d] V D *quid.* [e] D add. *illa.* [f] Ita U V; ed. add. *ipsa,* quod in B est add. interl. [g] Z add. *liberum.*

---

[1] Epist. cit., c. 3, n. 9. [2] Rom. 5, 1. [3] Rom. 3, 24. [4] Epist. I. Cor. 4, 7. [5] Cap. 9, n. 4 (P L 32, 596). [6] Cap. 106, n. 28 (P L 40, 282). [7] Ibid. c. 117, n. 31 (P L 40, 287).

Cap. IV.

Quod bona voluntas, quae praevenitur gratia, quaedam Dei dona praevenit.

233 Ipsa tamen eadem [a] quaedam gratiae dona praevenit.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [1]: « Praecedit bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia; quae autem non praecedit, ipsa in eis est et ipsa iuvat; nam utrumque legitur in sanctis eloquiis: *Et misericordia eius praeveniet me* [b] [2]. *Et misericordia eius subsequetur me* [3]. Nolentem quippe praevenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. Cur enim admonemur orare [c] pro inimicis nostris [4] nolentibus pie vivere, nisi ut in eis Deus operetur et velle? Itemque, cur admonemur petere ut accipiamus [5], nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus? Inde [d] Apostolus ait [6]: *Non est volentis neque currentis* [e], *sed miserentis Dei* ».

Ex his apparet, quod bona hominis voluntas quaedam dona Dei praevenit, quia eam comitatur gratia adiuvans; et quibusdam praevenitur, quia eam praevenit gratia operans, scilicet fides cum caritate.

234 Non est tamen ignorandum, quod alibi Augustinus significare videtur, quod ex voluntate sit fides, de illo verbo Apostoli, scilicet [f] [7]: *Corde creditur ad iustitiam*, ita *Super Ioannem* [8] tractans: « Ideo non simpliciter Apostolus ait *creditur*, sed *corde creditur*, quia cetera potest homo nolens, credere [g] non [h] nisi volens; intrare [i] ecclesiam et accedere ad altare potest nolens, sed non credere ».

Item *Super Genesim* [9], ubi Laban et Bathuel dixerunt: *Vocemus puellam et quaeramus eius voluntatem*, dicit expositor: « Quia fides est voluntatis, non necessitatis ».

---

[a] Ed. add. *voluntas.* [b] D om. *Et m. e. p. me*, quod U habet in margine. [c] D *petere.* [d] Z *Unde.* [e] Z *etc.*, et om. *sed miserentis Dei.* [f] D om. [g] B add. *autem.* [h] D add. *potest.* [i] Z add. *ad.*

---

[1] Cap. 32, (PL 40, 248). [2] Ps. 58, 11. [3] Ps. 22, 6. [4] Matth. 5, 44. [5] Luc. 11, 9. [6] Rom. 9, 16. [7] Rom. 10, 10. [8] Tract. 26. *In Ioan.* n. 2 (PL 35, 1607)*. [9] Cap. 24, v. 56; ubi in Glossa interlin. sunt verba citata.

Ad quae [a] respondentes dicimus, non haec [b] ita accipienda fore, ut ex voluntate hominis fides intelligatur provenire, cum ipsa [c] sit proprie Dei donum, ut ait Apostolus [1], et [d] ex ea bona hominis merita incipiant. Per hanc enim, ut Augustinus *Super Psalmum 67* [2] ait: « Iustificatur impius, id est, fit de impio pius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari, unde omnia bona merita incipiunt ». Sed potius haec ideo dicta ita [e] sunt, quia non est fides nisi in eo qui vult credere, cuius bonam voluntatem fides praevenit, non tempore, sed causa et natura.

Unde Augustinus supra congruenter dixit, quod bona voluntas in eis donis est, quae non praecedit, et [f] ipsa iuvat; quia ea iuvat quibus praevenitur, dum eis consentit ad effectum boni; et in eis est, quia tempore ab eis non praeceditur.

Ceterum hanc quaestionem magis acuunt et urgent verba Augustini, quibus in libro *De praedestinatione Sanctorum* [3] utitur, pertractans illud verbum Apostoli [4]: « *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex* [g] *nobis, quasi ex nobis.* Attendant, inquit, hic [h] et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo [i] esse fidei supplementum. Commendans enim istam gratiam, quae non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita, inquit: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid,* boni scilicet, *ex nobis.* Quis autem non videat, prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Si ergo cogitare bonum, non est ex nobis, ut hic [k] Apostolus tradit, nec credere; quamquam et ipsum credere nihil est aliud quam cum assensione mentis cogitare ». Hic videtur insinuare, quod cogitatio bona praecedat fidem, et ita bona voluntas praeveniat fidem, non praeveniatur; quod praedictis adversari videtur. 235

Ad hoc autem dicimus, quod aliquando cogitatio bona sive voluntas praevenit fidem, sed non est illa bona voluntas vel cogitatio qua recte vivitur: illa enim sine fide et caritate non est. Nam ut ait Augustinus *Ad Anastasium* [5]: « Sine Spiritu [l] non

---

[a] Ed. *quod.* [b] Z om. [c] Z om. [d] V *ut.* [e] D om. *ideo ita.* [f] B add. *quia.* [g] Ed. *a.*; V om. *ex nobis.* [h] Z D *haec.* [i] V *nobis.* [k] Z om. [l] Z add. *vero.*

---

[1] Ephes. 2, 8. [2] Vers. 33; *Enarrat.* n. 41 (PL 36, 838). [3] Cap. 2, n. 5 (PL 44, 962). [4] II. Cor. 3, 5. [5] Epist. 145, n. 2 (PL 33, 593)*.

est voluntas hominis libera, cum cupiditatibus vincatur »; « non est libera ad bonum, nisi liberata fuerit [1] ». Non autem liberatur, nisi per *Spiritum* [a] *caritas diffundatur in cordibus* [2]. Non est libera voluntas, nisi eam liberet gratia *per legem fidei* [3], id est, non est libera sine fide operante per dilectionem; et illa sufficienter et vere bona est. « Non est enim fructus bonus, qui de caritatis radice non surgit; si vero adsit fides operans per dilectionem, fit delectatio [b] boni [4] ».

Cap. V.

Quod cogitatio boni praecedit fidem.

236 Illa autem cogitatio sive voluntas, quae fidem et caritatem aliasque iustificationes praecedit, non sufficit ad salutem, nec recte vivitur ea. Hac voluntate concupiscitur illa [c] bona voluntas, quae est magnum bonum; ista vero non; alia est ergo illa voluntas sive cogitatio, alia ista [d].

Cap. VI.

Quod intellectus et cogitationem boni et delectationem praevenit.

237 Et sicut illa istam praecedit, ita illam praevenit intellectus.

Unde Augustinus ista distinguens, super illum locum Psalmi [e 5]: *Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas* [f], ait: « Concupivit desiderare, inquit, non desideravi [g] ». « Videmus enim ratione nonnunquam, quam utiles sint iustificationes Dei; sed infirmitate praepediti, aliquando non desideramus. Praevolat ergo [h] intellectus, sequitur tardus aut nullus affectus; scimus bonum, nec delectat agere, et cupimus ut delectet. Sic iste olim desiderare concupiscebat quae bona esse cernebat, cupiens eorum habere delectationem, quorum potuit videre rationem [6] ». « Osten-

---

[a] Ita omnes codd.; ed. add. *sanctum*. [b] U Z *dilectio*, sed in utroque corr. interl. *vel delectatio*. [c] D *alia*. [d] D *haec*. [e] Ed. add. *118*. [f] Ed. om. [g] Ed. et D *desideravit*. [h] D om.

---

[1] Glossa ad II. Cor. 3, 6. [2] Respic. Rom. 5, 5. [3] Rom. 3, 27. [4] August., *De Spiritu et litt.* c. 14, n. 26 (P L 44, 217), et Gregor. *Homil.* 27 (P L 76, 1207). [5] Ps. 118, 20. August., *Serm.* 8, in hunc Ps. n. 5 (P L 37, 1520). Cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 9 (P L 176, 103). [6] Ibid. n. 4.

dit itaque, quibus quasi gradibus ad eas perveniatur: prius enim est, ut videatur [a], quam sint utiles et honestae; deinde ut earum desiderium concupiscatur; postremo, ut, proficiente gratia, delectet earum operatio, quarum sola ratio delectabat [1] ».

Attende hunc ordinem gratiarum, quem hic distincte assignat Augustinus, qualiter scilicet intellectus bonorum praecedit concupiscentiam eorundem, et ipsa concupiscentia delectationem [b], quae fit per fidem et caritatem; qua habita, vere bona est voluntas qua recte vivitur, ipsaque fidei comes est non praevia.

Cap. VII.

An per liberum arbitrium operetur homo bonum sine gratia.

Qui verba Augustini praemissa [2] secundum hanc distinctio- 238
nem considerat, nullam ibi repugnantiam fore animadvertit, non ignorans, etiam ante gratiam praevenientem et operantem, qua voluntas bona praeparatur in homine, praecedere quaedam bona ex Dei gratia et libero arbitrio, quaedam etiam [c] ex solo libero arbitrio, quibus tamen vitam non meretur, nec gratiam qua iustificatur. « Illius enim gratiae percipiendae, quae voluntatem hominis sanat, ut sanata legem impleat, nulla merita praecedunt [3] ». Ipsa est enim qua iustificatur impius, id est, fit iustus, qui prius erat impius; « meritis autem impii non gratia, sed poena debetur; nec ista esset gratia, si non daretur gratuita [4] ». Datur autem gratuita, quia nil boni ante feceramus, unde hoc [d] mereremur.

Non negamus tamen, multa ante hanc [e] gratiam et praeter hanc gratiam ab homine fieri bona per liberum arbitrium, ut tradit Augustinus in *Responsionibus contra Pelagianos* [5], ubi dicit, homines per liberum arbitrium agros colere, domos aedificare et alia plura bona facere sine gratia cooperante [f].

---

[a] Ed. *videantur*. [b] V *delectatio est*. [c] Z om. [d] Z *hanc*. [e] D om. [f] In codd. communiter haec dist. XXVI comprehendit adhuc prima quatuor capitula sequentis distinctionis, et excurrit usque ad verba: *Hic videndum est*. Ipse S. Bonav. in divisione textus dist. 27 manifestat, ante ipsum distinctionem XXVII incepisse a verbis *Hic videndum est*.

---

[1] Ibid. n. 5. [2] Scil. in c. 4, sumta ex August., *De praed. sanct.* c. 2, n. 5 (PL 44, 962). [3] Sunt verba August. *De Spiritu et litt.* loc. cit. [4] Glossa ad Rom. 3, 24, apud Lyranum. [5] Libr. III. *Hypognosticon*, c. 4 (PL 45, 1623).

DISTINCTIO XXVII.

CAP. I.

Utrum eadem gratia sit, quae dicitur operans et cooperans.

239 Hic considerandum est cum praedictum sit, per gratiam operantem et praevenientem voluntatem hominis liberari ac praeparari, ut bonum velit, et per gratiam cooperantem et subsequentem adiuvari, ne frustra velit, utrum una et eadem sit gratia, id est unum munus gratis datum, quod operetur et cooperetur; an diversa, alterum operans, et alterum cooperans.

Quibusdam non irrationabiliter videtur, quod una et eadem sit gratia, idem donum, eadem virtus, quae operatur et cooperatur, sed propter diversos eius effectus [a] dicitur operans et cooperans. Operans enim dicitur, in quantum liberat et praeparat voluntatem hominis, ut bonum velit; cooperans, in quantum eandem adiuvat, ne frustra velit, scilicet ut opus faciat bonum. Ipsa enim gratia non est otiosa, sed meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici [1].

CAP. II–III [b].

Quomodo gratia meretur augeri.

240 Si vero quaeritur, quomodo ipsa gratia praeveniens mereatur augeri [c], cum nullum meritum sit sine [d] libero arbitrio; et quid sit ipsa gratia, an virtus, an non; et si virtus, an actus, vel non [e].

Ut [f] hoc aperte insinuari valeat, praemittendum est, tria esse genera bonorum.

241 [CAP. III]. Alia namque sunt magna, alia minima, alia media, ut ait Augustinus in libro I *Retractationum* [2]: « Virtutes, in-

---

[a] Ita U B; ed. add. *et.* [b] Stantes codicibus, cc. 2 et 3 coniungimus. [c] Ed. add. *et perfici.* [d] Ed. *absque.* [e] V om. *an non... non,* et post *virtus* add. *Antequam solvat praemittit de tribus generibus bonorum,* quod in aliis codd. est rubrica. [f] B add. *autem.*

---

[1] August., *Epist.* 186, c. 3, n. 10 (PL 33, 819). Pro tota hac dist. cfr. Abael. *Sic et non,* cc. 26 et sqq. (PL 178, 1386 et sqq.). [2] Cap. 9, n. 4 (PL 32, 597); et II. *De lib. arb.* c. 19, n. 50 (PL 32, 1268).

quit, quibus recte vivitur, magna bona sunt; species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt; potentiae vero animi, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt.

« Item, virtutibus nemo male utitur [a]; ceteris autem [b] bonis, id est mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest; et ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus; nemo autem bene [c] utendo male utitur. Non solum autem magna, sed etiam media et minima bona esse praestitit bonitas Dei ». Ecce [d] habes tria genera bonorum distincta.

Cap. IV.

In quibus bonis sit liberum arbitrium.

Quaeritur autem [e], in quibus bonis contineatur liberum ar- 242
bitrium.

De hoc Augustinus in libro I *Retractationum* [1] ita ait: « In mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium, quia et male illo uti possumus; sed [f] tamen tale est, ut sine illo recte vivere nequeamus. Bonus autem usus eius iam virtus est, quae [g] in magnis reperitur bonis, quibus male uti nullus potest. Et quia bona et magna et media et minima ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberae [h] voluntatis, qui virtus est et in magnis numeratur bonis ».

Attende diligenter quae dicta sunt, et confer [i] in unum; sic enim aperietur quod supra quaerebatur. Dixit equidem opus virtutis esse bonum usum illorum bonorum, quibus etiam non bene uti possumus, id est mediorum, in quibus posuit liberum arbitrium, cuius [k] quoque bonum usum dixit esse virtutem. Quod si est, non est ergo opus virtutis, quod supra dixit, quia aliud est virtus, aliud [l] opus eius.

---

[a] D add. *quia opus virtutis est.* [b] D om. [c] D add. *vivendo.* [d] Z add. *hic.* [e] V om. [f] D *quia et.* [g] D *et qui.* [h] D *bonae.* [i] V *collige.* [k] D *eius.* [l] D add. *est.*

---

[1] Loc. cit. n. 6. Cfr. Abael., II. *Expos. in Epist. ad Rom.* (P L 178, 867).

Cap. V.

De virtute, quid sit, et quid actus eius.

243 Hic videndum est, quid sit virtus [a] et quid sit actus eius [b] vel opus eius.

Virtus est, ut [c] ait Augustinus [1], bona qualitas mentis, qua recte vivitur, et qua nullus male utitur, quam Deus solus in homine operatur. Ideoque opus Dei tantum est, sicut de virtute iustitiae Augustinus docet [d] super illum locum Psalmi [2]: *Feci iudicium et iustitiam,* ita dicens: « Iustitia magna virtus animi [e] est, quam non facit [f] in homine nisi [g] Deus. Ideoque, cum ait Prophetа ex persona Ecclesiae: *Feci iustitiam,* non ipsam virtutem, quam non facit homo, sed opus eius intelligi voluit ». Ecce aperte hic insinuatur, quod iustitia in homine non est opus hominis, sed Dei; quod et de aliis virtutibus itidem [h] intelligendum est.

Nam de gratia fidei Ephesiis scribens Apostolus [3], similiter fidem non ex homine sed ex Deo esse tantum asserit, inquiens: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* Quod a Sanctis ita exponitur: « Hoc, id est [i] fides, non est ex [k] vi naturae nostrae [l], quia donum Dei pure est ». Ecce et hic manifeste traditur, quod fides non est ex libertate arbitrii sive ex arbitrio voluntatis; quod superioribus consonat, ubi dictum est, gratiam praevenientem vel operantem esse virtutem, quae voluntatem hominis liberat et sanat.

Ut [m] Augustinus in libro *De Spiritu et littera* [4] ait: « Iustificati sumus non per liberam voluntatem, sed per gratiam Christi; non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratiâ voluntatem, et sanata [n] voluntas impleat legem ».

---

[a] V add. *eius.* [b] Ita U D; ed. om. [c] Ed. *sicut.* [d] D *ait.* [e] V *non.* [f] Ed. *fecit.* [g] V om. [h] V *itaque.* [i] C *haec scilicet,* pro *Hoc, id est.* [k] Ed. om. [l] V B D *vestrae.* [m] Ed. et D *unde.* [n] Ita U; ed. *sana.*

---

[1] Haec definitio virtutis ex variis locis S. Augustini collecta est, praesertim ex I. *Retract.* c. 9, n. 6 (P L 32, 598), et II. *De lib. arb.* c. 18 et 19 (P L 32, 1266 et sqq.). Ut iam dictum est, hoc loco communiter assignatur initium cap. I. dist. XXVII. S. Thom. in *Comment.* eandem divisionem habet, sicut S. Bonav. [2] Psalm. 118, 121; Aug., *Enarrat Serm.* 26, n. 1 (P L 37, 1576). [3] Cap. 2, 8; cfr. ibi Glossa interlinearis. [4] Cap. 9 n. 15 (P L 44, 209)*.

Cap. VI.

De gratia quae liberat voluntatem, si virtus est, vel non.

Si igitur gratia, quae sanat et liberat voluntatem hominis vir- 244
tus est, vel una vel plures; cum [a] ipsa gratia non sit ex arbitrio voluntatis, sed eam potius sanet ac praeparet, ut bona sit, consequitur, ut virtus [b] non sit ex libero arbitrio, et ita non sit motus vel affectus mentis, cum omnis motus vel affectus mentis sit ex libero arbitrio, sed bonus ex gratia et libero arbitrio, malus vero ex libero arbitrio tantum.

Ut enim ait Augustinus in I libro *Retractationum* [1]: « Homo sponte et libero arbitrio cadere potuit, non etiam resurgere ».

Item [c] in libro *De duabus animabus* [2]: « Animae si libero ad faciendum et non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, earum peccatum tenere non possumus ».

Hic aperte ostenditur, quod motus animi, sive ad bonum sive ad malum, ex libero arbitrio est. Ideoque, si gratia vel virtus motus mentis est, ex libero arbitrio est; si vero ex libero arbitrio [d] vel ex parte est, iam Deus non solus sine homine eam [e] facit. Propterea quidam [3] non inerudite tradunt, virtutem esse bonam mentis qualitatem sive formam, quae animam informat; et ipsa non est motus vel affectus animi, sed ea liberum arbitrium iuvatur, ut ad bonum moveatur et erigatur; et ita ex virtute et libero arbitrio nascitur bonus motus vel affectus animi, et exinde bonum opus procedit exterius. Sicut pluvia rigatur terra, ut germinet et fructum faciat; nec pluvia est terra nec germen nec fructus; nec terra germen vel fructus; nec germen fructus; ita gratis terrae mentis nostrae, id est libero [f] arbitrio voluntatis, infunditur pluvia divinae benedictionis, id est, inspiratur gratia — quod solus Deus facit, non homo cum eo [g] — qua rigatur voluntas ho-

---

[a] V *sed.* [b] Z om. [c] Ed. *Idem.* [d] V add. *est.* [e] D *id.* [f] Ita U C; ed. om. [g] B om.

---

[1] Cap. 9, n. 6 (P L 32, 598); II. *De lib. arb.* c. 20, n. 54 (P L 32, 1269); *De dono persev.* c. 11, n. 27 (P L 45, 1008). [2] Cap. 12, n. 17 (P L 42, 107), et I. *Retract.* c. 15, n. 6 (P L 32, 610). [3] Cfr. Hugo, I. *De Sacram.* p. 6, c. 17 (P L 176, 273 et seq.).

minis, ut germinet et fructificet; id est, sanatur et praeparatur, ut bonum velit, secundum quod dicitur operans; et iuvatur ut bonum faciat, secundum quod dicitur cooperans. Et illa gratia virtus non incongrue nominatur, quia voluntatem hominis infirmam sanat et adiuvat.

Cap. VII.

Quomodo ex gratia incipiunt bona merita, et de qua gratia hic intelligatur.

245 Cum ergo ex gratia dicuntur esse bona merita et incipere, aut intelligitur gratia gratis dans, id est Deus, vel potius [a] gratia gratis data, quae voluntatem hominis praevenit: non enim magnum esset si haec a Deo dicerentur esse, a quo sunt omnia. Sed potius eius gratia gratis data intelligitur, ex qua incipiunt bona merita, quae cum ex sola gratia esse dicantur, non excluditur liberum arbitrium, quia nullum est meritum in homine, quod non sit per liberum arbitrium. Sed in bonis merendis causae principalitas [b] gratiae attribuitur; quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium et sanatur, atque adiuvatur [c] voluntas hominis, ut sit bona.

Cap. VIII.

Quod bona voluntas gratia principaliter est.

246 Quae ipsa etiam donum Dei est, et hominis meritum, immo gratiae, quia ex gratia principaliter est, et gratia est.

Unde Augustinus *Ad Sixtum presbyterum* [1]: « Quid est meritum hominis ante gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis facit nisi gratia »?

Ex gratia enim, ut dictum [d] est, quae praevenit et sanat arbitrium hominis, et ex [e] ipso arbitrio procreatur in anima [f] bonus affectus sive bonus motus mentis; et hoc est primum bonum hominis meritum. Sicut, verbi gratia, ex fide [g] virtute et hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus et remunerabilis,

---

[a] U add. *eius.* [b] V *principalitatis.* [c] Ita U; ed. *iuvatur.* [d] D *praedictum.* [e] V *in.* [f] Ed. add. *hominis.* [g] Ed. *fidei.*

---

[1] Epist. 194, c. 5, n. 19 (PL 33, 880).

scilicet ipsum credere; ita ex caritate et libero arbitrio alius quidam motus provenit, scilicet diligere, bonus valde; sic de ceteris virtutibus intelligendum est. Et isti boni motus vel affectus merita sunt et dona Dei [a], quibus meremur et ipsorum augmentationem et alia, quae consequenter hic et in futuro nobis apponuntur.

Cap. IX.

Qua ratione dicitur fides mereri iustificationem.

Cum ergo fides dicitur mereri [1] iustificationem et vitam aeter- 247
nam, ex ea ratione dictum accipitur, quia per actum fidei meretur illa. Similiter de caritate et de [b] iustitia et de aliis accipitur. Si enim fides [c] ipsa, virtus praeveniens, diceretur mentis actus esse, qui est meritum, iam ipsa ex libero arbitrio originem haberet; quod quia non est, sic dicitur esse meritum, quia actus eius est meritum, si tamen adsit caritas, sine qua nec credere nec sperare est meritum vitae. Unde apparet vere, quia caritas est Spiritus sanctus, quae animae qualitates informat et sanctificat, ut eis anima informetur et sanctificetur, sine qua animae qualitas non dicitur virtus, quia non valet sanare animam.

Cap. X.

De muneribus virtutum, et de gratia, quae non est, sed facit meritum.

Ex muneribus vel actibus [d] itaque virtutum boni sumus et 248
iuste vivimus; et ex gratia, quae non est meritum, sed facit, non tamen sine libero arbitrio, proveniunt merita nostra, scilicet boni affectus eorumque progressus atque bona opera, quae Deus remunerat in nobis, et haec ipsa sunt Dei dona.

---

[a] B D *de.* [b] Ed. om. [c] A add. *scilicet.* [d] Ita U, quod Z confirmat legendo *Ex actibus et muneribus;* ed. om. *vel actibus.* Erf. advertit: *Alii habent:* ex actibus itaque et muneribus; *ut actus sumatur pro usu, munus pro habitu.*

[1] Erf. annotat: *Supra dist. 26. cap.* Itaque bona *etc. Huic sententiae Magistri satis concordat Gandulph. III. c. 114; sed tamen in fine probat, quod fides meretur, per Glossam Rom. 12: Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei; et est in Glossa ibid. i. e. ea ratione, quod Deus dedit unicuique divisim dona mensurata, quae fides meretur; et patet exponendo sic: quae dona fides meretur i. e. ex fide sunt nobis dona, quibus meremur.*

Unde Augustinus *Ad Sixtum presbyterum* [1]: « Cum coronat [a] merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua. Unde vita aeterna, quae in fine a Deo meritis praecedentibus redditur — quia et eadem merita, quibus redditur [b] non a nobis sunt, sed in nobis facta sunt per gratiam — recte et ipsa vita [c] gratia nuncupatur, quia gratis datur. Nec ideo gratis, quia non meritis datur, sed quia data sunt per gratiam et ipsa merita, quibus datur ».

Ex praemissis iam innotescere nobis aliquatenus potest, qualiter gratia praeveniens meretur augeri, et alia; et quid ipsa sit, an virtus, an aliud; et si virtus [d] sit actus, vel non. Ostensum est enim supra [2] ex parte quorundam, quod ipsa est virtus, et virtus non est actus, sed eius causa, non tamen sine libero arbitrio.

Unde quod supra [3] Augustinus dixit, bonum usum liberi arbitrii esse virtutem, ita accipi potest, id est, actum virtutis; alioquin sibi contradicere videretur, qui etiam opus virtutis supra dixit esse [e] bonum usum eorum, quibus non bene uti possumus, in quibus posuit liberum arbitrium. Si vero bonus usus liberi arbitrii opus virtutis est, iam virtus non est. Cum ergo bonum usum eius virtutem esse dixit, nomine virtutis, ipsius usum significavit.

Cap. XI.

Quod idem est usus virtutis et liberi arbitrii, sed virtutis principaliter.

249 Idem nempe usus bonus ex virtute est et ex libero arbitrio, sed ex virtute principaliter; et bonus ille usus in magnis bonis annumerandus est. Illa autem gratia praeveniens, quae et virtus est, non usus liberi arbitrii est, sed ex ea [f] potius est bonus usus liberi arbitrii; quae nobis est a [g] Deo, non a nobis. Usus vero bonus arbitrii et ex Deo est et ex nobis; et ideo bonum meritum est: ibi enim solus Deus operatur, hic Deus et homo.

Hoc meritum ex illa purissima [h] gratia provenit; quod Apostolus [4] notavit dicens: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius*

[a] Ed. add. *Deus.* [b] V om. *quia e. e. m. q. redditur.* [c] D om. *vita,* quod in U est add. interl. [d] Ed. add. *an.* [e] D om. [f] D *gratia.* [g] D *ex.* [h] D *praemissa.*

[1] Epist. 194, c. 5, n. 19 (PL 33, 880); *In Ioan.* tract. 3, n. 10 (PL 35, 1400); *De correct. et gratia,* c. 13, n. 41 (PL 44, 941). Est etiam in Glossa ad Rom. 6, 23. [2] Hic c. 5 et sqq. [3] Hic c. 3 et 4. [4] Epist. I. Cor. 15, 10.

in me vacua non fuit. Super quem locum Augustinus ita ait [1]: « Recte gratiam nominat; primum enim solam gratiam dat Deus, et non nisi gratiam [a], cum non praecedunt nisi mala merita; sed post per gratiam incipiunt bona merita. Et ut ostenderet etiam liberum arbitrium, addit: *Et gratia eius in me vacua non fuit.* Et ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur aliquid boni posse, subdit: *Non autem* [b] *ego,* solus scilicet sine gratia, *sed gratia Dei mecum,* id est cum libero arbitrio ». Plane cum data fuerit gratia, incipiunt esse nostra merita bona, per illam tamen; quia si [c] illa defuerit, cadit homo.

Cap. XII.

Quidam putant virtutes bonos usus esse liberi arbitrii, id est actus mentis.

Alii vero dicunt, virtutes esse bonos usus naturalium [d] potentia- 250
rum, non tamen omnes, sed tantummodo interiores, qui in mente sunt; exteriores vero, qui per corpus geruntur, non virtutes esse dicunt, sed opera virtutum. Et ideo quod Augustinus dicit, « opus virtutis esse bonum usum naturalium potentiarum », de usu exteriori accipiunt; quod vero [e] dicit, « bonum usum liberi arbitrii virtutem esse, et in magnis numerari bonis », de usu interiori intelligunt. Et virtutes nihil aliud esse quam bonos affectus [f] vel motus mentis asserunt, quos Deus in homine facit, non homo; quia licet illi motus sint liberi arbitrii, non tamen esse queunt, nisi Deus ipsum liberet et adiuvet gratia sua operante et cooperante; quam Dei gratuitam voluntatem accipiunt, quia Deus est, qui et operatur in nobis velle et operari bonum.

Quod autem virtutes sint motus mentis, testimoniis Sanctorum 251
astruunt.

Dicit enim Augustinus *Super Ioannem* [2]: « Quid est fides? Credere quod non vides ». Credere autem motus mentis est.

Idem in libro III *De doctrina christiana* [3]: « Caritatem autem voco motum animi ». Si vero caritas et fides motus animi sunt, virtutes ergo motus animi sunt.

[a] ita omnes codd.; ed. *gratis.* [b] D om. [c] Z *cum.* [d] V B add. *virtutum,* quod in U est corr. interl. pro *potentiarum.* [e] Z om. [f] V add. *mentis.*

[1] *De gratia et lib. arb.* c. 5, n. 12 (P L 44, 889); *De corrept. et gratia,* loc. cit. [2] Tract. 40, n. 9 (P L 35, 1690). [3] Cap. 10, n. 16 (P L 34, 72).

252 Quibus alii respondentes, praemissa verba Augustini ita intelligenda fore inquiunt: « Fides est credere quod non vides », id est, fides est virtus, qua creditur quod non videtur. Item: « Caritas est motus animi », id est gratia, qua movetur animus ad diligendum.

Et quod haec et his similia ita accipienda sint, ex his conii-citur, quae alibi Augustinus ait.

Nam in II libro *Quaestionum Evangelii* [1] inquit: « Est fides, qua creduntur ea quae non videntur, quae proprie dicitur fides ».

Item, in XIII libro *De Trinitate* [2]: « Alia [a] sunt ea quae creduntur, aliud est fides, qua creduntur ».

Ex quibus verbis sic argumentando procedunt: Aliud est credere, aliud illud quo creditur; praedictum est autem, fidem esse id quo creditur; sic igitur credere non est fides, quia credere non est id quo creditur.

Addunt quoque: Virtus opus Dei tantum est, quam ipse solus facit in nobis; ipsa ergo non est usus vel actus liberi arbitrii; sed credere est actus liberi arbitrii; non est itaque virtus.

Praemissis aliisque rationibus ac testimoniis innituntur utrique. Horum autem iudicium diligentis lectoris relinquo examini, ad alia properans.

DISTINCTIO XXVIII.

Cap. I–II.

De haeresi Pelagiana [b].

253 Id vero inconcusse et incunctanter teneamus, liberum arbitrium sine gratia praeveniente et adiuvante non sufficere ad iustitiam et salutem obtinendam; nec meritis praecedentibus gratiam Dei advocari, sicut Pelagiana haeresis tradidit.

Nam, ut Augustinus ait in I libro *Retractationum* [3]: « Novi haeretici Pelagiani liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, ut gratiae Dei non relinquant locum [c], quam secundum merita nostra dari asserunt ».

---

[a] Ed. *aliud.* [b] Codices sequendo, cc. 1 et 2 coniungimus. [c] D *relinquatur locus,* pro *r. l.*

---

[1] Quaest. 39, n. 1 (PL 35, 1352). [2] Cap. 2, n. 5 (PL 42, 1017). [3] Cap. 9, n. 3 (PL 32, 595).

[Cap. II]. « Pelagianorum haeresis omnium recentissima a Pe- 254
lagio monacho est exorta. Hi Dei gratiae, qua praedestinati sumus, et qua mernimus de *potestate tenebrarum erui* [1], in tantum inimici sunt, ut sine hac credant hominem posse facere omnia divina mandata. Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratiae Dei ad eius mandata facienda; non eam libero arbitrio praeponebat, sed infideli calliditate supponebat, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quae facere per liberum arbitrium iubentur, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique « facilius possint », voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia facere iussa divina. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis praecedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ipso ad hoc tamen [a] iuvante nos per suam legem atque doctrinam, ut discamus, quae facere et quae sperare debeamus; non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quae didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus dari nobis scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur; caritatem autem negant divinitus dari, qua pie vivitur, ut scilicet sit donum Dei *scientia* quae sine caritate *inflat;* et non sit donum Dei ipsa *caritas,* quae, ut scientia non inflet, *aedificat* [2]. Destruunt etiam orationes, quas facit Ecclesia sive pro infidelibus et doctrinae Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum; sive pro fidelibus, ut augeatur eis fides, et perseverent in ea [b]. Haec quippe non ab ipso accipere, sed a se ipsis homines habere contendunt gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicentes secundum merita nostra dari. Parvulos etiam sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci [3] ».

Cap. III.

Quomodo Augustinus illa verba determinat in Retractationibus.

Quod vero dicunt, sine gratia hominem per liberum arbitrium 255
omnia iussa implere, huiusmodi inductionibus muniunt.

---

[a] Ed. *tantum.* [b] Z *eo.*

---

[1] Respicitur Coloss. 1, 13. [2] Respicitur I. Cor. 8, 1. [3] August., *De haeresibus ad Quodvultdeum,* n. 88 (P L 42, 47); et *Epist.* 177. *Ad Innocentium Papam* (P L 33, 764 et sqq.) *.

Si, inquiunt, ea non potest facere homo quae iubentur, non est ei imputandum [a] ad mortem, sicut tu ipse, Augustine, in libro *De libero arbitrio* [1] asseris: « Quis [b], inquis, peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem; caveri igitur potest ».

Hoc testimonio Augustini Pelagius usus est, disputans adversus eum, immo [c] adversus gratiam, sicut Augustinus in libro *Retractationum* [2], illud et alia huiusmodi retractans, commemorat inquiens: « In iis atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani suam nos tenuisse sententiam; sed frustra hoc putant. Voluntas quippe est [d], qua peccatur et recte vivitur, quod his verbis egimus; sed ipsa, nisi Dei gratia liberetur, et ut vitia superet, adiuvetur, recte a mortalibus vivi non potest ». Ecce aperte determinat, ex quo sensu illa dixerit, inimicos gratiae refellens.

256 Similiter etiam [e] innitebatur Pelagius verbis Augustini contra gratiam, quae [f] in libro *De duabus animabus* [3] dicit: « Peccati, inquit, reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summae iniquitatis et insaniae est ». His auditis, exiliit Pelagius dicens: Cur ergo parvuli et illi qui non habent gratiam, sine qua non possunt facere mandata divina, tenentur rei?

Hoc autem qua occasione dixerit, in libro *Retractationum* [4], Pelagio respondens aperit. Id enim contra Manichaeos dixit, qui in homine duas naturas esse contendunt, unam bonam ex Deo, alteram malam ex gente tenebrarum, quae nunquam bona fuit, nec bonum velle potest; quod si esset, non videretur ei imputandum esse, si non bonum faceret.

257 Alibi etiam Augustinus dicit quae [g] huic gratiae contradicere videntur [h], qua iustificamur. Ait enim [i] in libro *Contra Adimantum* [k] Manichaei discipulum [5]: « Nisi quisque voluntatem suam [l] mutaverit, bonum operari non potest; quod in nostra potestate esse positum Dominus docet, ubi ait [m] [6]: *Aut facite arborem bo-*

---

[a] D add. *usque.* [b] D *quisquis.* [c] D *id est.* [d] D add. *in.* [e] Ed. *et;* Z A *autem.* [f] Ed. cum D *qui.* [g] Ed. cum D *quod.* [h] Ed. *videtur.* [i] V om. [k] Codd. (exc. B post corr.) *Adamantum,* sed erronee. [l] Z om. [m] D *dicens,* pro *ubi ait.*

---

[1] Libr. III, c. 18, n 50 (PL 32, 1295); I. *Retract.* c. 9, n. 5 (PL 32, 597); *De natura et gratia,* c. 67, n. 80 (PL 44, 286). [2] Loc. cit. n. 4. [3] Cap. 12, n. 17 (PL 42, 107). [4] Lib. I, c. 15, n. 6 (PL 32, 610). [5] Cap. 26 (PL 42, 169). [6] Matth. 12, 33.

nam [a], etc. ». Quod Augustinus in *Retractationibus* [1] « non esse contra gratiam Dei, quam praedicamus », ostendit. « In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est [2]: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Cum enim hoc sit in potestate [b], quod cum volumus, facimus, nihil tam [c] in potestate, quam ipsa voluntas est; sed praeparatur voluntas a Domino; eo ergo modo dat potestatem ».

Sic etiam intelligendum est [d] quod in eodem [3] ait, scilicet, in nostra potestate esse, ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi [e] eius severitate mereamur; quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem, quae cum praeparatur a Domino, facile fit opus pietatis, quod etiam impossibile et difficile fuit.

In *Expositione* quoque *quarundam propositionum Epistolae ad Romanos* [4], quaedam Augustinus interserit, quae videntur huic doctrinae gratiae adversari. Ait enim: « Quod credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum ». Et paulo post [5]: « Nostrum est credere et velle; illius autem dare credentibus et volentibus facultatem bene [f] operandi per Spiritum sanctum ».

Quae qualiter intelligi debeant, Augustinus in libro *Retractationum* aperit dicens [6]: « Verum est quidem, a Deo esse quod operamur bonum, sed eadem regula utrinsque est, et volendi scilicet et faciendi; et utrumque ipsius est [g], quia ipse praeparat voluntatem; et utrumque nostrum [h], quia non fit nisi volentibus nobis ». « Illa itaque profecto non dixissem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Spiritus sancti munera reperiri [7] ».

Illud etiam diligenter est inspiciendum, quod Augustinus 258
in libro *Sententiarum Prosperi* [8] ait, scilicet quod « posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, natura [i] est hominum; habere autem fidem, sicut habere caritatem, gratia [k] est fidelium ».

---

[a] Ed. add. *aut fructus eius bonos.* [b] B add. interl. *nostra.* [c] D *tamen.* [d] B om. [e] D add. *ex.* [f] V *bonum.* [g] D om. [h] Ed. add. *est.* [i] Ed. *naturae.* [k] Ed. *gratiae.*

---

[1] Libr. I, c. 22, n. 4 (PL 32, 620), ubi et sqq. [2] Ioan. 1, 12. [3] *Contra Adimant.* c. 27 (PL 42, 170), et I. *Retract.* c. 22, n. 4 (PL 32 620). [4] Num. 60 (PL 35, 2079); quod declaratur I. *Retract.* c. 23, n. 2 (PL 32, 621). [5] Ibid. n. 61. [6] I. *Retract.* c. 23, n. 3. [7] I. Retract. c. 23, n. 2. [8] Num. 316 (PL 45, 1887).

Quod non ita dictum est, tanquam ex libero arbitrio valeat haberi fides vel caritas, sed quia aptitudinem naturalem habet mens hominis ad credendum vel diligendum, quae Dei gratia praeventa credit et diligit; quod sine gratia non valet.

Cap. IV.

De haeresi Ioviniani et Manichaei, quas collidit Hieronymus.

259 Id ergo [a] de gratia et libero arbitrio indubitanter teneamus, quod Hieronymus in *Explanatione fidei catholicae ad Damasum Papam* [1], Ioviniani et Manichaei ac Pelagii errores [b] collidens docet: « Liberum, inquit, sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper indigere Dei auxilio; et tam illos errare, qui cum Manichaeo dicunt, hominem [c] peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Ioviniano asserunt, hominem non posse peccare. Uterque [d] tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus, hominem semper et peccare et non peccare posse, ut semper nos [e] liberi confiteamur esse arbitrii. Haec est fides, quam in Catholica Ecclesia didicimus, et quam semper tenuimus ».

DISTINCTIO XXIX.

Cap. I.

Utrum homo ante peccatum eguerit gratia operante et cooperante.

260 Post haec considerandum est, utrum homo ante peccatum eguerit gratia operante et cooperante.

Ad quod breviter dicimus, quia non cooperante tantum, sed etiam operante gratia [f] indigebat, non quidem secundum omnem operandi [g] modum operantis gratiae: operatur enim [h] liberando et praeparando voluntatem hominis ad bonum. Egebat itaque [i] homo ea, non ut liberaret voluntatem suam, quae peccati serva non fue-

---

[a] Z *vero.* [b] Z *errorem.* [c] D add. *scilicet mortale.* [d] Z *utrumque,* sed corr. interl. *vel uterque.* [e] Z om. [f] V om. [g] B om. [h] V add. *operando.* [i] Z *utique.*

---

[1] Circa finem ista leguntur (P L 30, 176).

rat; sed ut praepararet ad volendum efficaciter bonum, quod per se non poterat. Non enim poterat bonum mereri sine gratia, ut Augustinus in *Enchiridio* [1] evidenter tradit: « Illam, inquit, immortalitatem in qua poterat non mori, natura humana perdidit per liberum arbitrium; hanc vero, in qua non poterit mori, acceptura est per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum; quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset, quia, etsi peccatum in solo erat arbitrio constitutum, non tamen iustitiae habendae vel retinendae sufficiebat liberum arbitrium, nisi divinum praeberetur adiutorium ». Ecce his verbis satis [a] ostenditur, quod antè peccatum homo indigebat gratia operante et cooperante. Non enim habebat quo pedem movere posset sine gratiae operantis et cooperantis auxilio, habuit tamen quo poterat stare.

Cap. II.

Si homo ante lapsum virtutes habuerit.

Praeterea quaeri solet, utrum homo ante lapsum virtutem 261
habuerit.

Quibusdam videtur, quod non habuerit, id ita probare conantibus: Iustitiam, inquiunt, non habuit, quia praeceptum Dei contempsit; nec prudentiam, quia sibi non providit; nec temperantiam, quia aliena appetiit [b]; nec fortitudinem, quia pravae suggestioni cessit.

Quibus respondentes dicimus, eum quidem non tunc habuisse has virtutes, quando peccavit, sed ante, et tunc amisisse.

Quod multis Sanctorum testimoniis comprobatur. 262

Ait enim Augustinus in quadam homilia [2]: « Adam, perdita caritate, malus inventus est ».

Item [3]: « Princeps vitiorum dum vicit [c] Adam, de limo terrae ad imaginem Dei factum, pudicitia armatum, temperantia compositum, caritate splendidum, primos parentes illis donis ac tantis bonis expoliavit pariterque peremit ».

---

[a] D om. [b] D *concupivit.* [c] Ita omnes codd.; ed. *vidit.*

---

[1] Cap. 106 (PL 40, 281). [2] Serm. *De Symbolo contra Iudaeos,* etc. c. 2 (inter opera August.) (PL 42, 1117 et seq.). [3] Ibid. parum superius *.

De hoc eodem [a] Ambrosius *Ad Sabinum* [1] ait: « Quando Adam solus erat, non est praevaricatus, quia eius mens Deo adhaerebat [2] ». *Super Psalmum* [3] quoque dicit, quod « homo ante peccatum beatissimus auram carpebat aetheream ». Sed quomodo sine virtute beatissimus erat?

Augustinus quoque *Super Genesim* [4] dicit, Adam ante peccatum « spirituali mente praeditum fuisse ». Non est ergo dubitandum, hominem ante peccatum virtutibus fulsisse, sed illis per peccatum exspoliatum fuisse.

Cap. III.

De eiectione hominis de paradiso.

263 In illius quoque peccati poenam eiectus est de paradiso in istum miseriarum locum, sicut in Genesi [5] legitur: *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam et sumat de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum, emisit eum Deus de paradiso voluptatis.* His verbis insinuari videtur, quod nunquam moreretur, si postea de illo sumsisset ligno.

Cap. IV.

Quomodo intelligendum sit illud: Ne sumat de ligno vitae et vivat in aeternum.

264 Sed quia per peccatum iam mortuum corpus [6] habebat, illa verba ex tali intellectu accipi possunt: Deus, modo irati loquens, de homine superbo ait: Videte, *ne forte mittat manum suam* etc. id est, cavete, vos Angeli, ne comedat de ligno vitae, quo indignus est; de quo, si perstitisset, comederet et viveret in aeternum, sed [b] modo propter inobedientiam indignus est comedere [7]. Et sicut verbo dixit, ita opere exhibuit. « Emisit enim eum Deus de paradiso vo-

---

[a] Z om. [b] V *si*.

---

[1] Epist. 49, n. 2 (PL 16, 1154). [2] Omnia, ab initio huius cap., sunt ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 7 (PL 176, 100). [3] *In Ps. 118.* serm. 4, n. 3 (PL 15, 1241). [4] Libr. XI, c. 42, n. 60; cfr. etiam VI. c. 27, n. 38 (PL 34, 454 et 353). [5] Cap. 3, 22 et 23. Hugo hic citat August., XI. *De Gen. ad litt.* c. 40, n. 54 (PL 34, 451). [6] Respicitur Rom. 8, 10. [7] Glossa Gen. 3, 20. Cfr. Hugo, loc. cit.

luptatis in locum sibi congruum, sicut plerumque malus, cum inter bonos vivere coeperit, si in melius mutari noluerit, de bonorum congregatione pellitur, pondere pravae consuetudinis pressus [1] ».

Cap. V.

De flammeo gladio ante paradisum posito.

Ne vero posset ad illud accedere, *collocavit Deus ante paradi-* 265
sum Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitae [2]. Quod iuxta litteram potest hoc modo accipi, quia per ministerium Angelorum ignea custodia ibi constituta fuit. « Hoc enim per caelestes potestates in paradiso visibili factum esse credendum est, ut per angelicum [a] ministerium ibi esset quaedam ignea custodia; non tamen frustra, sed quia aliquid significat de paradiso spirituali [3] ». « Cherubim enim interpretatur plenitudo scientiae, haec est caritas, quia *plenitudo legis est dilectio* [4]; gladius autem flammeus poenae temporales sunt, quae versatiles sunt, quoniam tempora volubilia sunt. Illa ergo ad custodiam ligni vitae ideo posita sunt ante paradisum, quia ad vitam non reditur nisi per Cherubim, scilicet [b] plenitudinem scientiae, id est caritatem, et per gladium versatilem, id est per tolerantiam passionum temporalium [5] ».

Cap. VI.

An ante peccatum homo comederit de ligno vitae.

Potest [c] autem quaeri, utrum de ligno vitae ante peccatum 266
comederit homo.

De hoc Augustinus in libro *De baptismo parvulorum* [6] sic ait: « Recte profecto intelliguntur primi homines ante malignam diaboli persuasionem abstinuisse a cibo vetito, atque usi [d] fuisse concessis ». His verbis ostenditur, quod de ligno vitae ante

---

[a] D *angeli.* [b] U *id est.* [c] D *solet.* [d] D *uti.*

---

[1] August. II. *De Gen. contra Manich.* c. 22, n. 34 (PL 34, 213). [2] Gen. 3, 24. [3] August., XI. *De Gen. ad litt.* c. 40, n. 55 (PL 34, 452). [4] Respic. Rom. 13, 10. [5] Aug., II. *De Gen. contra Manich.* c. 23, n. 35 et 36 (PL 34, 214 et seq.). Cfr. Hugo, loc. cit. [6] Scil. II. *De peccatorum meritis et de bapt. parvul.* c. 21, n. 35 (PL 44, 172). Cfr. Hugo, loc. cit.

peccatum sumserint: quibus praeceptum erat, ut de omni ligno paradisi comederent, nisi de ligno scientiae boni et mali.

Quare ergo perpetua soliditate et beata immortalitate vestiti non sunt, ut nulla infirmitate vel aetate in deterius mutarentur? Hanc enim virtutem naturaliter illud lignum habuisse [a] dicitur.

Sed forte non hoc conferebat, nisi saepe de illo sumeretur. Potuit ergo fieri, ut de illo semel sumeret, et non saepius; qui per aliquam moram [1] in paradiso fuisse intelligitur, cum Scriptura dicat, eum ibi soporatum fuisse, quando costa de latere eius assumta [b] est, et inde formata mulier, et animalia ante eum ducta, quibus nomina imposuit.

DISTINCTIO XXX.

Cap. I.

Quod per Adam peccatum et poena transiit in posteros.

267 In superioribus [2] insinuatum est — licet ex parte, non enim perfecte sufficimus [c] — qualiter primus homo deliquerit, et quam pro peccato poenam subierit; quibus adiiciendum est, peccatum simul ac poenam per eum transisse in posteros, sicut Apostolus ostendit inquiens [3]: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, ita et* [d] *in omnes homines mors pertransiit.*

Cap. II–III [e].

Utrum illud peccatum quod transit, fuerit originale vel actuale.

268 Hic primo videndum est, quod fuerit illud peccatum, originale scilicet, an actuale; et si de originali intelligatur, consequenter,

---

[a] D *habere.* [b] B C *sumta.* [c] Ed. add. *exponere.* [d] Ed. cum V om. [e] Stando codicibus, cc. 2 et 3 coniungimus. Item infra melius visum est, cc. 4 et 5 coniunctim ponere.

---

[1] Erf. haec annotat: *Quia per sex horas, per septem horas dicitur in historiis* [Comestoris *Historia scholastica, Lib. Genes.* c. 24 (PL 198, 1075)]. [2] Dist. XXI et XXV. [3] Rom. 5, 12. Cfr. Abael. II. *Expos. in Ep. ad Rom.* (PL 178, 861).

quid [a] sit originale peccatum, et quare dicatur originale, et quomodo pertransierit [b] vel pertranseat in omnes, diligenter investigandum est.

[Cap. III]. Quibusdam placuit de peccato actuali Adae illud ac- 269
cipere, asserentibus, hoc Apostolum [1] sensisse, cum inferius ait: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita,* etc. Evidenter, inquiunt, etiam ipso nomine exprimit Apostolus peccatum, quod per *unum hominem intravit in mundum,* scilicet inobedientiam; inobedientia vero peccatum actuale est.

Cap. IV–V.

Quomodo assignant, illud intrasse in mundum.

Hoc autem dicunt intrasse in mundum non traductione origi- 270
nis, sed similitudine praevaricationis; omnesque [c] in illo uno peccasse dicunt, quia omnibus ille unus peccandi exemplum exstitit.

Hoc male senserunt quidam haeretici, qui dicti sunt Pelagiani, de quibus Augustinus in libro *De baptismo parvulorum* [2] commemorat dicens: « Sciendum est, inquit [d], haereticos quosdam, qui nominati sunt Pelagiani, dixisse, peccatum primae transgressionis in alios homines non propagatione, sed imitatione [e] transisse. Unde etiam [f] in parvulis nolunt credere per baptismum solvi originale peccatum, quod in nascentibus nullum esse omnino contendunt. Sed eis dicitur, quia, si Apostolus peccatum imitationis, non propagationis intelligi voluisset, eius principem non Adam, sed diabolum diceret, de quo in libro Sapientiae [3] dicitur: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Et quia non vult intelligi hoc esse factum [g] propagatione, sed imitatione, continuo subiunxit Scriptura [4]: *Imitantur autem* [h] *eum qui sunt ex parte ipsius.* Imitantur quidem Adam quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei [i]; sed aliud est quod exemplum est voluntate peccantibus; aliud, quod origo est cum peccato nascentibus ».

---

[a] D *quidem;* Z om. *sit.* [b] Z *transierit.* [c] D *omnes enim.* [d] Ed. om. [e] V *mutatione,* quod saepius infra pro *imitatione* habet. [f] V om. [g] B add. *in.* [h] Z *quidem.* [i] V om.

---

[1] Rom. 5, 19. [2] Libr. I, c. 9, n. 9 (PL 44, 114)*; et *Serm.* 294, c. 14; et c. 15, n. 15 (PL 38, 1344). [3] Cap. 2, 24. [4] Ibid. v. 25.

Non est igitur accipiendum, peccatum Adae transisse in omnes imitationis tantum exemplo, sed [a] propagationis et originis vitio.

271 [Cap. V]. Et illud est peccatum originale, ut aperte Augustinus [1] testatur, quod per Adam transivit in omnes per eius carnem vitiatam concupiscentialiter [b] generatos.

Cap. VI.

Quid sit originale peccatum.

272 Quod diligenter investigandum est, quid sit [2].

De hoc enim sancti doctores subobscure locuti sunt, atque scholastici lectores [c] varie senserunt.

Quidam enim putant, originale peccatum esse reatum poenae pro peccato primi hominis, id est debitum vel obnoxietatem, qua obnoxii et addicti sumus poenae temporali et aeternae, pro primi hominis actuali peccato: quia pro illo, ut aiunt, omnibus debetur poena aeterna, nisi per gratiam liberentur.

Iuxta horum sententiam oportet dici, originale peccatum nec culpam esse, nec poenam. Culpam non esse ipsi fatentur; poena quoque secundum eos esse non potest, quia, si debitum poenae originale peccatum est, cum debitum poenae non sit poena, nec originale peccatum est poena. Quod etiam quidam eorum admittunt dicentes, in Scriptura originale peccatum saepe nominari [d] reatum; et reatum ibi intelligunt, ut dictum est, obnoxietatem poenae; et ea ratione asserunt peccatum originale dici esse in parvulis, quia parvuli pro illo primo peccato rei sunt poenae; sicut pro peccato iniqui parentis aliquando exulant filii secundum iustitiam fori.

Cap. VII.

Quod originale peccatum est culpa.

273 Sed quod originale peccatum culpa sit, pluribus Sanctorum testimoniis edocetur.

---

[a] Z add. *etiam.* [b] U *concupiscibilitcr,* quod saepius infra pro *concupiscentialiter* habet. [c] Ed. cum V B *doctores.* [d] D add. *peccatum et.*

---

[1] Libr. XIII. *De Trin.* c. 16, n. 21 (PL 42, 1031). [2] Plura in hoc capitulo sumta sunt ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 11 (PL 176, 106).

Super Exodum [a] [1], ubi dicitur: *Primogenitum asini mutabis ove,* Gregorius ait: « Omnes in peccatis nati sumus, et ex carnis delectatione concepti, culpam originalem nobis contraximus [b], unde et voluntate nostra peccatis implicamur ». Ecce culpam originalem dicit nos trahere; unde constat, originale peccatum culpam esse.

Augustinus quoque in libro *De natura et gratia* [2] de hoc eodem sic ait: « *Omnes* [c], ut ait Apostolus, *peccaverunt;* utique vel in se ipsis, vel in Adam, quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter attraxerunt [d], vel quod malis moribus addiderunt ». « Peccatum enim primi hominis non solum ipsum, sed omne nocuit genus humanum, quia ex eo damnationem simul et culpam suscepimus [3] ».

Idem *Super Psalmum* [e] *50* [4]: « Quod de corpore mortuo seminatur, cum vinculo peccati originalis nascitur et mortis.

« Ideo igitur se in iniquitatibus conceptum [f] dicit David, quia in omnibus trahitur iniquitas ex Adam et vinculum mortis; nemo enim nascitur, nisi trahens poenam et meritum poenae; meritum autem poenae peccatum est; omnis ergo, qui nascitur per carnis concupiscentiam, peccatum trahit. Peccatum itaque [g] originale culpa est, quam omnes concupiscentialiter concepti trahunt ».

Unde in *Ecclesiasticis dogmatibus* [5] scriptum est: « Firmissime tene [h] et nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subiectum, et ob hoc natura irae nasci filium [6], a qua nullus liberatur, nisi per fidem *Mediatoris Dei et hominum* [7] ».

His aliisque auctoritatibus evidenter ostenditur, peccatum originale culpam esse, et in omnibus concupiscentialiter genitis trahi [i] a parentibus.

---

[a] Ed. *Exodo.* [b] A C *nobiscum traximus,* pro *n. c.* [c] D add. *enim.* [d] A *contraxerunt.* [e] Ed. *Psalmo.* [f] Z *conceptus sum.* [g] Z *utique.* [h] D om. [i] Z om.

---

[1] Cap. 13, 13. Est S. Paterii, *Expos. sup. Exod.* c. 20 (PL 79, 731); in Glossa apud Lyranum. [2] Cap. 4, n. 4 (PL 44, 250)*. [3] Aug. II. *Hypognostic.* c. 4, n. 4 (PL 45, 1620). [4] *Enarrat.* in hunc Ps. n. 10 (PL 36, 1592); apud Lyranum v. 7. [5] Revera est *De fide ad Petrum,* c. 26, n. 69 (PL 40, 774). Cfr. Abael., II. *Expos. in Ep. ad Rom.* (PL 178, 868). [6] Respic. Eph. 2, 3. [7] Respic. I. Tim. 2, 5.

Cap. VIII.

Quod originale peccatum dicitur fomes peccati, id est concupiscentia.

274 Nunc superest videre, quid sit ipsum originale peccatum, quod cum non sit actuale, non est actus sive motus animae vel corporis. Si enim actus est animae vel corporis, actuale utique peccatum est; sed actuale non est; non est igitur actus vel motus. Quid igitur originale peccatum dicitur?

Fomes peccati, scilicet concupiscentia vel concupiscibilitas, quae dicitur lex membrorum, sive languor naturae, sive tyrannus, qui est in membris nostris, sive lex carnis.

Unde Augustinus in libro *De baptismo parvulorum* [1]: « Est in nobis concupiscentia, quae non est permittenda regnare. Sunt et eius desideria, quae sunt actuales concupiscentiae, quae sunt arma diaboli, quae veniunt ex languore naturae ». « Languor autem iste [a] tyrannus est, qui movet mala desideria. Si ergo vis esse victor tyranni atque inermem inimicum invenire, non obedias concupiscentiae malae [2] ».

Ilis verbis satis ostenditur, fomitem peccati esse concupiscentiam.

Cap. IX–X [b].

Quid nomine concupiscentiae intelligitur, quae fomes est peccati.

275 Nomine autem concupiscentiae non actum concupiscendi, sed vitium primum significavit [c], cum eam dixit legem carnis.

Unde idem in [d] tractatu *De verbis Apostoli* [3] ait: « Semper pugna est in corpore mortis huius, quia ipsa concupiscentia, cum qua nati sumus, finiri non potest, quamdiu vivimus; quotidie minui potest, finiri non potest ».

---

[a] Z add. *naturae.* [b] Stando codicibus, cc. 9 et 10 coniungimus. [c] D *significamus;* D om. *cum e. d. l. carnis.* [d] D om.

---

[1] Potius *De continentia* c. 3, n. 8 (PL 40, 354). [2] Aug. *Serm.* 30, c. 5, n. 6 (PL 38, 190). [3] Aug., *Serm.* 151, c. 5, n. 5 (PL 38, 817).

Quae est autem concupiscentia, cum qua nati sumus? Vitium utique est, quod parvulum habilem concupiscere [a] facit, adultum etiam concupiscentem reddit.

« Sicut enim in oculo caeci in nocte vitium caecitatis est, sed non apparet, nec discernitur inter videntem et caecum, nisi luce veniente; sic in puero vitium esse non apparet, donec aetatis provectioris [b] tempus occurrat [1] ».

[Cap. X]. Ex his datur intelligi, quid sit originale peccatum, 276
scilicet vitium concupiscentiae, quod in omnes concupiscentialiter natos, per Adam intravit, eosque vitiavit [c].

Unde Augustinus in libro *De baptismo parvulorum* [2]: « Adam praeter imitationis exemplum occulta etiam tabe carnalis concupiscentiae suae tabificavit in se omnes de sua stirpe venturos. Unde Apostolus recte ait [3]: *In quo omnes peccaverunt.* Circumspecte et sine ambiguitate dicit hoc Apostolus; sive enim intelligatur, *in quo* homine, sive *in quo* peccato, sanum est ».

« In Adam enim omnes peccaverunt ut in materia, non solum eius exemplo, ut dicunt Pelagiani. Omnes enim ille unus homo fuerant, id est, in eo materialiter erant [4] ». « Manifestum est itaque omnes in Adam peccasse quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus quos genuit, omnes nati sunt sub peccato; ex eo igitur [d] constituti sunt peccatores ». Ita et in illo uno peccato, quod intravit in mundum, recte omnes dicuntur peccasse; quia, sicut ab illo uno homine, sic ab eodem uno peccato immunes esse non possunt, nisi ab eius reatu per Christi baptismum absolvantur. « Alia ergo sunt propria peccata, in quibus tantum peccant quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, id est, ex quo omnes peccatores constituti sunt [5] ».

---

[a] B *concupiscentiae.* [b] Ed. *provectior.* [c] B *maculavit;* V C *commaculavit.* [d] Ita U Z D; ed. add. *cuncti.*

---

[1] Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 11 (P L 176, 107). [2] Libr. I. *De peccator. meritis... et bapt. parvul.* c. 9, n. 10; et c. 10, n. 11 (P L 44, 115 et seq.) *. [3] Rom. 5, 12. [4] Est in Glossa ad Rom. 5, 12, sicut etiam seq locus. Haec et quae sequuntur secundum sententiam inveniuntur apud August., loc. cit. cc. 11 et 12. [5] August., l. *De peccator. meritis et remiss.* c. 10, n. 11 (P L 44, 116). Cfr. Abael. loc. cit.

Cap. XI–XIV [a].

An sit peccatum originale, in quo omnes peccaverunt.

277 Hoc est originale peccatum, quo peccatores nascuntur omnes concupiscentialiter geniti, quod ex Adam sive ex eius inobedientia emanavit, et in posteros demigravit.

Unde Apostolus [1] consequenter *per inobedientiam unius hominis multos* dicit *constitutos esse peccatores,* quae est actuale peccatum; cum ante [b] dixerit, *per unum hominem peccatum intrasse in mundum,* et *in eo omnes peccasse,* quod de originali [c] dictum est oportere accipi.

278 [Cap. XII]. Quod ergo ait: *Per inobedientiam unius multi constituti sunt peccatores,* eo sensu dictum esse intelligendum est, quia ex inobedientia Adae, scilicet ex peccato actuali Adae, processit originale peccatum, quo omnes peccatores nascuntur, ut et in illo esset, et in omnes transiret.

279 [Cap. XIII]. Unde Augustinus [2] Iuliano haeretico, nullum peccatum in parvulis esse contendenti, respondens, aperte [d] asserit, peccatum originale ex voluntate Adae processisse, ac per eius inobedientiam in mundum intrasse. Quaerit enim Iulianus: Per quid peccatum invenitur in parvulo, ita inquiens: « Non peccat iste qui nascitur; non peccat ille qui genuit; non peccat ille qui condidit. Per quas igitur rimas, inter tot praesidia innocentiae, peccatum fingis ingressum? Et [e] respondet sancta Pagina: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum* [f]; *per unius inobedientiam,* ait Apostolus. Quid quaerit amplius, quid quaerit apertius [g]? Item inquit Iulianus: Si per hominem [h] peccatum intravit in mundum, peccatum vel ex voluntate vel ex natura est. Si ex voluntate est, mala est voluntas, quae peccatum facit; si autem ex natura est, mala est natura. Cui respondeo: Ex voluntate peccatum est. Quaerit forte, utrum originale peccatum ex voluntate sit. Respondeo, prorsus et

[a] Ob intimam connexionem textus, coniungimus cc. 11-14 [b] Ita U V Z; ed. *autem.* [c] U add. interl. *peccato.* [d] V B om. [e] Z *ei.* [f] D add. *id est.* [g] U *perfectius,* sed corr. interl. *vel apertius.* [h] Z add. *unum;* D om. *peccatum.*

[1] Epist. ad Rom. 5, 19. Cfr. Abael., loc. cit. [2] Libr. II. *De nuptiis et concupiscentia,* c. 28, n. 47 et 48 (PL 44, 464).

originale peccatum ex voluntate esse, quia hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut in illo esset, et in omnes transiret ».

« Ad hoc autem, quod diximus, in Adam fuisse omnes homi- 280
nes, quidam verborum sectatores [1] sic obiiciunt dicentes: Non omnis caro, quae ab Adam traducta est, in eo simul [a] existere potuit; quia multo maioris quantitatis est, quam fuerit corpus Adae; in quo etiam nec tot atomi fuerunt, quot ab eo homines descenderunt. Quocirca verum non esse asserunt, substantiam uniuscuiusque in primo fuisse parente [2] ».

[Cap. XIV]. Quibus responderi potest, quod materialiter atque 281
causaliter [b], non formaliter, dicitur fuisse in primo homine omne quod in humanis corporibus naturaliter est, descenditque a primo parente lege propagationis, et in se actum et multiplicatum est, nulla exteriori substantia in id transeunte, et ipsum in futuro resurget. Fomentum quidem habet a cibis, sed non convertuntur cibi in humanam substantiam, quae scilicet per propagationem [c] descendit ab Adam [3]. Transmisit enim Adam modicum quid de substantia sua in corpora filiorum, quando eos procreavit, id est, aliquid modicum de massa substantiae eius divisum est, et inde formatum corpus filii, suique multiplicatione sine rei extrinsecae adiectione auctum est; et de illo ita augmentato aliquid itidem [d] separatur, unde formantur posterorum corpora; et ita progreditur procreationis ordo lege propagationis usque ad finem humani generis. Itaque diligenter ac perspicue intelligentibus patet, omnes secundum corpora in Adam fuisse per seminalem rationem, et ex eo descendisse propagationis lege.

Cap. XV.

Quod nihil extrinsecum convertatur in humanam substantiam, quae ex Adam est.

Quod vero nihil extrinsecum in humani corporis naturam 282
transeat, Veritas in Evangelio [4] significat dicens: *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur.*

---

[a] D *semel.* [b] D *carnaliter.* [c] D *propagatione*, om. *per.* [d] Ed. cum D *inde.*

---

[1] Respic. Prov. 19, 7. [2] Haec et multa, quae sequuntur, sunt ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 10 (P L 176, 105 et seq.). [3] Haec sententia Magistri et Hugonis, communiter non tenetur. [4] Matth. 15, 17.

« Quod etiam ratione ostendi potest hoc modo: Puer, qui statim post ortum moritur, in illa statura resurget, quam habiturus erat si viveret usque ad aetatem triginta annorum, nullo vitio corporis impeditus. Unde ergo illa substantia, quae adeo parva fuit in ortu [a], in resurrectione tam magna erit, nisi sui in se multiplicatione [b]? Unde apparet, quod etiam si viveret, non aliunde sed in se augmentaretur illa substantia; sicut costa, de qua facta est mulier, et sicut panes evangelici. Non infitiamur tamen, quin cibi et humores in carnem et [c] sanguinem transeant, sed non in veritatem humanae [d] naturae, quae a primis descendit parentibus, quae sola in resurrectione erit; reliqua vero caro, in quam cibi transeunt, tanquam superflua in resurrectione deponetur [1] »; quae tamen ciborum aliarumque rerum fomentis coalescit.

DISTINCTIO XXXI.

Cap. I–II [e].

Quomodo peccatum originale a patribus transeat in filios, an secundum animam, an secundum carnem.

283 « Nunc superest investigare, qualiter illud peccatum a patribus traducatur in filios, scilicet an secundum solam animam, an secundum carnem, sive secundum utrumque.

284 [Cap. II.] « Putaverunt quidam, secundum animam trahi peccatum originale, non solum secundum carnem, quia non solum carnem, sed et animam ex traduce esse arbitrati sunt. Sicut enim in generatione prolis, de carne paterna substantialiter trahitur caro, ita etiam de gignentis anima animam geniti essentialiter deduci, ab his aestimatur [f]. Ideoque sicut de corrupta carne caro corrupta

---

[a] Ita omnes codd.; ed. *mortua,* pro *in ortu.* [b] V *recipiat multiplicationem.* [c] U add. interl. *in.* [d] D om. [e] Codicibus inhaerendo, cc. 1 et 2 coniungimus. [f] Ed. et D *existimatur.*

---

[1] Hugo, loc. cit., qui multa sumsit ex August., XXII. *De civ. Dei,* c. 14 et 19 (P L 41, 776).

seminatur, ita etiam de anima peccatrice anima peccatrix, corruptione originali infecta, ab illis trahi dicitur [1] ».

Cap. III.

Quod per carnem traducatur peccatum, et quomodo, ostendit.

Hoc autem fides catholica respuit et tanquam veritati adver- 285
sum damnat, quae non animas, sed carnem solam, sicut superius [2] diximus, ex traduce esse admittit. Non igitur secundum animam, sed secundum carnem solam, peccatum originale trahitur a parentibus. Est enim peccatum originale, ut supra [3] diximus, concupiscentia, non quidem actus, sed vitium.

Unde Augustinus *Ad Valerium* [a 4]: Ipsa concupiscentia est lex membrorum vel carnis, quae est morbidus quidam affectus vel languor [b], qui commovet illicitum desiderium, id est carnalem concupiscentiam, quae lex peccati dicitur; quae dicitur [c] manere in carne, non quin in anima sit, sed quia per corruptionem carnis in anima fit.

Cap. IV.

Causam corruptionis carnis ostendit, ex qua peccatum fit in anima.

Caro enim per [d] peccatum corrupta fuit in Adam, adeo ut, 286
cum ante peccatum vir et mulier sine incentivo libidinis et concupiscentiae fervore possent convenire, essetque *thorus immaculatus* [5], iam post peccatum non valeat fieri carnalis copula absque libidinosa concupiscentia, quae semper vitium est, et etiam culpa, nisi excusetur per bona coniugii. In concupiscentia igitur et libidine concipitur caro formanda in corpus prolis. Unde caro ipsa, quae concipitur in vitiosa [e] concupiscentia, polluitur et corrumpitur; ex

---

[a] D om. *unde;* V om. *Unde Augustinus;* ed. cum V om. *Ad Valer.* [b] U add. *naturae.* [c] Z om. *quae dicitur.* [d] Ita U Z; ed. *propter;* D om. *per peccatum.* [e] B add. poster. *libidinis.*

---

[1] Fere ad verbum ex Hugone, l. *De Sacram.* p. 7, c. 29 (P L 176, 299). [2] Dist. XVIII, c. 7. [3] Dist. XXX, c. 9. [4] Libr. I. *De nuptiis et concupisc.* c. 25, n. 28; c. 30, n. 34; c. 31, n. 35 (P L 44, 429 et sqq.); in Glossa ad Rom. 7, 23. [5] Allud. ad Hebr. 13, 4; cfr. dist. XX, c. 2.

cuius contactu anima, cum infunditur, maculam trahit, qua polluitur et fit rea, id est vitium concupiscentiae, quod est originale peccatum.

Cap. V.

Quare dicitur peccatum esse in carne.

287 Ideoque ipsum peccatum dicitur manere in carne. « Caro igitur, quae in concupiscentia libidinis seminatur, nec culpam habet nec actum culpae, sed causam. In eo igitur quod seminatur, corruptio est; in eo autem quod nascitur, concupiscentia [a] vitium est [1] ».

Unde Ambrosius [2] de verbis Apostoli, sic ait: « Quomodo habitat peccatum in carne, cum non sit [b] substantia, sed privatio boni? Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ipsaque corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens divinae sententiae datae in Adam, cuius consortio anima [c] maculatur peccato. Per id ergo, quod facti causa manet, inhabitare dicitur peccatum in carne »; haec est lex carnis.

Idem [3]: « Non habitat peccatum in anima, sed in carne, quia peccati causa ex carne est, non ex anima; quia caro est ex origine carnis peccati, et per traducem omnis caro fit [d] peccati »; anima vero non traducitur, et ideo causam peccati in se non habet.

Augustinus quoque, ex carne peccatum animam contrahere, in sermone quodam *De verbis Apostoli* [4] ostendit dicens: « Vitium concupiscentiae est, quod [e] anima [f], sed ex carne contraxit. Natura quippe humana non opere Dei cum vitio primitus est instituta, sed ex voluntatis arbitrio priorum hominum venienti [g], vitio est sanciata, ita ut non sit in carne bonum, sed vitium quo inficitur anima ».

---

[a] Ed. *concupiscentiae;* U add. *et.* [b] Z add. *peccatum.* [c] B om. [d] Ed. cum C D add. *causa.* [e] U add. interl. *in.* [f] Ita U V; ed. add. *non ex se.* [g] U *vehementi;* sed corr. interl. *vel venienti;* V add. *in.*

---

[1] Hugo, l. *De Sacram.* p. 7, c. 31 (P L 176, 302). [2] *Comment. in Epist. ad Rom.* 7, 18 (P L 17, 112 et seq.). [3] Ibid. v. 22. [4] *Serm.* 30 (alias 12, *De verb. Apost.*) c. 5, n. 6 (P L 38, 190)*; cfr. *Serm.* 294 (alias 14) c. 13, n. 14 seqq. (P L 38, 1343 et seq.); et II. *Contra Iulian.* c. 3, n. 5 (P L 44, 675).

Cap. VI.

Utrum causa originalis peccati, quae est in carne, sit culpa, vel poena.

Hic quaeri solet [1], utrum causa peccati originalis, quae dicta 288
est esse in carne, culpa sit, vel poena, sive aliquid aliud.

Culpa esse non potest, quia culpa non est in re irrationabili. Si enim culpa esset in carne ante infusionem animae, actualis esset, vel originalis. Sed actualis ibi non est, nec originalis culpa est, quia ipsa causa est originalis peccati.

Si autem poena est, quae est illa? Passibilitas, vel mortalitas, vel alia corruptio? Hos enim defectus carni inesse constat.

Ad quod [a] dici potest, quia multiplex est [b] defectus carnis, et praecipue pollutio quaedam, quam ex fervore coitus parentum et concupiscentia libidinosa contrahit [c] caro dum concipitur, causa est originalis peccati, quae recte vitium sive corruptio carnis appellari potest. Quae foeditas maior esse videtur in carne concupiscentialiter traducta, quam in ea unde traducitur [d]. Et quod vitium vel corruptio sit in carne ante coniunctionem animae, effectu probatur cum anima infunditur, quae ex corruptione carnis maculatur; sicut in vase dignoscitur vitium esse, cum vinum infusum acescit.

Ne autem miremur et in [e] intellectu turbemur audientes, pec- 289
catum originale filios traducere a parentibus, iam per baptismum ab illo peccato mundatis.

Diversarum similitudinum inductione id posse fieri insinuat Augustinus in libro *De baptismo parvulorum* [2], ita inquiens: « Quo modo praeputium per circumcisionem aufertur, manet tamen in eo quem genuerunt circumcisi; quo modo etiam palea, quae opere humano tanta diligentia separatur, manet tamen in fructu, qui de purgato nascitur tritico »; ita peccatum, quod in parentibus per baptismum mundatur, manet in eis quos genue-

[a] Z *hoc.* [b] Ita U (interl.) et Z; ed. om. [c] D *trahit.* [d] V om. *Quae foeditas... traducitur.* [e] Ita U V; ed. *om.*

[1] Hoc et seq. cap. est apud Hugonem, l. *Sent.* tr. 3, c. 12 (PL 176, 108)*. Cfr. Abael. II. *Expos. in Ep. ad Rom.* (PL 178, 866). [2] Libr. III, c. 8, n. 16 (PL 44, 195). Etiam quod sequitur magna ex parte invenitur ibid., et deinde II, c. 9, n. 11 (PL 44, 158).

runt. Ex hoc enim gignunt, quod adhuc vetustum [1] trahunt, non ex hoc, quod lex [a] in novitate [b] promovit eos inter filios Dei. Non enim generant parentes filios secundum generationem illam, qua denuo nati sunt, sed potius secundum eam, qua carnaliter et ipsi primum sunt generati.

Cap. VII.

Quare dicitur originale peccatum.

290 Iam ostensum est [2], quid sit [c] originale peccatum, et qualiter a parentibus in filios, et per carnem in animam transeat. Ex quibus etiam innotescit, quare dicatur originale peccatum [d], ideo scilicet, quia ex vitiosa lege originis nostrae, in qua concipimur, scilicet carnis, libidinosa [e] concupiscentia traducitur, ut supra [3] dictum est. Non enim, quia ex carne tracta ab Adam concepti sumus, ideo peccatum traximus, quia et Christi corpus ex eadem carne formatum est, quae ab Adam descendit, sed eius conceptus est celebratus non lege peccati, id est concupiscentia carnis, unde et caro eius peccatrix non fuit, immo operatione Spiritus sancti; noster vero conceptus non fit sine libidine, et ideo non est sine peccato.

Quod evidenter Augustinus ostendit in libro *De fide ad Petrum* [4], sic dicens: « Quia, dum sibi invicem vir mulierque miscentur, sine libidine non est parentum concubitus; ob hoc filiorum, ex eorum carne nascentium, non potest sine peccato esse conceptus, ubi peccatum in parvulos non transmittit propagatio, sed libido; nec fecunditas naturae humanae facit homines cum peccato nasci, sed foeditas libidinis, quam homines habent ex illius iustissima condemnatione peccati. Ideo beatus David propter originale peccatum, quo naturaliter obstricti filii sunt irae, dicit [5]: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Ex hoc itaque apparet, ex lege conceptionis traduci originale peccatum, quia nisi conceptio [f] sic fieret in carne, anima ex carnis coniunctione concupiscentiae vitium non traheret.

---

[a] Ita UZ (interl.) et AD; ed. om. [b] Z *novitatem;* VC *vel ex,* pro *in.* [c] Z om. [d] Z om. [e] D *libidinosae.* [f] VZBC *corruptio,* et om. *sic.*

---

[1] Vocabula *vetustum* et *novitas* alludunt ad modum loquendi S. Paulo familiarem de *novo* et *vetere homine* vel de *novitate vitae,* Rom. 6, 4 et 6; Ephes. 4, 22 ac 24, et alibi. [2] Dist. XXX, c. 5. [3] Hic, c. 4. [4] Cap. 2, n. 16 (PL 40, 758). [5] Ps. 50, 7.

Sed ad hoc opponitur hoc modo. In ipso conceptu, ubi dicitur 291
transmitti peccatum, propagatur caro, nec [a] tunc infunditur anima secundum physicos, sed iam effigiato corpore; quod etiam Moyses in Exodo [1] aperte significat, ubi agit [b] de percussura mulieris praegnantis: *Si quis,* inquit, *percusserit mulierem praegnantem et abortum fecerit, si adhuc informe fuerit puerperium, mulctabitur pecunia; si autem formatum fuerit, reddat animum pro anima. Formatum* vero intelligitur propria anima animatum; et *informe* quod nondum habet animam. In ipso ergo conceptu, cum caro propagatur, nondum infunditur anima. Quomodo ergo ibi peccatum transmittitur, cum peccatum non possit esse ubi anima non est?

Ad quod dici potest, quia in illo conceptu dicitur peccatum transmitti, non quia peccatum originale ibi sit, sed quia caro ibi trahit [c] id ex quo peccatum fit in anima, cum infunditur. Et utrumque vocatur conceptus, scilicet et cum caro propagatur formamque corporis humani recipit, et cum anima infunditur; quod etiam aliquando [d] dicitur nativitas — unde, *quod natum est in te* [e] [2] — proprie autem nativitas dicitur in lucem editio.

DISTINCTIO XXXII.

Cap. I.

Quomodo originale peccatum dimittitur in baptismo.

Quoniam supra [3] dictum est, originale peccatum esse vitium 292
concupiscentiae, assignatumque quomodo a parentibus trahatur, et originale dicatur, superest investigare, quomodo in baptismo dimittatur, cum etiam post baptismum remaneat concupiscentia, quae ante fuerat; unde videtur, vel peccatum originale non esse [f] concupiscentiam, vel non remitti in baptismo.

« Manet quippe, ut ait Augustinus [4], in corpore mortis huius, carnalis concupiscentia, cuius vitiosis desideriis non obedire

[a] Ed. et V B add. *tamen.* [b] Ed. et B D *ait.* [c] Ed. *contrahit.* [d] D om. [e] Ed. *ea.* [f] U add. interl. *peccatum id est.*

[1] Cap. 21, 22 et seqq.*. [2] Matth. 1, 20. [3] Dist. XXX, c. 8, et dist. XXXI, c. 3. [4] Libr. I. *De nuptiis et concupisc.* c. 25, n. 28 (P L 44, 430). Quod sequitur secundum sensum est ibid. c. 23, n. 25. Cfr. etiam Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 11 (P L 176, 107).

praecipimur; quae tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus et continentibus ».

Sed licet remaneat concupiscentia post baptismum, non tamen dominatur et regnat sicut ante [a]; immo per gratiam baptismi mitigatur et minuitur, ut post dominari non valeat, nisi quis reddat vires hosti *eundo post concupiscentias* [1]. Nec post baptismum remanet ad reatum, quia non imputatur in peccatum, sed tantum poena peccati est; ante baptismum vero poena est et culpa.

293 Duplici igitur ratione peccatum originale dicitur dimitti in baptismo: quia per gratiam baptismi vitium concupiscentiae debilitatur atque extenuatur, ita ut iam non regnet, nisi consensu reddantur ei vires; et quia reatus ipsius solvitur.

Unde Augustinus in libro *De baptismo parvulorum* [2]: « Gratia per baptismum id agitur [b], ut *vetus homo crucifigatur*, et *corpus peccati destruatur* [3], non ita ut in ipsa vivente carne concupiscentia respersa et innata repente absumatur et non sit, sed ne obsit mortuo, quae inerat nato. Nam si post baptismum vixerit, in carne habet concupiscentiam, cum qua pugnet; eamque adiuvante Deo superet, si tamen non in vacuum gratiam eius suscepit [4]. Non itaque hoc praestatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati, quae est in membris, prorsus exstinguatur et [c] non sit, sed ut quidquid [d] mali ab homine factum, dictum, cogitatum [e] est, totum aboleatur, ac [f] velut factum non fuerit habeatur, ipsa vero [g] concupiscentia, soluto reatus vinculo, quo per [h] illam diabolus animam retinebat [i], et a suo Creatore separabat [k], maneat in certamine ». Ecce hic [l] aperte ostendit, ea ratione dimitti in baptismo, non quia non maneat post baptismum, sed quia reatus in baptismo aboletur.

Deinde idem ipse ostendit, eo modo etiam dimitti, quia baptismi gratia [m] concupiscentia ipsa mitigatur et minuitur, in eodem

[a] V add. *in mortem.* [b] U *agit.* [c] D add. *ut.* [d] Z *quidquam.* [e] Ed. *cogitatumque;* D *vel cogitatum.* [f] V *aut.* [g] D om. [h] V om. [i] B *tenebat.* [k] D *separabatur.* [l] D om. [m] Z *per baptismi gratiam,* pro *b. g.*

[1] Allud. ad Eccli. 15, 30. [2] Sive I. *De peccatorum meritis et remissione* etc. c. 39, n. 70 (PL 44, 150)*. [3] Respic. Rom. 6, 6. Cfr. Abael. *Expos. in Ep. ad Rom.* c. 6 (PL 178, 874 et sqq.). [4] Respic. II. Cor. 6, 1.

libro [1] ita [a] dicens: « Lex carnis, quam Apostolus appellat peccatum, cum ait [2]: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore,* non sic manet in membris eorum qui *ex aqua et Spiritu sancto* [b] sunt renati [3], tanquam non sit eius facta remissio, ubi omnino plena fit remissio peccatorum, sed manet in vetustate carnis tanquam superatum et peremptum, nisi illicito consensu quodlam modo reviviscat, et in regnum proprium dominationemque revocetur ». Hic aperte insinuat [c], in baptismo concupiscentiam debilitari; ex quo etiam dicitur dimitti, non solum ideo quia reatus ibi solvitur.

Quem remissionis modum aliis etiam pluribus testimoniis 294
Scriptura edocet.

Ait enim Augustinus *Contra Iulianum* [4]: « Lex, quae in membris est, vitium carnis est, quod [d] ex poena peccati et ex traduce mortis provenit. Sed lex ista, quae est in membris, remissa est [e] regeneratione spiritnali, et manet in carne mortali. Remissa est, quia reatus solutus est Sacramento, quo renascuntur fideles; manet autem, quia [f] operatur desideria, contra quae dimicant et fideles ».

Idem in sermone [5] quodam de concupiscentia carnis: « Per gratiam baptismatis et lavacrum regenerationis solutus est et ipse concupiscentiae reatus, cum [g] quo eras natus, et quidquid antea consensisti malae concupiscentiae, sive cogitatione, sive locutione, sive actione ».

Idem in libro *De nuptiis et concupiscentia* [6]: « Concupiscentia carnis, licet in regeneratis iam non deputetur in peccatum, quaecumque tamen proles nascitur, obligata est originali peccato ».

Item: « Dimittitur concupiscentia carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut [h] non imputetur in peccatum [7] ». « Hoc enim est non habere peccatum, non esse reum peccati [8] ». « Quomodo ergo alia [i]

---

[a] Z om. [b] Ed. et V om. [c] Ed. *insinuatur.* [d] V *quia;* D *quae.* [e] D add. *in.* [f] B *qui.* [g] V *in;* D om. *quo.* [h] D om. [i] D *illa.*

---

[1] Libr. II, c. 28, n. 45 (PL 44, 178). [2] Rom. 6, 12. [3] Ioan. 3, 5. [4] Libr. II, c. 3, n. 5 (PL 44, 675). [5] *Sermo* 155 (alias *De verbis Apostoli,* 6) c. 9, n. 9, et quoad sententiam passim (PL 38, 846). Cfr. Glossa ad Rom. 8, 1. [6] Libr. I, c. 24, n. 27 (PL 44, 429). [7] Ibid. c. 25, n. 28. [8] Ibid. c. 26, n. 29.

peccata praetereunt actu et remanent reatu, ut homicidium et similia, ita e converso fieri potest, ut concupiscentia praetereat reatu et maneat [a] actu [1] ».

Ex praedictis evidenter monstratur, quomodo peccatum originale in baptismo [b] remittatur.

Cap. II.

Utrum foeditas, quam ex libidine trahit, in baptismo diluatur.

295 Solet autem hic [c] quaeri, utrum et ipsa caro in baptismo ab illa foeditate purgetur, quam in conceptione ex concupiscentia libidinosa contraxit.

Quibusdam [2] videtur, quod sicut anima a reatu purificatur, ita et caro ab illa pollutione purgatur, ut, sicut duobus completur mysterium baptismi, scilicet aqua et Spiritu, ita ibi duo purgentur, anima scilicet a reatu, et caro ab illa contagione; quod quidem probabile est.

Alii vero putant, tantum animam ibi mundari, carnem vero non ab illa foeditate purgari.

296 Si vero remanet illa foeditas usque ad procreationem filiorum, quae fit in carnis concupiscentia, videtur natura carnis magis ac magis corrumpi, et magis corrupta videtur caro prolis quam parentis, quia de carne, pollutionem quam habuit a conceptu retinente, trahitur polluta, et in concupiscentia concipitur, unde et polluitur; et ita ex duplici causa contaminatur. Unde maior videtur pollutio carnis in prole, quam fuerit in parente.

Ad quod illi dicunt, quia licet caro prolis ex carne foeda seminetur et in concupiscentia concipiatur, non tamen foeditatem maiorem contrahit [d], quam caro unde seminatur habuit. Quamvis etiam si foedior [e] atque immundior sit caro prolis, et ideo magis corrupta quam caro parentis, non inde [f], ut aiunt, fit praeiudicium veritatis [g]; quia nec absurdum esse dicunt, si carnis natura magis

---

[a] Ed. et B *remaneat.* [b] D *peccato.* [c] B D om. [d] Ita U Z; ed. *trahit.* [e] V Z *foetidior.* [f] Ita U V; V praemittit *enim;* ed. *tamen.* [g] Z *veritati;* D om.

---

[1] Ibid. parum inferius. Cfr. Abael. loc. cit. [2] Cfr. Damasc., IV. *De fide orthod.* c. 10 (P G L 94, 1127).

corrupta in posterioribus trahatur, neque ex ipsa, magis [a] corrupta anima, amplius [b] inficiatur.

Cap. III.

Utrum illius concupiscentiae Deus sit auctor.

Praeterea quaeri [c] solet, utrum concupiscentia, quae post bap- 297
tismum remanet et tantum poenalitas est, ante baptismum vero [d] poena erat et culpa, ex Deo auctore sit, vel ex [e] alio.

Ad quod breviter respondentes dicimus, quia, in quantum poena est, Deum habet auctorem; in quantum vero culpa est, diabolum sive hominem habet auctorem.

Cap. IV.

Quare illud peccatum imputetur animae.

Solet etiam quaeri [1], qua iustitia teneatur illo peccato anima 298
innocens a Deo creata, cum non sit in potestate sua illud vitare: non enim per liberum arbitrium illud committitur, quia non prius est anima, quam illi peccato est obnoxia.

Ad hoc [f] quidam dicunt, ideo animam ream esse illius peccati, licet munda a Deo sit creata, quia cum infunditur corpori, condelectatur carni, ex quo [g] peccatum contrahit [h].

Quod si esset, iam non originale, sed actuale diceretur. Potius ergo ideo recte potest dici [i] imputari animae illud peccatum, quod [k] ex corruptione corporis inevitabiliter trahit, quia, ut ait Augustinus in libro *De civitate Dei* [2], « non fuit corruptio corporis, quae aggravat animam, causa primi peccati sed poena; nec caro corruptibilis animam peccatricem fecit, sed peccatrix anima carnem corruptibilem fecit ».

---

[a] D *amplius.* [b] V Z *magis;* D *plus.* [c] D *quaeritur,* om. *solet.* [d] Z om. [e] Z om. [f] Z *quod.* [g] Z *qua.* [h] U *trahit.* [i] V Z B add. *illi,* quod U expunxit; V om. *recte.* [k] D om.

---

[1] Hoc et duo seqq. capitula sunt ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 12 (P L 176, 108 et seq.). [2] Libr. XIV, c. 3. n. 2 (P L 41, 406).

Cap. V.

Utrum illud peccatum sit necessarium, vel voluntarium.

299 Illud etiam non immerito quaeri potest, utrum peccatum originale debeat dici voluntarium, vel necessarium.

Et necessarium potest dici, quia vitari non potest; unde et Propheta [1] dicit: *De necessitatibus meis erue me* [a]; et voluntarium non incongrue appellatur, quia ex voluntate primi hominis processit, ut [b] Augustinus in I libro *Retractationum* [2] ostendit dicens: « Illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur libero arbitrio voluntatis, non absurde vocatur voluntarium, quia ex prima [c] hominis mala voluntate contractum, factum est quodam modo haereditarium ».

Cap. VI.

Quare Deus iungit animum corpori, sciens inde maculari.

300 Si vero [d] quaeritur: Cur Deus, qui fecit animam ipsam sine macula, et scit eam ex corporis coniunctione maculam peccati trahere [f], et aliquando ante baptismum seiungi ab ipso corpore, et sic damnari, eam corpori coniungit?

Respondemus, ex altitudine iudiciorum Dei [3] id provenire [g], nec iniuste hoc [h] a Deo fieri. Ipse enim non incongrue humanae conditionis modum, quem a principio instituit, licet peccata hominum intercesserint, sine immutatione continue servat, corpora de materia a principio sine vitio facta fingens, animasque de nihilo creans, eorumque coniunctione hominem perficiens. Cum igitur utraque hominis natura a Deo sine vitio sit instituta, licet a se peccato sit vitiata, non ideo immutabilis Deus humanae conditionis primariam legem mutare debuit, sive ab hominum multiplicatione desistere.

---

[a] B *libera me Domine,* pro *erue me.* [b] V D *unde.* [c] D *primi;* Z om. *mala.* [d] Z *ergo.* [e] Ed. et D *contrahere.* [f] Z *pervenire quia;* V Z om. *id.;* ed. add. *et.* [g] Ita U; ed. *id.*

---

[1] Psalm. 24, 17. [2] Cap. 13, n. 5 (P L 32, 604). [3] Respic. Rom. 11, 33.

Cap. VII.

An anima sit talis, qualis a Deo creatur.

Hic a quibusdam quaeri solet, utrum anima talis sit ante bap- 301
tismum, qualis a Deo creatur.

Quod non esse, probare conantur hoc modo: Anima in corpore creatur, in cuius coniunctione peccato maculatur; quam cito igitur est, peccatum habet, nec prius fuit quam peccatum habuit; non est igitur talis, qualis a Deo creatur: creatur enim a Deo innocens et sine vitio, et nunquam talis est.

Ad quod dici potest, quia non omnino talis est, qualem eam Deus fecit: Deus enim bonam eam fecit, et bonitatem ei sine corruptione indidit. Et dicitur illa naturalis bonitas, quam in creatione a Conditore [a] suscepit, quam bonitatem per peccatum penitus non amisit, sed vitiatam habuit, quam Deus tamen sine vitio fecit. Si enim res bona non esset anima, in ea malum esse nequiret, cum non posssit malum esse nisi in bono, ut post [b] [1] dicetur. Non igitur omnino talis est anima, qualis a Deo est creata. Sicut [c] quis, pollutas habens manus, non tale habuit pomum quale ego dedi mundis manibus: ego enim dedi mundum.

Cap. VIII.

An animae ex creatione sint in donis naturalibus aequales.

Illud quoque non incongrue quaeri solet, utrum omnes animae 302
ex creatione aequales sint, an aliae aliis excellentiores [2].

Pluribus non irrationabiliter videtur, quod ex ipsa creatione aliae aliis excellant in naturalibus donis, ut in essentia; alia aliis sit subtilior et ad intelligendum memorandumque habilior, utpote acutiori ingenio et perspicaciori intellectu praedita. Quod non improbaliter dicitur, cum in Angelis ita fuisse constet [3]. Et licet naturalibus donis aliae prae aliis polleant, tamen, ante baptismum a corpore discedentes, parem poenam, et post baptismum statim aequalem coronam sortiuntur, quia ingenii acumen vel tarditas praemium vel poenam in futuro non collocat.

---

[a] A *Creatore.* [b] A C D *postea.* [c] Z *ut si;* V D om. *est.*

---

[1] Dist. XXXIV, c. 4. [2] In hoc cap. plura verbotenus desumuntur ex Hugone, *Sum. Sent.* loc. cit. [3] Cfr. hoc libro, dist. III, c. 2.

DISTINCTIO XXXIII.

Cap. I.

An peccata omnium praecedentium patrum parvuli originaliter trahant, ut peccatum Adae.

303 Praedictis adiiciendum videtur, an peccata praecedentium patrum ad parvulos transeant, sicut illud primi hominis delictum in omnes carnaliter genitos diximus redundasse. Et si peccata parentum transeunt in parvulos, utrum omnium, qui fuerunt ab Adam usque ad ipsos, an aliquorum et non omnium [1].

De hoc Augustinus in *Enchiridio* [2] ambigue disserit. Videtur enim approbare, peccata parentum praecedentium imputari parvulis; non omnium tamen, qui fuerunt ab Adam, ne importabili et nimia sarcina in poena aeterna gravarentur parvuli, sed tantum eorum parentum, qui eos a quarta generatione praecesserunt. Quod confirmat illis verbis, quibus in Exodo Dominus ait [3]: *Ego sum Deus visitans iniquitates patrum usque in tertiam et quartam generationem;* quasi peccata parentum proximorum tantum parvulis imputentur, et non alia; quod est per moderationem divinae miserationis.

304 Et quod non illud solum primi hominis delictum parvulos teneat, sed etiam alia, illi quibus ita videtur, ex eo confirmant, quod etiam parvuli, non modo [a] maiores, dicuntur baptizari in remissionem peccatorum, per pluralem numerum, non per singularem numerum [b] in remissionem peccati. Et David [4], de legitimo matrimonio procreatus, dicit: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea;* non dicit: in iniquitate vel peccato. Unde putant, non tantum illud unum peccatum originale, sed etiam plura, quae in peccato Adae reperiri possunt, et alia parentum peccata parvulis imputari.

---

[a] B om. [b] Ed. et D om.

---

[1] In hoc cap. multa verbotenus sunt ex Hugone, l. *De Sacram.* p. 7, c. 38 (PL 176, 304 et seq.). [2] Cap. 47 (PL 40, 255). [3] Cap. 20, 5 *. [4] Psalm. 50, 7. Quae praecedunt quoad sensum sunt in August., loc. cit. c. 44 et 46 (PL 40, 253 et seq.).

Cap. II.

Quomodo in illo uno primo peccato plura reperiuntur.

Quod vero in actuali peccato Adae plura notari valeant pec- 305
cata, Augustinus in *Enchiridio* [1] insinuat: « Possunt, inquit, intelligi plura peccata in una transgressione Adae, si in sua quasi membra dividatur. Nam et superbia est illic, quia homo in sua potius esse quam Dei potestate dilexit; et sacrilegium, quia Deo non credidit; et homicidium, quia se in mortem praecipitavit; et fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanae serpentina suasione [a] corrupta est; et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; et avaritia, quia plus, quam sufficere illi debuit, appetivit; et si quid aliud, in hoc uno [b] inveniri potest ».

Deinde de parentum praecedentium peccatis, utrum parvulis 306
imputentur, opinando magis quam asserendo disceptat, ita inquiens [2]: « Parentum peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi [c] nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia [3]: *Reddam peccata patrum* [d] *in filios,* tenet eos ante regenerationem, usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Non dixit: in iniquitate vel in [e] peccato, cum et hoc recte dici posset, sed iniquitates et peccata dicere maluit, quia et in illo uno, quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est, ut [f] eo mutaretur humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata; et alia parentum, quae non ita possunt mutare naturam, reatu obligant filios, nisi Dei gratia subveniat ».

« Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipso Adam usque ad patrem suum pro generationibus suis quisque succedit, non immerito disceptari potest, utrum omnium malis actibus et multiplicatis delictis originalibus qui nascitur implicetur, ut tanto peius, quanto posterius quisque nascatur; an propterea Deus *in tertiam et quartam generationem* de peccatis parentum posteris eorum comminetur, quia iram suam quantum ad progeneratorum

---

[a] D *persuasione.* [b] Ed. add. *peccato.* [c] D om. [d] V *parentum.* [e] V D om. [f] Z D add. *in.*

---

[1] Cap. 45 (P L 40, 254). [2] Ibid. c. 46 (P L 40, 254). [3] Deut. 5, 9.

culpas non extendit ulterius, moderatione miserationis suae, ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa aeterna damnatione premerentur, si cogerentur ab ipso [a] initio generis humani omnium praecedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere [b] et poenas pro eis debitas pendere. An aliquid aliud de re tanta, Scripturis sanctis diligentius perscrutatis ac tractatis, valeat vel non valeat reperiri, temere affirmare non audeo [c 1] ».

Ecce perspicuum fit lectori, Augustinum superiora dixisse non asserendo, sed diversorum opiniones referendo.

307 Alioquin sibi ipsi contradicere ostenderetur [d], qui in eodem libro omnium mitissimam dicit esse poenam parvulorum, qui originali tantum tenentur peccato, his verbis [2]: « Mitissima sane poena eorum erit, qui praeter peccatum, quod originale traxerunt [e], nullum insuper addiderunt; et in [f] ceteris, qui addiderunt, tanto quisque ibi tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuerit iniquitatem ». Ecce hic aperte dicit [g], parvulorum poenam omnium aliarum poenarum esse [h] levissimam.

Quod si est, non igitur peccatis patrum praecedentium obligantur nisi Adae. Si enim pro peccatis actualibus parentum aeternaliter punirentur et pro suo originali, non iam minus, sed forte magis quam ipsorum [i] parentes punirentur. Non igitur pro peccatis parentum actualibus, nec etiam pro [k] actualibus primi parentis, sed pro originali quod a parentibus trahitur, parvuli damnabuntur, pro eo nullam aliam ignis materialis vel conscientiae vermis poenam sensuri, nisi quod Dei visione carebunt in perpetuum. Uno igitur et non pluribus peccatis, parvuli obligati sunt.

Unde etiam ea quibus illa opinio muniri videtur, scilicet quod peccata et iniquitates in parvulis aliquando Scriptura esse significat, utens [l] plurali numero, ita determinat Augustinus in eodem libro [3]: « Quia in Scriptura per singularem numerum pluralis numerus saepe significari solet, ut ibi [4]: *Ora ergo ad Deum, ut auferat a nobis serpentem;* non ait: serpentes, quos patieba-

[a] D om. [b] D *trahere.* [c] V *valeo.* [d] Ed. et V *videretur.* [e] Ed. *contraxerunt.* [f] B *cum.* [g] Z *ostendit.* [h] Z om. [i] D *ipsi.* [k] B add. *peccatis.* [l] D om.

[1] August. ibid. c. 47 (PL 40, 255). [2] Ibid. c. 93 (PL 40, 275). [3] Cap. 44 (PL 40, 253)*. [4] Num. 21, 7.

tur populus. Et e converso per pluralem [a] significatur singularis numerus, ut in Evangelio [1]: *Mortui sunt enim qui quaerebant animam pueri;* non ait: mortuus est, cum loqueretur de Herode. Et in Exodo [2]: *Fecerunt deos aureos,* cum [b] unum fecerint vitulum, de quo dixerunt: *Isti sunt dii tui, Israel* »; ita et illud originale unum plurali numero significatur, cum dicimus, parvulos in peccatorum remissionem baptizari, et in peccatis vel in [c] iniquitatibus concipi.

Cap. III.

An peccatum Adae sit gravius ceteris.

Hic quaeri solet, utrum peccatum transgressionis Adae, ex quo 308
processit originale, et in quo plura superius notata sunt peccata, gravius fuerit ceteris peccatis.

Quibusdam ita esse videtur, quia illud peccatum totam humanam naturam mutavit, sicut Augustinus dicit in *Enchiridio* [3]: « Illud unum peccatum in loco et habitu tantae felicitatis admissum, tum magnum est, ut in uno homine originaliter, et ut ita dixerim, radicabiliter [d] totum genus humanum damnaretur ».

Idem in libro *De civitate Dei* [4]: « Tanto maiori iniustitia violatum est illud mandatum, quanto faciliori poterat observantia custodiri. Nondum enim [e] voluntati cupiditas resistebat, quod de poena transgressionis postea secutum est ».

His aliisque nituntur auctoritatibus, qui [f] illud peccatum ceteris aliorum hominum peccatis gravius esse dicunt.

Quod etiam ratione ostendere laborant hoc modo: Magis nocuit 309
illud peccatum quam aliquod aliorum, quia totum humanum genus vitiavit, ac morti utrique subdidit, quod nullo alio peccato factum est; maiorem ergo effectum mali habuit illud peccatum quam aliquod aliud.

Ad quod dici potest, quia licet illud peccatum humanam naturam mutaverit in necessitatem mortis, et in totum genus huma-

---

[a] Z add. *numerum.* [b] B add. *tamen.* [c] Ed. om. [d] Ita omnes codd.; ed. hic et saepius infra *radicaliter.* [e] Ed. add. *ipsi.* [f] U *quod.*

---

[1] Matth. 2, 20. [2] Cap. 32, 4. [3] Cap. 48 (PL 40, 255). De hoc et seq. cap. cfr. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 10 (PL 176, 105). [4] Libr. XIV, c. 12 (PL 41, 420)*.

num reatum diffuderit, non est tamen putandum, gravius fuisse peccato in Spiritum sanctum, quod *neque hic neque in futuro*, ut Veritas ait, *dimittitur* [1]. Quod vero totam humanam naturam corrupit, non ideo est, quia gravius fuerit cunctis aliis peccatis, sed quia ab homine commissum est, quando in uno homine tota humana natura consistebat, et ideo in eo tota corrupta est; maioremque effectum mali intulit quantum ad multiplices defectus, qui ex eo manaverunt, sed non quantum ad poenam aeternam, quam graviorem non meruit, quam plures postea meruerunt per alia peccata; immo alios graviorem promeruisse credimus iram, quam Adam meruerit.

Cap. IV.

An illud peccatum sit primis parentibus dimissum.

310 Si vero quaeritur, an illud peccatum primis parentibus fuerit dimissum; dicimus, eos per poenitentiam veniam consecutos.

Unde Augustinus in libro *De baptismo parvulorum* [a] [2]: « Sicut illi primi parentes postea iuste vivendo creduntur per Domini sanguinem ab extremo liberati supplicio, non tamen in illa vita meruerunt ad paradisum revocari; sic et caro peccati, etiam remissis peccatis, si homo in ea iuste vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam traxit a [b] propagine peccati ».

Cap. V.

Quomodo peccata parentum visitentur in filios, et non visitentur.

311 Et [c] licet peccatis parentum nisi Adae, parvuli non obligentur, non est tamen diffitendum, peccata parentum in filios redundare, sicut Dominus in Exodo [3] ad Moysen ait: *Ego sum Deus fortis, zelotes, visitans iniquitates* [d] *patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem, his qui oderunt me.* His verbis aperte

[a] Ed. add. *ait.* [b] Ed. *de.* [c] D *sed.* [d] D *peccata.*

[1] Matth. 12, 32. [2] Libr. II. *De peccatorum meritis et remiss.* etc. c. 34, n. 55 (P L 44, 183); cfr. *Epist.* 164. (*Ad Evodium*) c. 3, n. 6 (P L 33, 711); Anselm., II. *Cur Deus homo,* c. 16 (P L 158, 416 et sqq.). [3] Cap. 20, 5. Multa in hoc cap. sumta sunt ex Hugone, *Sum. sent.* tr. 3, c. 13 (P L 176, 110).

insinuatur, quod Deus reddit peccata patrum [a] super filios tertios et quartos.

Huic autem videtur adversari quod Dominus ait in Ezechiele[1]: *Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud, dicentes: Patres* [b] *comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt? Vivo ego, dicit Dominus, si* [c] *erit vobis ultra parabola haec in proverbium* [d]. *Ecce! omnes animae meae sunt, ut anima patris, ita et anima filii mea est. Et anima, quae peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. Iustitia iusti super eum erit* [e], *et impietas impii erit super eum.* 312

His verbis videtur Deus corrigere per Prophetam, quod male dixerit in Lege. « Si enim peccata patrum reddit in tertiam et quartam generationem, iniustitia videtur esse Dei, ut alius peccet, et alius puniatur. Quomodo enim iustum est, alium peccare, et alium peccata lugere [f][2] »? 313

Sed, ut [g] ait Hieronymus[3], « ne Lex et Prophetae, id est Exodus et Ezechiel, immo ipse Deus, qui et hic et ibi locutus est, in sententiis discrepare videantur [h] », attendamus finem auctoritatis illius Exodi. Dicto [i] enim: *Reddo iniquitates patrum in filios,* addit [k]: *His* [k] *qui oderunt me;* per quod evidenter ostendit [l], « non ideo puniri filios, quia peccaverunt patres [m], sed quia eis [n] similes quodam haereditario malo Deum oderunt ».

« Illud ergo, quod in Exodo Dominus dicit [o], sicut Hieronymus tradit, non id sonat quod multi aestimant [p], nec est simile huic proverbio: *Patres comederunt uvam acerbam* etc. Illud enim Exodi Hieronymus *Super Ezechielem,* et Augustinus *Super Psalmum* [q][5]: *Deus laudem meam ne tacueris,* de filiis peccata patrum imitantibus accipiendum censent [r]; super quos dicitur Deus reddere peccata patrum, quia punit eos, eo quod imitantur peccata patrum, non quia patres peccaverunt. Non itaque corrigit

---

[a] B *parentum.* [b] Z B add. *nostri.* [c] Z *non.* [d] Ita omnes codd.; ed. add. *in Israel.* [e] D om. [f] Ed. cum V D *luere;* V om. *Quomodo enim... lugere.* [g] Z om. [h] B *videatur.* [i] V *dicit.* [k] V om. [l] B *monstratur.* [m] B *parentes.* [n] V *eius.* [o] U *ait.* [p] Ed. *existimant.* [q] Ed. *illud Psalmi.* [r] V *dicunt.*

[1] Cap. 18, 2 seq.; et a verbis: *Filius non portabit* v. 20. [2] Hieron. *Super Ezech.* 18, 2 (cfr. Ier. 31, 29) (PL 25, 169). [3] Loc. cit. [4] Ezech. c. 18, 5. [5] *Enarrat.* in Ps. 108, 14, n. 15 (PL 37, 1437).

Deus in Propheta quod ante dixerat in Lege, sed quomodo intelligendum sit, aperit. Unde et illos qui prave intelligebant arguit, qui dicebant: *Patres comederunt,* etc.

314 Verumtamen, si de imitatoribus malorum illud accipitur, quare *tertiam et quartam generationem* tantum memoravit [a], cum in qualibet generatione rei teneantur, qui peccata patrum imitantur? Et quare patres commemoravit, cum et illi omnes mali sint, qui quorumlibet malorum peccata imitantur?

Sed ideo patres specialiter nominavit, quia maxime patres filii imitari solent, quos praecipue diligunt. Et tertiam et quartam generationem ideo memoravit [b], quia solent parentes interdum tamdiu vivere, donec filios tertios et quartos habeant, qui patrum iniquitates videntes, eorum impietatis haeredes per imitationem [c] efficiuntur. Secundum hunc modum recte intelligitur ad litteram quod in Exodo dicitur [d].

315 Quod etiam mystice intelligendum esse [e] ostenditur, ex eo quod parabola dicitur. « Si enim parabola est, ut ait Hieronymus [1], aliud verbis sonat [f], aliud sensu continet. Unde aliqui ita edisserunt: Patrem in nobis esse dicunt levem punctum sensuum »: scilicet primum motum suggestionis, vel cogitationis; « filium vero, si cogitatio conceperit peccatum »: in quo notatur consensus et delectatio mulieris; « nepotem, si quod cogitaveris atque conceperis, opere compleveris », vel complere decreveris: in quo notatur consensus viri, sive patratio [g] peccati; « pronepotem autem, si non solum feceris, sed in eo glorieris, et haec est quarta generatio [h] » non quia tres praecesserint, sed quarta dicitur, quia quarto loco a primo motu, qui est quasi pater, enumeratur. Deus igitur « primos et secundos stimulos [i] cogitationum, quos Graeci propathias vocant, sine quibus nullus hominum esse potest, non puniet aeternaliter, sed si cogitata quis facere decreverit, et quae fecit corrigere noluerit », quae sunt mortalia peccata et tertia et quarta generatio.

« Ad probandum vero, ut ait Hieronymus [2], quod primus pulsus cogitationis non puniatur a Deo aeternaliter, illud de Genesi

---

[a] lta U V; ed. *commemoravit.* [b] Ed. *commemoravit.* [c] D *impietatem.* [d] B *legitur.* [e] D om. [f] D *innuit.* [g] D *parturitio.* [h] D om. [i] D *motus.*

---

[1] Loc. cit. vers. 1 et 2*. Haec et quae sequuntur, habet Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 13 (PL 176, 110). [2] Loc. cit. parum inferius.

afferendum [a] est: Cham enim peccavit, irridens nuditatem patris, et sententiam non ipse, sed filius eius Chanaan accepit: *Maledictus Chanaan, servus erit fratrum suorum* [1]. Quae enim iustitia est [b] ut pater peccaverit, et filius punitus sit »? Sed in mysterio illud dictum est.

DISTINCTIO XXXIV.

Cap. I.

De peccato actuali.

Post praedicta, de peccato actuali diligenti indagine [c] quaedam 316
consideranda sunt, scilicet quae fuerit origo et causa primi [d] peccati, utrum res bona, an res mala; postea, in qua re sit peccatum; deinde quid sit peccatum, et quot modis fiat; et de differentia ipsorum peccatorum [2].

Cap. II.

Quae fuit origo et causa peccati prima.

Causa et origo prima [e] peccati res bona exstitit, quia ante 317
primum peccatum non erat aliquod malum [f] unde oriretur. Cum enim originem et causam habuerit, aut ex bono aut ex malo habuit; sed malum ante non erat; ex bono igitur ortum est. Prius enim in angelo ortum est peccatum, et postea in homine. Et quid erat Angelus nisi bona natura Dei? Non ex Deo ortum est malum; quod fuit in Angelo, non ex alio quam ex Angelo; ex bono [g] igitur ortum fuit.

Unde Augustinus [3] in responsionibus contra Iulianum haereticum, qui dixerat: « Si ex natura peccatum est, tunc mala est natura, ait: Quaeso ut si [h] potest, respondeat. Manifestum est, ex voluntate mala, tanquam *ex arbore mala* [4], fieri omnia opera [i] mala,

---

[a] Z *efferendum.* [b] V om. [c] B *indagatione.* [d] Z *prima.* [e] Z B *primi.* [f] Ed. *aliquid mali;* V *aliquid malum.* [g] V *Deo.* [h] D om. [i] D om.

---

[1] Gen. 9, 25. [2] Maior huius dist. pars invenitur in Hugone, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 14 (PL 176, 110 et sqq. [3] Libr. II. *De nuptiis et concupisc.* c. 28, n. 48 (PL 44, 464). [4] Respic. Matth. 7, 17 et sqq.

tanquam fructus malos; sed ipsam malam voluntatem unde dicit exortam nisi ex bono? Si enim ex Angelo; quid est [a] Angelus, nisi bonum opus Dei? Si ex homine; quid erat ipse homo, nisi bonum opus Dei [b]? Immo quid erant haec duo, antequam in eis oriretur [c] mala voluntas, nisi bonum opus Dei et bona et laudanda natura? Ergo ex bono oritur [d] malum, nec fuit unde oriri posset nisi ex bono. Dico ergo, quia voluntatem malam [e] nullum malum praecessit [f], sed ex bono originem habuit». Hic aperte dicitur [g], primam causam et originem mali bonam fuisse naturam. Et nihilominus ostenditur, cuius peccati fuerit causa, scilicet malae voluntatis.

Cap. III.

Quae fuerit secundaria causa malorum.

318 Mala autem voluntas illa Angeli vel [h] hominis, causa est etiam * malorum subsequentium, scilicet malorum operum et malarum voluntatum.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [1]: «Nequaquam dubitare debemus, rerum bonarum quae ad nos pertinent, causam non esse nisi bonitatem Dei. Malarum vero, ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, prius Angeli, postea hominis»: «hoc primum est creaturae rationalis malum, id est prima privatio boni [2]».

Ecce habes, primam voluntatem boni mutabilis, id est Angeli vel hominis, deficientem ab immutabili bono, id est a Deo, causam esse malarum [i] rerum ad nos pertinentium, quia causa est tam peccatorum [k] quam poenarum, quibus premitur humana natura. Prima igitur origo et causa peccati bonum fuit; et secunda malum, quod ortum est ex bono.

Cap. IV.

Quod non nisi in bona re sit malum.

319 Ostensa origine mali, superest videre, in qua re sit malum, scilicet an in re bona, an in re mala.

---

[a] B *erat.* [b] V om. *Si ex ... Dei.* [c] V *esset.* [d] D *ortum est.* [e] V *ex voluntate mala;* B *a voluntate mala,* pro *v. m.* [f] V B *processit.* [g] U *docetur.* [h] Ita U D; ed. *et.* [i] D *malam.* [k] Z *ipsorum.*

---

[1] Cap. 23, n. 8 (PL 40, 244). [2] Ibid. c. 24.

Qui recte acuteque sapit, non nisi in bono malum esse intelligit, id est in natura bona. Malum enim est [a] corruptio vel privatio boni; ubi autem bonum non est, non potest esse corruptio vel privatio boni. Peccatum igitur non potest esse nisi in re bona.

Sicut enim morbis ac vulneribus corrumpuntur corpora, quae, ut ait Augustinus in *Enchiridio* [1], « sunt privationes eius boni, quod dicitur sanitas, ita et animorum quaecumque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum. Quid est enim aliud quod malum dicitur, nisi privatio boni »? « Bonum enim minui, malum est; quamvis quantumcumque minuatur, necesse est, ut aliquid remaneat, si adhuc natura [b] est. Non enim consumi potest bonum quod est natura, nisi et ipsa consumatur. Cum vero corrumpitur, ideo malum est eius corruptio, quia eam qualicumque privat bono. Nam si nullo bono privat, non nocet; nocet autem; adimit igitur [c] bonum. Quamdiu itaque [d] natura corrumpitur, inest ei bonum, quo privetur [2] ». « Ac per hoc nullum est, quod dicitur malum, si nullum sit bonum; sed bonum, omnino malo carens, integrum bonum est. Cum [e] vero inest malum, vitiatum vel vitiosum bonum est; nec malum unquam potest esse ullum, ubi est bonum nullum. Unde res mira conficitur, ut quia omnis [f] natura, in quantum natura est, bonum est, nihil aliud dici videatur [g], cum vitiosa [h] natura, mala natura esse dicitur, nisi malum esse quod bonum est; nec malum [i] esse, nisi quod bonum est [3] ».

Hac contextione evidenter insinuatur, malum non posse esse nisi in re bona; ubi etiam, licet absurdum videatur, manifeste dicitur esse [k] malum, quod bonum est.

Ex quo colligitur, nihil aliud significari, cum dicitur homo 320
malus, nisi bonum malum.

Unde Augustinus in eodem [4] subdit: « Quid est malus homo nisi mala natura; quia homo natura est. Porro, si homo aliquod bonum est, quia natura est, quid aliud est malus homo, nisi malum bonum? Tamen cum duo ista discernimus, invenimus nec ideo

---

[a] V om. [b] V *naturae.* [c] V *ad unum,* pro *adimit igitur.* [d] V *ita.* [e] Ed. *cui.* [f] D om. [g] Ed. *videtur.* [h] B add. *est.* [i] D *male.* [k] D om.

---

[1] Cap. 11, n. 3 (PL 40, 236). Praecedens definitio mali occurrit apud August., l. *Contra Adversar. Legis et Prophetarum,* c. 5, n. 7 (PL 42, 607).
[2] *Enchirid.* c. 12, n. 4 (PL 40, 236). [3] Ibid. c. 13 (PL 40, 237).
[4] Loc. cit.

malum, quia homo est, nec ideo bonum, quoniam iniquus est [a]; sed bonum, quia homo; malum, quia iniquus. Omnis itaque natura, etiam si vitiosa sit, in quantum natura est, bona est; in quantum vitiosa est, mala est ».

Cap. V.

Quod in his fallit dialecticorum regula de contrariis.

321 Ideoque « in his contrariis, quae mala et bona vocantur, illa dialecticorum regula deficit, qua dicunt, nulli rei duo simul inesse contraria. Nullus enim potus aut cibus simul dulcis est et amarus; nullum simul [b] ubi album, ibi et nigrum; et hoc in multis ac pene in omnibus reperitur contrariis, ut in una re simul esse non possint. Cum autem bona et mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed mala omnino sine bonis et nisi in bonis esse non possunt. Et haec duo contraria ita simul sunt, ut, si bonum non esset in quo [c] esset, prorsus nec malum esse potuisset, quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur, corruptio non haberet, nisi esset quod corrumperetur; quoniam nihil est aliud corruptio quam boni exterminatio. Ex bonis igitur mala orta sunt, et nisi in bonis non sunt [1] »; « nec fuit prorsus, unde oriretur ulla mali natura, nisi ex Angeli et hominis natura bona, unde primitus orta est voluntas mala [2] ».

Ex his aperitur, quod primo et secundo supra diximus investigandum, scilicet quae fuerit origo mali, et in qua re sit. Ex bona enim re ortum et in re bona consistere, praemissis testimoniis comprobatur.

322 Ad hoc autem, quod dictum est, « malum esse quod bonum est », quidam sic opponunt: Si bonum malum esse dicimus, incidimus in illam sententiam propheticam [3], ubi legitur: *Vae his qui dicunt bonum malum, et malum bonum.* Igitur si hanc maledictionem vitare volumus, nullatenus dicere debemus, bonum esse malum, et e converso.

---

[a] V D om. [b] Ita omnes codd.; ed. add. *corpus*. [c] Ed. add. *malum*.

[1] Aug., ibid. c. 14 (PL 40, 238). [2] Ibid. c. 15. [3] Isai. 5, 20.

Hoc autem [a] Augustinus in eodem libro [1] determinat dicens: « Id quod dictum est in Propheta [b], intelligendum est [c] de ipsis rebus, quibus homines mali sunt, non de hominibus. Unde [d] qui adulterium dicit bonum, in illum [e] cadit illa prophetica detestatio », et in eum qui « dicit malum esse hominem, vel bonum esse iniquum. Qui enim dicit, hominem, in quantum homo est, malum esse, et bonitatem esse iniquitatem, opus Dei culpat, quod est homo, et vitium hominis laudat, quod est iniquitas [2] ».

Ioannes [f] ait: *Qui facit peccatum et iniquitatem.* Super quem locum dicit 323
Augustinus: νόμος Graece, Latine *lex* est; inde ἀνομία, id est iniquitas, quae est contra legem; unde praevaricantes reputati sunt omnes peccatores terrae, non solum qui scriptam Legem contemnunt, sed etiam qui innocentiam naturalis legis corrumpunt.

DISTINCTIO XXXV.

Cap. I.

Quid sit peccatum.

Post haec videndum est, quid sit peccatum. 324

Peccatum est, ut ait Augustinus [3], « omne dictum, vel factum, vel concupitum, quod fit contra legem Dei ».

Idem in libro *De duabus animabus* [4]: « Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat ».

In utraque assignatione de actuali peccato agitur [g], et mortali, non veniali. Ex prima descriptione ostenditur peccatum esse voluntas mala, sive locutio et operatio prava, id est actus malus, tam interior quam exterior; ex altera vero tantum ostenditur esse actus interior [h], voluntas enim, ut in superioribus [5] dictum est, motus animi est; actus ergo interior est [i].

---

[a] Z om. [b] Ita U B; ed. *prophetia.* [c] D *esse;* V *esse hoc.* [d] Z add. *Augustinus.* [e] Ita U D; ed. *eum.* [f] Quae sequuntur sunt nota collateralis in V A B C; in U veniunt infra in textu post verba *repertum est* (cfr. pag. 492), sed per verbum interlineare *ce-lis* indicatur alio modo ponenda esse. Z D hanc notulam penitus omittunt. [g] U *agit.* [h] V om. *ex a. v. t. o. e. a. interior.* [i] V om. *actus e. i. est.*

---

[1] *Enchir.* c. 19 (P L 40, 241). [2] Ibid. c. 13. [3] Libr. XXII. *Contra Faustum Manich.* c. 27 (P L 42, 418). [4] Cap. 11, n. 15 (P L 42, 105). [5] Dist. XXVI, c. 2.

Ambrosius quoque in libro *De Paradiso* [1] ait: « Quid est peccatum nisi praevaricatio legis divinae et caelestium inobedientia praeceptorum? Ergo in praevaricante [a] peccatum est, sed in mandante culpa non est: non enim consisteret peccatum, si interdictio non fuisset. Non consistente autem peccato, non solum malitia, sed etiam virtus fortasse non esset, quae, nisi aliqua malitiae fuissent semina, vel subsistere vel eminere non posset ».

Ecce praevaricationem legis et inobedientiam definit Ambrosius esse peccatum.

Cap. II.

De peccato.

325 Quocirca, diversitatis huius verborum occasione, de peccato plurimi diversa senserunt.

Alii enim dixerunt, voluntatem malam tantum peccatum esse et non actus exteriores [b]; alii [c], voluntatem et actus; alii neutrum, dicentes, omnes actus esse bonos, et a Deo et ex Deo auctore esse, malum autem nihil esse, ut ait Augustinus *Super Ioannem* [2]: « *Omnia per ipsum* [d] *facta sunt, et sine ipso factum est nihil,* id est peccatum, quod nihil est; et nihil fiunt homines, cum peccant ». Supra [3] etiam dixit Augustinus, quod malum est privatio [e] vel corruptio boni. Qui [f] etiam in libro *83 Quaestionum* [4] ait: « Summum malum nullum modum habet, caret enim omni bono; at modus aliquid boni est; non igitur est, quia nulla specie continetur, totumque hoc nomen mali de speciei privatione repertum est ».

Idem in *Dogmatibus ecclesiasticis* [5] dicitur: « Malum vel malitiam non esse a Deo creatam, sed a diabolo inventam, qui et ipse bonus creatus est ».

Idem etiam in libro *Contra Manichaeos* [6], quid sit peccare [g] ostendit, dicens: « Peccare quid [h] aliud est, nisi in veritatis praeceptis

---

[a] U *praevaricatione.* [b] Z *interiores.* [c] B add. *vero.* [d] V *Christum.* [e] Ed. et V add. *boni;* B corr. interlin. *praevaricatio.* [f] Ita U Z; ed. *quod.* [g] V *peccatum.* [h] D *nihil.*

---

[1] Cap. 8, n. 39 (PL 14, 292). [2] *In Ioan.* tract. 1, n. 13 (PL 35, 1385). [3] Dist. XXXIV, c. 4. [4] Quaest. 6 (PL 40, 13). [5] Cap. 57 (est liber Gennadii) (PL 58, 995). [6] Aug., *De fide contra Manichaeos,* c. 8 (PL 42, 1142).

vel in ipsa veritate [a] errare? Quod si non voluntate faciunt peccatores, iniuste iudicantur ».

Quid igitur in hac [b] tanta varietate tenendum, quid [c] dicendum [d]?

Sane dici potest et libere tradi debet, peccatum esse actum malum interiorem et exteriorem, scilicet malam cogitationem, locutionem et operationem; praecipue tamen in voluntate peccatum consistit, ex qua, tanquam ex *arbore mala,* procedunt opera mala tanquam *fructus mali* [1].

Cap. III.

Utrum malus actus, in quantum peccatum est, sit corruptio vel privatio boni.

Quidam autem, diligenter attendentes verba Augustini, qui- 326
bus supra et in aliis Scripturae locis utitur, non indocte tradunt, voluntatem malam et actus malos, in quantum sunt, vel in quantum actus sunt, bona esse; in quantum vero mala sunt, peccata esse; qui voluntatem et actum quemcumque bonam Dei naturam esse dicunt, in quantum actus est vel voluntas, et ex Deo auctore esse; in quantum vero inordinate et contra legem [e] fit et fine debito caret, peccatum est; et ita, in quantum peccatum est, nihil est: nulla enim substantia [f] est, nulla [g] natura est.

Quod autem voluntas omnis et actio bonum [h] sit, in quantum 327
est, ex eo probant, quod ait Augustinus in libro *83 Quaestionum* [2]: « Deus boni tantummodo causa est; quocirca mali auctor non est, quia [i] omnium quae sunt auctor est, quae in quantum [k] sunt, in tantum bona sunt ».

Idem probans nihil casu fieri in mundo, ait in eodem [3]: « Quidquid casu fit, temere fit; quidquid temere fit, non fit providentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur; si [l] non providentia universus mun-

---

[a] Z *voluntate,* sed corr. interl. *vel veritate.* [b] D om. [c] Ed. *quidve.* [d] Hic V in tertia columna, et B in margine ponunt sequentia: *Augustinus super Genesim:* « *Malum natura non est, sed amissio boni sic vocata est* ». Haec ab aliis codd. penitus omittuntur. [e] Ed. add. *Dei.* [f] Z et D (interl.) add. *vel natura;* B om. *est.* [g] B add. *enim.* [h] Z D *bona.* [i] Z *quae.* [k] D add. *quod.* [l] Z add. *vero.*

[1] Respic. Matth. 7, 17. [2] Quaest. 21 (PL 40, 16). [3] Quaest. 24 (PL 40, 17). Cfr. Abael. III. *Introd.,* c. 5, et V. *Theol.* (PL 178, 1095, 1327).

dus administratur [a], aliqua natura vel substantia est, quae ad opus providentiae non pertinet. Omne autem quod est, in quantum est, bonum est. Summum [b] enim est illud bonum, cuius participatione sunt cetera bona; et omne quod mutabile est, non per se, sed boni illius participatione, in quantum est, bonum est, quam [c] divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur casu fit in mundo ».

His testimoniis innituntur ad ostendendum, omne quod est, in quantum est, bonum esse.

Unde idem Augustinus in libro I *De doctrina christiana* [1] ait: « Ille summe ac primitus [d] est, qui omnino incommutabilis est; et cetera quae sunt, nisi ab illo esse non possunt; et in tantum bona sunt, in quantum acceperunt ut sint ».

Ex praedictis colligitur atque infertur, quia si mala voluntas et mala actio est, in quantum est, bona est. Sed quis est qui [e] diffitetur, malam voluntatem esse et malam actionem? Mala igitur voluntas sive actio, in quantum est, bonum est; et in quantum voluntas est vel actio, bonum similiter est; sed ex vitio mala est; quod vitium a [f] Deo non est, neque aliquid est.

Quod Augustinus notasse videtur in libro *83 Quaestionum* [2] dicens: « Vitium est voluntatis, quo est homo deterior; quod vitium longe abest a voluntate Dei, ut ratio docet ».

Ex hoc loco probant, voluntatem, in quantum vitiosa est, non esse a Deo; et in quantum vitiosa est, peccatum est; et peccatum est, ut aiunt, in quantum non habet ordinem nec finem debitum. Ita et actio, in quantum ex malo procedit, et ordinem non habet, et ad malum tendit.

328 Item et aliter probant, omnem actum interiorem vel exteriorem, in quantum est, esse bonum; quia non esset actus malus, nisi esset res bona, quia non est aliqua res mala, nisi eadem res bona sit.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [3]: « Omnis natura bonum [g] est; nec res aliqua mala esset, si res ipsa, quae mala est, natura non esset. Non igitur potest esse malum nisi esset [h] aliquod

---

[a] V om. *si n. p. u. m. administratur.* [b] Ed. *summe.* [c] Ed. *quod.* [d] U *primus,* sed corr. interl. *vel primitus.* [e] B D om. *est qui.* [f] D *ex.* [g] V *bona.* [h] Ed. om.; D add. *illud.*

---

[1] Cap. 32, n. 35 (PL 34, 32). [2] Quaest. 3 (PL 40, 11). [3] Cap. 13 (PL 40, 237). Vide supra pag. 489, nota 1-3.

bonum. Quod cum dici videatur absurde, connexio tamen ratiocinationis nos compellit hoc dicere ».

Ex praemissis testimoniis asserunt [a], omnes actus, in quantum sunt, esse res bonas, nec aliquid esse malum, id est peccatum, nisi idem quoque secundum aliquid bonum sit; et omnium quae sunt, in quantum sunt [b], Deum auctorem praedicant, et eius voluntate omnia esse quaecumque sunt, quae [c], in quantum sunt, naturae sunt.

Quibus opponitur: Si omnia quae sunt, in quantum sunt, 329
bona sunt et naturae sunt, ergo adulterium [d], homicidium et similia, in quantum sunt, bona sunt et naturae sunt, et Deo volente fiunt. Quod si est, tunc illi qui faciunt illa, bona agunt; quod penitus absurdum est.

His vero sic [e] illi respondent; dicunt equidem, adulterium, homicidium et huiusmodi non simpliciter actus denotare, sed et [f] actuum vitia; actusque ipsos adulterii et homicidii, in quantum sunt, vel in quantum actus sunt, a Deo esse et bonas naturas esse; sed non in quantum adulterium et homicidium sunt. Et ideo non sequi dicunt, si actus, qui homicidia et adulteria sunt, a Deo sunt, quod [g] homicidia et adulteria a Deo sint.

Item aliter eis opponitur [h]: Si aliquid non est malum, quod 330
non [i] sit natura vel res bona, quomodo igitur peccata sunt, non credere in Deum, non ire ad ecclesiam, et huiusmodi, cum ista non sint naturae, immo omnino non sint? Non est enim [k] aliquid vel res aliqua non ire ad ecclesiam, vel non credere [l], et huiusmodi.

Ad quod dicunt, his atque huiusmodi dictionibus, quae videntur privationes simpliciter notare et nihil ponere, quia per negationem dicuntur, vere aliqua poni, actusque per eas significari. Non credere enim in Christum incredulitatem dicunt, et nomine incredulitatis malum mentis actum significari. Ita etiam, cum dicitur: non ire ad ecclesiam malum est [m], non-euntis contemptus significatur, id est voluntas mala vel propositum; hoc est enim declinare a bono, et ideo malum est, sicut e converso declinare a malo bonum est. Sicut igitur declinatio a malo aliquid ponit, scilicet voluntatem et propositum vitandi malum — non enim potest esse bonum quod omnino nihil est — ita declinatio a bono quod est, significat scilicet [n] voluntatem et propositum mali. Et secundum

[a] Z add. *quidam.* [b] Z *fiunt*, sed corr. interl. *vel sunt.* [c] B C *quia.* [d] Ed. add. *et.* [e] D om. [f] Ita U Z; ed. om. [g] B *ideo.* [h] D *opponunt.* [i] Z om. [k] Z om. [l] D add. *in Deum.* [m] Z add. *nam.* [n] D om.

hoc, vera est et generalis illa peccati mortalis descriptio, quam supra [1] posuit Augustinus.

331 Potest etiam quaeri ab eisdem, cum peccatum sit, ut supra dictum est, privatio vel corruptio boni, et omnis actus malus sit peccatum, utrum sit privatio vel corruptio boni, in quantum peccatum est, vel non. Si enim, in quantum est [a], corruptio boni est, cum corruptio vel privatio boni poena sit homini, in quantum igitur peccatum est, poena est. Quod si est, tunc in quantum peccatum est, bonum esse videtur, et a Deo esse. Si autem non, in quantum peccatum est, corruptio est boni [b], quaeritur ergo secundum quid corruptio sit. Si enim corruptio est, et non in quantum peccatum est: cum non sit nisi bonum, praeterquam in eo quod peccatum est: ergo in quantum bonum est, corruptio vel privatio boni est.

Ad quod etiam ipsi dicunt, actum malum, non in quantum est, neque in quantum bonum est, esse privationem vel corruptionem boni, sed in quantum peccatum est; non tamen, in quantum peccatum est, poena est, vel aliquid quod a Deo sit. Ut enim ex verbis Augustini praemissis colligitur, peccatum dicitur corruptio vel privatio [c] active, non passive. Nam ideo malum vel peccatum dicitur corruptio boni, quia naturam bonam qualicumque privat bono. Nam si non privat aliquo bono, non nocet, ut supra [2] Augustinus ait; nocet autem; adimit igitur bonum. Non autem nocet, nisi in quantum peccatum est; ergo in quantum peccatum est, privat bono; itaque in quantum est peccatum [d], privatio est vel corruptio boni.

Cap. IV.

Quomodo peccatum possit corrumpere bonum, cum nihil sit.

332 Sed cum nihil sit, in quantum peccatum est, quomodo potest bonum corrumpere vel adimere?

Augustinus [e] hoc docet in libro *De natura boni* [f] [3] dicens: « Abstinere a cibo non est aliqua substantia; tamen substan-

[a] Z om. [b] Ita U Z; ed. om. [c] D add. *boni.* [d] V om. *privat bono... peccatum.* [e] Ed. cum V add. *te;* B om. *hoc.* [f] Ed. cum Z et Erf. *De natura et gratia.*

[1] Hic c. 2, et dist. XXXIV, c. 4. [2] Dist. XXXIV, c. 4. [3] Rectius *De natura et gratia* c. 20 (PL 44, 257).

tia corporis, si omnino abstineatur [a] a cibo, languescit et frangitur; sic non est substantia peccatum, eo tamen natura animae corrumpitur ». Peccatum vero, id est culpa, proprie animae corruptio est.

Si autem quaeritur, in quo possit corrumpi anima, in para- 333
bola [1] illius qui incidit in latrones, qui eum spoliaverunt et vulneraverunt, clarescit. Incidit enim homo in latrones, quando per peccatum in potestatem diaboli trahitur [b]; et tunc per peccatum exspoliatur gratuitis bonis, id est virtutibus, et in naturalibus bonis vulneratur, quae sunt ratio vel [c] intellectus, memoria et ingenium et huiusmodi, quae per peccatum obtenebrantur et vitiantur. Per peccatum etiam privatur illo bono, cuius participatione cetera bona sunt; quo tanto magis privatur, quanto magis [d] se ab eo elongat.

Cap. V.

Qualiter homo se elongat a Deo.

Ab eo autem se elongat [e] per peccatum, non loci distantia, 334
quia ubique totus et praesens est omnibus, et « omnia in ipso sunt, ut ait Augustinus in libro *83 Quaestionum* [2], et ipse locus non est. Locus tamen Dei abusive dicitur templum Dei, non quod eo contineatur, sed quod ei praesens sit et inhabitans; id autem anima munda intelligitur ». Per peccatum igitur non secundum locum aliquis longe fit a Deo; et [f] in eo longe fit, quod ab eius similitudine recedit, et tanto longius, quanto fit dissimilior. « Illa autem, ut ait Augustinus in libro *83 Quaestionum* [3], quae participatione similia sunt Deo, recipiunt dissimilitudinem. At ipsa similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis. Unde fit, ut, cum similitudo Patris sit Filius, ex nulla parte Patri possit esse dissimilis, cuius participatione similia sunt quaecumque Deo similia sunt; et illa possunt recipere dissimilitudinem ». Nihil est autem, quod hominem adeo Deo dissimilem faciat, quemadmodum peccatum. Cum autem peccatum sit corruptio vel privatio boni,

[a] B *abstineat.* [b] Ed. *traditur.* [c] Ita U B; V D *et;* ed. om. [d] D om. [e] Ed. add. *homo;* Z om. *per.* [f] Ed. *sed.*

[1] Luc. 10, 30; cfr. Ambros. (P L 15, 1717) et Beda in hunc locum (P L 92, 468) et August., II. *Quaestion. evangelic.* q. 19 (P L 35, 1340). [2] Quaest. 20 (P L 40, 16). [3] Ibid. q. 23.

quod [a] est in anima, est etiam privatio et corruptio boni corporis, sicut corpus hominis [b] privavit beneficio illius immortalitatis et impassibilitatis, quam habuit ante peccatum.

Cap. VI.

An poena sit privatio boni.

335 Quaeri autem [c] solet, utrum et poena sit privatio vel corruptio boni.

Ad quod facile responderi potest, si praedicta ad memoriam revocentur. Diximus enim supra, privationem vel corruptionem boni accipi active vel passive, id est secundum efficientiam, vel effectum. Ideoque privatio vel corruptio boni dicitur et peccatum et poena; sed peccatum secundum efficientiam, quia privat vel corrumpit bonum; poena autem secundum effectum, id est secundum passionem, quae est effectus peccati. Aliud est enim culpa, aliud poena; alterum est Dei, id est poena; alterum diaboli vel hominis [d], id est culpa.

DISTINCTIO XXXVI.

Cap. I.

Quod quaedam simul sunt peccatum et poena peccati, quaedam peccatum et causa peccati, alia vero peccatum et causa et poena peccati.

336 Sciendum est tamen, quaedam sic esse peccata, ut sint etiam poenae peccatorum.

Unde Augustinus super illum [e] locum Psalmi 57 [1]: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem,* ait: « Ignis superbiae et concupiscentiae et irae intelligitur. Istas poenas pauci vident; ideo eas maxime commemorat Apostolus in Epistola ad Romanos [2] et enumerat multa quae peccata sunt et poenae [f] peccati. Inter primum

---

[a] Ed. et V B *quae.* [b] B add. *prius.* [c] V *etiam.* [d] U add. *est.* [e] D om. [f] Ed. et D *poena.*

[1] Vers. 9. *Enarrat.* n. 18 (PL 36, 687). [2] Cap. 1, 23 seqq.

enim peccatum apostasiae et ultimam poenam ignis aeterni, media quae sunt [a], et peccata sunt et poenae [b] peccati ».

Gregorius quoque *Super Ezechielem* [1] ait: « Contemnenti, qui non vult poenitere, ponit Deus offendiculum, ubi [c] scilicet gravius impingat. Peccatum enim, quod per poenitentiam citius non deletur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum [d] et poena peccati, aut peccatum simul et causa et poena peccati.

Unde Moyses [2]: *Nondum sunt completa peccata Amorrhaeorum;* et David inquit [3]: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum;* et alius Propheta [4]: *Sanguis sanguinem tetigit,* id est, peccatum peccato additum est. Paulus quoque ait [5]: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae* etc.; et item [6]: *Ut impleant peccata sua semper.* Ioanni quoque per Angelum dicitur [7]: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc* ».

Ex [e] his testimoniis colligitur, peccatum aliquod et peccatum esse et poenam peccati.

Cap. II.

An peccatum sit causa peccati, in quantum peccatum est.

Et ideo merito quaeritur, utrum, in quantum peccatum est, 337
sit poena peccati.

Quod non videtur, cum omnis poena peccati iusta sit. Unde Augustinus in libro *Retractationum* [8]: « Omnis poena peccati iusta est et supplicium nominatur ». Si ergo peccatum, quod est peccatum et poena peccati [f], in quantum peccatum est, poena peccati est; cum omnis poena iusta de iustitia Dei veniat, videtur, in quantum peccatum est, iustum esse et a Deo provenire.

Ad quod illi respondent, peccatum sic dici poenam peccati, 338
quia per peccatum, in quod merito praecedentis peccati homo labitur, deserente Deo, corrumpitur bona natura. Sicut ignis aeternus dicitur poena malorum, quia eo [g] cruciantur; nec tamen ipse cru-

---

[a] D *quaedam sunt quae,* pro *m. q. s.* [b] Ed. et Z *poena.* [c] Ed. et Z *ut.* [d] B add. *simul.* [e] D om. [f] D add. *non nominatur.* [g] Ita UZ; D *illic;* ed. *ea.*

---

[1] Libr. I, hom. 11, n. 23, 24, 25 (PL 76, 915). Vide etiam XXV. *Moralium,* c. 9, n. 22, 23 (PL 76, 334). [2] Gen. 15, 16. [3] Ps. 68, 28. [4] Ose. 4, 2. [5] Rom. 1, 26. [6] I. Thes. 2, 16. [7] Apoc. 22, 11. [8] Libr. I, c. 9, n. 5 (PL 32, 595); et III. *De lib. arb.* c. 18, n. 51 (PL 32, 1296).

ciatus malorum ignis est, sed per ignem fit in homine. Ita per peccatum corrumpitur natura, et imminuitur bonum naturae; et est ipsa imminutio et corruptio boni passio et poena; et non est essentialiter ipsum peccatum, per quod fit, sed ideo peccatum dicitur, ut praemissum est, quia per peccatum, illico ut peccat homo, fit in homine illa corruptio, quae tamen fit [a] Deo auctore: illa enim poena sive passio, quae est boni corruptio, a Deo est. Illius tamen, ut sic [b] dicam, materia et causa est peccatum, quod a Deo non est [1].

339 Quod videtur Augustinus notasse et iuxta hunc sensum intellexisse, cum ait in libro *De praedestinatione Sanctorum* [2]: « Praedestinatione Deus ea praescivit quae fuerat ipse facturus. Sed praescivit Deus etiam quae non est ipse facturus, id est omnia mala, quia etsi sunt quaedam, quae ita peccata sunt, ut etiam poenae sint peccati, secundum illud Apostoli [3]: *Tradidit illos Deus in passiones* [c], etc., non tamen peccatum est Dei, sed iudicium », scilicet poena: in Scriptura enim saepe nomine iudicii poena intelligitur. Hic [d] diligenter intendentibus insinuare videtur, ea quae peccata sunt et poenae peccati, non in quantum peccata sunt, sed in quantum poenae, Dei esse [e]. Nam cum dixisset, Deum non esse [f] facturum mala aliqua, id est peccata; quia posset ei obiici, quaedam peccata esse etiam poenas peccati — et poena peccati omnis iusta est, et ideo a Deo est — quasi determinando, secundum quid faciat ea, vel secundum quid non faciat, addidit reliqua. Iuxta vero praedictam intelligentiam peccata sane dicuntur poenae. Unde Apostolus appellat ea *passiones ignominiae,* quia, ut ait auctoritas [4], « licet quaedam peccata sint, quae delectent, sunt tamen passiones naturae non nominandae », quia per ea corrumpitur natura.

Cap. III.

Quod non omne peccatum est poena peccati.

340 Et licet ex [g] hoc sensu omne peccatum mortale [h] possit dici poena, non tamen omne potest dici poena peccati. Poena enim pec-

---

[a] Z add. *a.* [b] Z *si.* [c] U add. *ignominiae.* [d] Z add. *enim.* [e] Ed. add. *dicuntur.* [f] D om. [g] Z om. [h] V om.

---

[1] Aliam sententiam Magister, hic c. 4. satis approbat, quae communis est posterioribus. [2] Cap. 10, n. 19 (PL 44, 975) *. [3] Rom. 1, 26. [4] Glossa ad Rom. 1, 26.

cati [a], ut praedictum est, est illud cuius causa est aliud praecedens peccatum. Nam peccatum sic [b] dicitur poena peccati respectu praecedentis, sicut dicitur causa peccati [c] respectu sequentis [d]. Quo fit, ut idem peccatum et causa sit et poena peccati, sed alterius peccati poena et alterius causa.

Ut enim Gregorius in *Moralibus* [1] ait: « Peccatum, quod poenitentia [e] non diluitur, suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit, ut non solum peccatum sit, sed et causa peccati: ex illo quippe culpa subsequens oritur. Peccatum vero [f], quod ex peccato oritur, non solum peccatum sed et poena peccati est, quia iusto iudicio Deus cor peccantis obnubilat, ut praecedentis peccati [g] merito etiam in alia cadat: quem enim liberare noluit, deserendo percussit ».

Proinde, ut Augustinus [2] ait: « Praecedentis est haec poena peccati, et tamen etiam ipsa peccatum est ». « Iudicio enim iustissimi Dei traditi sunt, ut ait Apostolus de quibusdam — sive deserendo, sive alio modo explicabili vel inexplicabili — *in passiones ignominiae* [3], ut crimina criminibus vindicarentur, et supplicia peccantium non tantum sint tormenta, sed et vitiorum incrementa [4] ». Illa ergo peccata [h], quae enumerat [i] Apostolus, quia de superbia sunt, non solum peccata, sed et supplicia sunt.

Ecce ex his iam [k] fit perspicuum, quaedam peccata etiam poenas et causas peccati esse; et illud peccatum esse poenam peccati, quod causam praecedentem habet peccatum; atque illud peccatum esse causam peccati, quod est meritum sequentis culpae.

Cap. IV.

Utrum peccata aliqua essentialiter sint poenae peccati.

Sed cum ait, crimina criminibus vindicari, videtur insinuare [l], 341
ea ipsa, quae peccata sunt, essentialiter esse poenas peccati, id est punitiones peccati.

---

[a] V om. *P. e. p.* [b] V *si.* [c] B add. *id est.* [d] V *subsequentis.* [e] Z add. *citius.* [f] Z *ergo.* [g] D om. [h] V om. [i] V A C *meminerat.* [k] D *verbis.* [l] D *significare.*

---

[1] Libr. XXV, c. 9, n. 22 (P L 76, 334). Cfr. etiam I. *Super Ezech.*, hom. 11, n. 34 (P L 76, 915). [2] Libr. V *Contra Iulian.* c. 3, n. 10 (P L 44, 789). [3] Allud. ad Rom. 1, 26. [4] Ibid. et I. *Contra adversarium Legis et Prophet.* c. 24, n. 54 (P L 42, 635).

Ad hoc autem inquiunt illi, haec et similia dicta esse secundum rationem praedictam, et ideo intelligenda fore secundum praemissam expositionem. « Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi [1] ».

In nullo tamen [a] praeiudicium fieri veritati putatur, si quis dicat, ipsa eadem, quae peccata sunt, essentialiter, ut ita dicam, esse poenas, id est punitiones peccatorum praecedentium, quae iustae sunt et a Deo sunt. Nec tamen, in quantum peccata, a Deo sunt [b], nec in quantum peccata sunt, poenae peccati sunt; et tamen, in quantum peccata [c] sunt, privationes [d] boni sunt; sed, ut supra [2] dictum est, causaliter et active dicuntur privationes.

Cap. V.

Quod, cum peccatum etiam sit poena peccati, peccatum est ab homine, poena a Deo.

342 Quod autem quaedam peccata poena [e] sint, et ipsa poena iusta sit et a Deo sit, Augustinus evidenter tradit in libro I *Retractationum* [3] dicens, quaedam necessitate fieri ab homine, quae mala sunt, et eadem iusta poena peccati sunt: « Sunt, inquit [f], necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte [g] facere, et non potest. « Unde est illud Apostoli [4]: *Non quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago.* Et illud [5]: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Haec enim invicem* [h] *adversantur, ut non ea quae vultis, faciatis;* sed haec omnia ex illa mortis damnatione sunt [i]. Nam si non est ista poena hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt: si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est homo, cum haec facit, ea utique facit, quae debet. Si autem homo, quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate ut sit bonus — sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo [k] et non valendo esse qualem se esse debere videt — poenam istam esse, quis dubitet?

---

[a] V *modo.* [b] D om. [c] D om. [d] U *punitiones,* sed corr. interl. *vel privationes.* [e] Ed. *poenae.* [f] Ed. add. *quaedam.* [g] V *recta.* [h] Ed. add. *sibi.* [i] V om. [k] Z *non videndo;* V om. *q. e. d. s. v.*

---

[1] Hilarius, IV. *De Trin.* n. 14 (PL 10, 107). [2] Dist. XXXV, c. 3. [3] Cap. 9, n. 5 (PL 32, 597). Cfr. etiam III. *De lib. arb.* c. 18, n. 51 (PL 32, 1295). [4] Rom. 7, 15. [5] Gal. 5, 17.

Omnis autem poena, si peccati poena est, iusta est et supplicium nominatur. Si autem iniusta est poena — quoniam poenam esse, nemo ambigit — iniusto aliquo dominante homini imposita est. Porro, quia de omnipotentia [a] Dei et iustitia dubitare dementis est, iusta est haec poena et pro peccato aliquo impenditur [b]. Non enim quisquam iniuste dominans, aut surripere hominem potuit, veluti ignoranti Deo, aut extorquere invito tanquam invalidiori, ut hominem iniusta poena cruciaret. Relinquitur ergo, ut haec poena iusta de damnatione hominis veniat ».

His atque aliis pluribus testimoniis docetur, quaedam esse peccata et poenas peccati [c].

Cap. VI.

De quibusdam, quae indubitanter peccata sunt et poenae, et in quantum eis patimur, peccata non sunt.

Praeterea, nullatenus ambigendum est, quaedam peccata absque 343
ullo scrupulo poenas esse, ut invidia, quae est dolor alieni boni, et ira; quae etiam, non in quantum poenae sunt, peccata sunt; ita etiam de cupiditate et timore et aliis huiusmodi sentiendum est.

Unde Augustinus in libro *83 Quaestionum* [1] ait: « Omnis [d] perturbatio passio [e]; omnis cupiditas perturbatio; omnis igitur cupiditas passio. Omnis vero passio cum est in nobis, ipsa passione patimur; omnis igitur cupiditas cum est in nobis, ipsa cupiditate patimur, et in quantum cupiditas est [f], patimur; omnis autem passio, in quantum ipsa patimur, non est peccatum. Ita et de timore. Non enim consequens est, ut si [g] patimur timorem, ideo non [h] sit peccatum, quia multa sunt peccata quae patimur, sed non in quantum patimur eis ».

Illud autem diligenter est adnotandum, quod supra [2] positis 344
verbis Augustini dicentis, quaedam necessitate facta esse improbanda et mala, videtur obviare quod Hieronymus ait in *Explanatione fidei* [3]; quod licet supra sit positum, tamen, ut perfectius

[a] V *potentia*. [b] Z *penditur*. [c] Ed. cum B et Z (interl.) add. *essentialiter*. [d] D add. *enim*. [e] D add. *est et*. [f] V Z D add. *ea*. [g] B (interl.) add. *iam*. [h] V om.

[1] Quaest. 77 (P L 40, 89). [2] Hic c. 5. [3] *Symboli explanatio ad Damasum* (P L 32, 1295); vide supra dist. XXVIII, c. 4.

sciatur, iterare non piget: « Exsecramur, inquit, eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini a Deo esse praeceptum, et mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in commune posse servari ». Et paulo post: « Et tam illos errare dicimus, qui cum Manichaeo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quam illos qui cum Iouiniano asserunt, hominem non posse peccare ».

Ecce hic [a] Hieronymus dicit errorem esse, si quis dicat hominem vitare peccatum non posse: qui autem dicit, quaedam necessitate fieri, quaedam dicit non posse vitari: cum ergo [b] id Augustinus dicat, videtur aut erroris esse quod tradit, aut non esse verum quod Hieronymus ait.

Ad quod dici potest, quia Augustinus secundum statum huius miseriae — ad quam pertinet ignorantia et difficultas, ut idem ait in libro *De libero arbitrio* [1], quae ex iusta damnatione descenderunt — illud tradidit [c], ubi et venialia peccata inclusit. Hieronymus vero de mortalibus tantum loquitur peccatis, quae unusquisque, gratia illuminatus, vitare valet; vel de homine secundum statum [d] liberi arbitrii ante peccatum illud ait [e].

345 Satis diligenter eorum posuimus [2] sententiam, qui dicunt, omnes actus naturas [f] esse, et in quantum sunt, bonos esse. In quo tractatu quaedam interseruimus, quae non ex eorum tantum persona accipienda sunt, quia ab omnibus catholice sapientibus absque haesitatione tenentur; atque auctoritatum testimoniis et rationibus eorumdem traditionem munivimus, qui dicunt, omnes actus essentia sui, id est, in quantum sunt, esse bonos, quosdam vero, in quantum inordinate fiunt, peccata esse. Addunt quoque, quosdam non tantum essentia, sed etiam [g] genere bonos esse, ut reficere esurientem, qui actus est de genere operum [h] misericordiae; quosdam vero actus absolute ac perfecte bonos dicunt, quos non solum essentia vel genus, sed etiam causa et finis commendant, ut sunt illi qui ex voluntate bona proveniunt et bonum finem metiuntur.

---

[a] Ed. et V om. [b] Z om. [c] V add. *Augustinus.* [d] D om. [e] B *dicit Hieronymus.* [f] C add. *bonas.* [g] D add. *in.* [h] B A C *operis.*

---

[1] Libr. III, c. 18, n. 51 (P L 32, 1295); *De dono persever.* c. 11, n. 27 (P L 45, 1009); I. *Retract.* c. 9, n. 5 (P L 32, 597). [2] De hac re actum est supra dist. XXXV, c. 3.

DISTINCTIO XXXVII.

CAP. I.

Quod aliqui putant, malos actus nullo modo esse a Deo.

Sunt autem et alii plurimi, longe aliter de peccato et de [a] 346
actu sentientes; asserunt enim [b], voluntatem malam et actum malum peccata esse, et nulla ratione bona, nec secundum aliquam rationem ex Deo auctore esse, quia sine Deo fiunt.

Sine eo namque, ut ait Evangelista [c], *factum est nihil* [1], id est peccatum, quod dicitur esse nihil, non quia non sit actio, vel voluntas mala, quae aliquid est, sed quia a vero esse separat homines et ad malum trahit, et sic ad non-esse deducit. « Qui enim summi boni participatione recedunt, quod solum vere ac proprie est, merito non esse dicuntur [2] ».

Ideoque Augustinus dicit *Super Ioannem* [3], « peccatum nihil esse, nihilque fieri homines, cum peccant ».

Hac igitur ratione astruunt, peccatum nihil esse, quia a vero esse hominem elongat; voluntatemque malam atque actionem, sive locutionem malam, peccatum esse dicunt, quia praevaricatio et inobedientia haec sunt et contra legem Dei fiunt; quae tamen sunt, sed ab homine, vel [d] diabolo, non a Deo. Nullatenus enim a Deo haec esse dicunt, sive in quantum sunt, sive alio modo.

Illa [e] quoque Augustini verba [4], quibus dicit, « omne quod 347
est, in quantum est, bonum esse et Deum habere auctorem », de naturis sive [f] substantiis tantum accipienda fore tradunt. Substantiae vero nomine atque naturae dicunt significari substantias ipsas, et ea quae naturaliter habent, scilicet, quae concreata [g] sunt eis, sicut anima [h] naturaliter habet intellectum et ingenium et voluntatem et huiusmodi; quod ex verbis Augustini praemissis col-

---

[a] B om. [b] Z *autem;* U add. *et.* [c] D *Evangelium.* [d] Ita U Z; ed. add. *a.* [e] V Z D *illaque,* om. *quoque.* [f] Ed. *natura sive de,* pro *n. s.;* V om. *tantum.* [g] B Z *concreta.* [h] D add. *quae.*

---

[1] Respic. Ioan. 1, 3. [2] Gregor., XIV. *Moral.* c. 18, 22 (PL 75, 1051)*. [3] Tract. 1, n. 13 (PL 35, 1385). [4] Vide dist. XXXV, c. 3.

ligitur, ubi [a] [1] hominem appellat [b] naturam, et malum hominem malam naturam.

Secundum hanc igitur assertionem vel acceptionem [c] mali actus non sunt naturae vel substantiae, nec etiam boni actus; quod utique videtur Augustinus innuere in libro [d] *Retractationum* [2], distinguens inter substantias sive [e] naturas, et bonas actiones sive malas. Aperiens enim, quomodo intelligendum sit quiddam [f] in libro *De vera Religione* [3] ab eo traditum [g], ait: « Hoc de substantiis atque naturis dictum est: inde enim disputabatur, non de bonis actionibus atque peccatis ». Aperte hic videtur dividere inter naturas sive substantias, et actiones sive peccata. Ideoque asserunt praefati doctores, actiones interiores vel exteriores non esse naturas vel substantias, quae, si malae sunt, peccata sunt, neque a Deo sunt.

348 Quod vero mali actus non sint naturae, Augustinus videtur notare in prima responsione contra Pelagianos [4], ita dicens: « Opera diaboli, quae vitia dicuntur, actus sunt, non res ».

Idem in quarta [h] [5]: « Omne malum natura non est, sed actus, accidens alicui [i] ex defectu boni. Quam ob rem, quod natura non est, Deus non fecit, quia natura est omne quod fecit ».

Item [6]: « Omne quod natura bonum est, Deus ex nihilo fecit, non diabolus ».

Ex quo colligitur, res aliquas esse, quae a Deo non sunt, eisque homines mali sunt.

Quod nihilominus et ipsi concedunt, innitentes verbis Augustini superius positis, qui in *Enchiridio* [7], determinans illa verba Prophetae [k] [8]: *Vae! his* [l] *qui dicunt bonum malum,* dicit, « de ipsis rebus, quibus homines mali sunt, non de hominibus hoc esse intelligendum ». Sunt ergo [m] aliquae res, quibus homines mali sunt.

---

[a] Ed. et Z add. *bonum.* [b] Ed. et Z add. *bonam.* [c] In U *vel acceptionem* est corr. interl. pro *assertionem.* [d] Ed. add. *primo.* [e] Z add. *inter;* D *et bonas.* [f] V *quod.* [g] V add. *est.* [h] Ed. et V add. *responsione.* [i] U om. [k] B om. *q. i. E. d. i. v. P.* [l] D om. [m] V *quoque.*

---

[1] Dist. XXXIV, c. 4. [2] Libr. I, c. 13, n. 8 (PL 32, 605). [3] Cap. 41, n. 78 (PL 34, 157). [4] Libr. I. *Hypognost.* c. 5, n. 7 (PL 45, 1618). [5] Ibid. IV. c. 1, n. 1 (PL 45, 1639). [6] Ibid. paulo superius. [7] Cap. 19 (PL 40, 241). [8] Respic. Isai. 5, 20. Vide dist. XXXIV, c. 5.

Id vero, quo homo fit deterior, a Deo non est, quia, ut ait Augustinus in libro *83 Quaestionum* [1], « Deo auctore homo non fit deterior ». Non est igitur Deus auctor rerum, quibus homo fit deterior; at sunt aliquae res, ut dictum est, quibus homines mali sunt [a]; sunt igitur aliquae res, quae a Deo non sunt, quia peccata ipsae [b] sunt. Ideoque Scriptura in pluribus contestatur locis [2], Deum non esse auctorem malorum, id est eorum quae peccata sunt.

Cap. II.

Ex quo sensu dictum sit: Deus non est mali auctor.

In hoc autem verbo, superiorum sententiae recte opponitur, 349
qui dicunt, Deum non esse auctorem eorum, quae mala sunt, in quantum mala sunt, sed in quantum sunt; et in quantum mala sunt, dicunt ea nihil esse. Quid igitur mirum, si Deus dicitur non esse auctor eorum, in quantum nihil sunt, cum nihil nullus auctor existere queat? Ideoque cum dicitur Deus esse auctor omnium quae sunt, bonorum isti subintelligi volunt. Bona autem illa dicunt esse [c], quae naturaliter sunt; ea vero naturaliter esse dicunt, non solum quae substantiae sunt, vel concreta [d] substantiis, qualiter supra acceperunt, sed et omnia quae naturam non privant bono. Et ita secundum eosdem multiplex in Scripturis fit intelligentia, ubi de natura sive [e] substantia, vel de his quae naturaliter sunt, sermo occurrit.

Sed super illum locum Psalmi: *Non est substantia*, ita Augustinus [3] de substantia disserit [f], ut praemissae sententiae videatur consentire, dicens: « Substantia intelligitur illud quod sumus, quidquid sumus: homo, pecus, terra, sol; omnia ista substantiae sunt, eo ipso quo sunt. Naturae ipsae substantiae dicuntur; nam quod nulla est substantia, nihil omnino est; substantia ergo est aliquid esse ». « Deus fecit hominem substantiam, sed per iniquitatem lapsus est homo a substantia, in [g] qua factus est; iniquitas quippe ipsa non est substantia: non enim iniquitas est

[a] Ita U Z; ed. *fiunt*, quod in Z est corr. interl. [b] V *ipsa*. [c] V om. [d] Ed. *concreata*. [e] Z D add. *de*. [f] Ed. et V D *disseruit*. [g] D om.

[1] Quaest. 3 (P L 40, 11). [2] Cfr. Deut. 32, 4; Isai. 53, 9. [3] *Enarrat.* serm. 1, n. 5, super Ps. 68, 3 (P L 36, 844).

natura, quam formavit [a] Deus, sed iniquitas est perversio, quam fecit homo [1] ». « Naturae omnes per ipsum factae sunt; iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas non est substantia. In illo [b] hymno trium puerorum [2] universa creatura laudans Deum commemoratur. Laudant enim omnia Deum, sed [c] quae fecit Deus: laudat ibi serpens Deum, sed non avaritia. Omnia repentia [d] ibi nominata sunt, sed non aliqua vitia: vitia enim ex nobis et ex nostra voluntate habemus, et vitia non sunt substantia [3] ».

Intendant his verbis diligenter praemissarum assertores sententiarum, et percipere poterunt rationem et causam dictorum, ubi Scriptura de natura vel substantia mentionem facit.

Illarum vero [e] sententiarum iudicium, prudentis lectoris, cui utriusque sententiae notitiam plenarie dedimus, arbitrio relinquimus, ad ea quae adhuc nobis supersunt tractanda festinantes.

350 Cum igitur in hoc omnes consentiant catholici tractatores, quod scilicet Deus non est auctor malorum, cavendum est tamen, ne malorum nomine poenas, sicut peccata, generaliter [f] includas. Poenarum enim Deus auctor est, sicut ipse per Prophetam [g 4] ait: *Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Item alibi ex persona sua ait [5]: *Ego sum Deus, creans malum et faciens bonum.* Ecce hic dicitur [h] creasse et fecisse malum; sed mali nomine poena intelligitur, non peccatum; sicut e converso, cum [i] dicitur Deus non esse auctor malorum, nomine mali peccata intelliguntur.

Ideoque Augustinus, qui dixerat in libro *83 Quaestionum* [6], quod Deus auctor mali non sit, in I libro *Retractationum* [7], quomodo id intelligendum sit, aperit dicens: « Videndum est, ne male intelligatur quod dixi: Deus auctor mali non est, qui et omnium quae sunt auctor est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt; et ne hinc putetur, non ab illo esse poenam malorum, quae utique malum est his qui puniuntur. Sed hoc ita dixi, sicut dictum est [8]: *Deus mortem non fecit*, cum alibi scriptum sit [9]: *Mors et*

---

[a] Z *fecit.* [b] U add. *tamen;* V om. *trium.* [c] Z *scilicet.* [d] Ita U Z D; ed. *reptilia.* [e] D *ergo.* [f] Z add. *intelligamus.* [g] Z *Propheta,* om. *i. p.;* D om. *ipse.* [h] D *videtur.* [i] U *quando.*

---

[1] Ibid. [2] Dan. 3, 24 seqq. [3] Aug., loc. cit. [4] Amos 3, 6. [5] Isai. 45, 6, 7. [6] Quaest. 21 (PL 40, 16). [7] Cap. 26 (PL 32, 625). [8] Sap. 1, 13. [9] Eccli. 11, 14.

vita a Domino est. Malorum ergo poena, quae a Deo est, malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est [a], quoniam iustum est, ut mali puniantur; et utique bonum est omne quod iustum est ». Sic ergo dicitur Deus non fecisse mortem, quia non fecit illud, pro quo mors infligitur, id est peccatum.

Audisti, lector, causam dictorum, ex qua intelligentia sana formatur [b], cum dicitur: *Deus* [c] *non est auctor mali;* et: *Deus mortem non fecit.*

DISTINCTIO XXXVIII.

CAP. I.

De voluntate et eius fine.

Post praedicta, de voluntate eiusque fine disserendum est. 351

Sciendum igitur est, quod ex fine suo, ut ait Augustinus [1], voluntas [d] cognoscitur, utrum recta, an prava sit. Finis autem bonae voluntatis beatitudo est, vita aeterna, Deus ipse [e]. Malae vero finis est aliud, scilicet mala delectatio, vel aliquid aliud, in quo non debet voluntas quiescere.

Finem [f] bonum insinuat Propheta dicens [2]: *Omnis consummationis vidi finem,* etc. Caritas ergo, cuius *latum mandatum est,* finis *omnis consummationis est,* id est omnis bonae voluntatis et actionis, ad quam [g] omne praeceptum referendum est.

Unde Augustinus in *Enchiridio* [3]: « Omnia praecepta divina referuntur ad caritatem, de qua dicit Apostolus [4]: *Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* Omnis itaque praecepti finis caritas est, id est, ad caritatem refertur omne praeceptum. Quod vero ita fit vel timore poenae vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad caritatem, quae est dilectio Dei et proximi, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur ». « Tunc enim recte fiunt quae Deus

---

[a] V om. [b] Ita U Z D; ed. *firmatur.* [c] Z om. [d] U *quaeque voluntas.* [e] V add. *est.* [f] D add. *vero.* [g] V *quod.*

---

[1] Libr. XI *De Trin.* c. 6, n. 10 (PL 42, 992)*. [2] Ps. 118, 96. [3] Cap. 121, n. 32 (PL 40, 288). [4] I. Tim. 1, 5.

mandat et quae consilio monet, cum referuntur ad dilectionem Dei et proximi [1] ».

His verbis aperte insinuatur, quis sit rectus finis voluntatis, sive actionis, scilicet caritas, quae et Deus est, ut supra [2] ostendimus.

Cap. II.

Quis sit bonus finis, scilicet caritas.

352 Qui ergo caritatem sibi [a] ponit finem, Deum sibi ponit finem; unde et *Christum finem legis ad iustitiam* dicit Apostolus [3] esse *omni credenti*. Et recte dicitur Christus *finis legis ad iustitiam* [b], quia, ut ait Augustinus in libro *Sententiarum Prosperi* [4], « in Christo lex iustitiae non consumitur, sed impletur. Omnis enim perfectio ex [c] ipso est [d], ultra quem non est quo spes se extendat ». « Finis fidelium Christus est, ad quem cum pervenerit currentis intentio, non habeat quo possit amplius venire [e], sed habet id [f] in quo habeat permanere [5] ». Finis ergo rectus atque supremus Deus est, Pater scilicet [g] et Filius et Spiritus sanctus; neque hi tres sunt tres fines, sed unus finis, quia non tres dii, sed unus est [h] Deus.

Cap. III.

Quod omnes bonae voluntates unum finem habent, et tamen quaedam diversos fines sortiuntur.

353 Sed quaeritur, utrum omnes bonae voluntates unum tantum habeant finem.

De hoc Augustinus in XI libro *De Trinitate* [6] ait ita: « Aliae atque aliae voluntates suos proprios fines habent, qui tamen referuntur ad finem illius voluntatis, qua volumus beate vi-

---

[a] V om. [b] V om. *esse omni... iustitiam.* [c] Ed. *in.* Erf. recte annotat: In originali *in ipso,* non *ex ipso.* [d] V et Z (in margine) add. *et in ipso est.* [e] ZB *invenire;* quod U habuit, sed corr. interl. *vel venire.* [f] Ed. om. [g] Ita UZ; ed. om. [h] Ed. om.

[1] Aug. loc. cit. parum inferius. [2] Libr. I, dist. XVII, c. 3. [3] Rom. 10, 4. [4] Sent. 190 (PL 45, 1875); August. *Enarrat.* in Ps. 45, n. 1 (PL 36, 514). [5] Sent. 206 (PL 45, 1876); Aug., *Enarrat.* in Ps. 56, n. 2 (PL 36, 662). [6] Cap. 6, n. 10 (PL 42, 992).

vere, et ad eam pervenire vitam, quae non referatur ad aliud, sed amanti per se ipsa [a] sufficiat; quemadmodum voluntas videndi, finem habet visionem, et voluntas videndi fenestram, finem habet fenestrae visionem; altera vero est voluntas per fenestram videndi transeuntes, cuius item finis est visio transeuntium. Ad quod etiam praedictae referuntur voluntates ».

Item [1]: « Rectae sunt voluntates et omnes sibimet [b] religatae, si bona est illa, ad quam cunctae referuntur. Si autem prava est, pravae sunt omnes; et ideo rectarum voluntatum connexio, iter quoddam est ascendentium ad beatitudinem, quod certis velut passibus agitur; pravarum autem et distortarum voluntatum implicatio vinculum est, quo alligabitur qui hoc agit, ut *proiiciatur in tenebras exteriores* [2] ».

His auctoritatum testimoniis evidenter monstratur, plures in fidelibus rectas esse voluntates, proprios ac diversos fines habentes, et tamen unum eundemque, quia omnes referuntur ad unum, qui est finis finium, de quo paulo ante diximus; ita e converso forte est et in malis.

Verumtamen huic sententiae, qua dictum est, fidelium [c] quas- 354
dam rectas voluntates diversos fines sortiri, et tamen ad unum referri, videtur obviare quod alibi Augustinus monet, ne scilicet nobis duos fines constituamus, ita inquiens in libro de *Sermone Domini in monte* [3]: « Non debemus ideo evangelizare, ut manducemus, sed ideo manducare, ut evangelizemus: ut cibus non sit bonum quod appetitur, sed necessarium quod adiicitur [d], ut illud impleatur [4]: *Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis* [e] ». Non dixit: « *primum quaerite regnum Dei,* et deinde quaerite ista, quamvis sint necessaria; sed ait [f]: *haec omnia adiicientur vobis,* id est, haec [g] consequentur, si illa quaeratis; ne, cum ista quaeritis, illinc avertamini, aut ne duos fines constituatis, ut et regnum propter se appetatis, et ista necessaria propter illud [5] ». « Ergo propter regnum Dei tantum debemus operari

---

[a] Ita U Z; ed. *ipsam.* [b] Z add. *in eodem.* [c] Z om. [d] U *additur.* [e] V om. *e. h. o. a. v.* [f] U add. *et;* Z add. *Primum quaerite regnum Dei et.* [g] D add. *vos.*

---

[1] Ibid. parum inferius. [2] Respic. Matth. 22, 13. [3] Libr. II, c. 16, n. 54 (PL 34, 1292). [4] Matth. 6, 33. [5] Ibid. c. 17, n. 56.

omnia, non solam vel cum regno Dei mercedem temporalem meditari [1] ».

Ecce hic aperte dicit, ne duos fines nobis constituamus, sed unum tantum, id est regnum Dei, cum supra dixerit, bonas voluntates alias et alias proprios habere fines.

355 Haec autem sibi non repugnare, animadvertit qui verbis praemissis simplici oculo diligenter intendit. Qui enim dixit, ne duos fines nobis constituamus, sed omnia propter regnum [a] faciamus, ipse praemisit, quod debemus manducare, ut evangelizemus. Cum autem haec [b] ita facimus, actionis illius finem Evangelium [c] constituimus, sed et hunc finem ad regnum Dei referimus. Manducamus enim propter Evangelium, et manducamus et evangelizamus propter regnum Dei [d]. Duos ergo fines nobis in [e] manducando constituimus; sed ista facientes, nunquid peccamus? Absit. Nam et ipse sic facere suadet, si diligenter eius verba inspiciantur [f]. Cum ergo ait, ne duos fines nobis constituamus, fines in diversa tendentes intelligi voluit, scilicet, quorum alter ad alterum non referatur; ita et cum dicit, propter regnum Dei tantum [g] omnia agenda, nec cum ipso mercedem temporalem meditandam, ita intelligendum est, ut non appetendo meditemur cum regno mercedem temporalem, ita quod non propter regnum, sed propter se, ut scilicet regnum propter se appetâmus, et ista propter illud, sicut ipse docet. Si enim petimus vitam aeternam, petimusque etiam [h] temporalia a Deo; si [i] ea petimus propter vitam aeternam, non offendimus, neque *sinistra tunc scit, quid faciat dextera* [2], quia mercedem temporalem non propter se meditamur, sed *propter regnum Dei*, ut sit laeva sub capite, et dextera [k] in amplexu [3]. Alioquin si haec temporalia propter se quaerimus, sicut aeterna, miscetur dextrae sinistra. Ideoque cum Dominus dixerit [4]: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis;* alibi ait [5]: *Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Propter Deum ergo

---

[a] Ed. et Z add. *Dei.* [b] Ed. et Z *hoc.* [c] V om. [d] V Z B om. [e] Z om. [f] Ed. et V *inspiciamus.* [g] D add. *ea.* [h] Z om. [i] D *sed si.* [k] D add. *illius.*

---

[1] Ibid. infra. [2] Matth. 6, 3. [3] Respic. Cant. 2, 6. [4] Matth. 6, 1. [5] Matth. 5, 16.

omnia facienda sunt, ut omnia quae facimus, omniumque fines ad eum referamus.

Cap. IV.

De differentia voluntatis et intentionis et finis.

Solet etiam quaeri, quid distet inter voluntatem et intentio- 356
nem ac finem.

Ad quod dici potest, inter voluntatem et finem certo atque evidenti modo distingui, quia voluntas est, qua volumus aliquid; finis vero voluntatis est vel illud quod volumus, per quod impletur ipsa voluntas, vel potius aliud, propter quod illud volumus. Intentio vero interdum pro voluntate, interdum pro fine voluntatis accipitur, quae diligens ac pius lector in Scriptura, ubi haec occurrerint, discernere studeat. Finis autem voluntatis est delectatio bona vel mala, ad quam nititur quisque pervenire.

Unde Augustinus super illum locum Psalmi [1]: *Scrutans corda et renes Deus* [a], ait sic: « Deus solus scrutatur *corda*, id est, quid quisque cogitet; et *renes*, id est, quid quemque delectet; quia finis curae et cogitationis est delectatio, ad quam cura et cogitatione nititur quisque pervenire ». Et paulo post [2]: « Opera nostra, quae sunt in dictis et factis, possunt homines videre, sed quo animo fiant et quo venire cupiant, solus Deus videt; qui cum videt cor esse in caelo, et non delectari nos in carne, sed *in Domino* [3], id est, cum bonae sunt cogitationes et earum fines, dirigit iustum ».

Idem super alterius Psalmi [4] locum illum, scilicet: *In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum*, dicit: « Pes animae amor est, qui, si pravus est, dicitur cupiditas vel libido; si rectus, dicitur caritas. Eo movetur anima, quasi ad locum quo tendit, id est ad delectationem bonam vel malam, quo se pervenisse [b] per amorem laetatur ». Finis ergo voluntatis, ut prae-

[a] Ita U B; ed. om. [b] Ed. *supervenisse.*

[1] Psalm. 7, 10. *Enarrat.*, ibi. n. 9 (P L 36, 103)*; ad verbum in Glossa ibid. [2] Ibid. [3] Respic. Ps. 36, 4. [4] Psalm. 9, 16; *Enarrat.* in hunc Ps. n. 15 (P L 36, 124).

missum est, dicitur et illud quod volumus, et illud propter quod volumus; et intentio ad illud respicit propter quod volumus; et voluntas ad illud quod volumus: ut [a], verbi gratia, si velim esurientem reficere, ut habeam vitam aeternam, voluntas est, qua volo reficere esurientem, cuius finis est refectio esurientis; intentio vero, qua sic ad vitam pervenire volo; finis autem supremus est [b] ipsa vita, ad quem [c] et alius finis refertur.

357 Sed quaeritur, utrum et [d] intentio talis sit voluntas, et si voluntas est, an in hoc opere sit una eademque voluntas, qua volo habere vitam aeternam, et qua volo reficere esurientem.

Videtur nempe talis intentio esse voluntas, ut enim voluntas est, qua volo reficere pauperem, ita et voluntas est, qua per istud volo habere vitam. Et alia quidem videtur esse voluntas, qua volo habere vitam [e], et alia, qua pauperi subvenire volo; sed ista ad illam refertur. « Nam etsi hoc ita placet, ut in eo cum aliqua delectatione voluntas acquiescat, nondum tamen est illud quo tenditur, sed [f] hoc ad illud refertur, ut illud deputetur tanquam patria civis, istud vero tanquam refectio vel mansio viatoris [1] ». Et sunt istae voluntates affectus sive motus mentis, quibus quasi gressibus vel passibus tenditur ad patriam. Sicut ergo altera est voluntas videndi fenestras, ut supra, docente Augustino [g] didicimus, altera, quae ex ista nascitur [h], voluntas [i] per fenestras videndi transeuntes; ita nonnullis alia videtur esse voluntas eleemosynas dandi pauperi, alia voluntas habendi vitam.

Alii autem [k] putant, quod una sit voluntas et hic et ibi, sed propter subiectorum multiplicitatem diversitas memoratur voluntatum. Ceterum quodlibet horum verum sit, illud nulli [l] in ambiguum venit, quin voluntas ex suo fine pensetur, utrum recta sit, an prava, peccatum [m], an gratia; et quin nomine intentionis aliquando finis, aliquando voluntas intelligatur.

---

[a] V om. [b] V om. [c] Ita U Z D; ed. *quam*. [d] Ed. om. [e] V add. *aeternam*. [f] Z *si*. [g] D *auctoritate*. [h] Ita U Z (uterque corr. interl.) et D; ed. *nectitur*. [i] Ed. add. *scilicet*. [k] U *tamen*. [l] V Z D *nullis*. [m] D add. *sit*.

---

[1] August., XI. *De Trin.* c. 6, n. 10 (P L 42, 992); vide supra pag. 510, nota 6, ubi plura ex eodem loco afferuntur, ad quae mox respicitur.

DISTINCTIO XXXIX.

Cap. I.

Quare voluntas dicitur peccatum, cum sit de naturalibus, quorum nullum aliud peccatum est.

Hic autem [a] oritur quaestio satis necessaria, ex superioribus 358
causam trahens. Dictum est enim [b] supra [1], voluntatem inesse naturaliter homini, sicut intellectus et memoria. Quae autem homini naturalia sunt, quantumcumque vitientur, bona tamen esse non desinunt, quia non valet vitium bonitatem, in qua Deus eam fecit, penitus consumere, ut verbi gratia, intellectus vel ratio et ingenium ac memoria, etsi vitiis et peccatis obnubilentur et corrumpantur, bona tamen sunt nec peccata nominantur, sicut Augustinus de ratione, quae est imago Dei, in qua facti sumus, evidenter ostendit in XV libro *De Trinitate* [2]: «Haec est, inquit, imago, in qua homines sunt creati, qua ceteris animalibus praesunt; quae creatura, in rebus creatis excellentissima, cum a Deo iustificatur, a deformi forma in formosam mutatur formam. Erat enim etiam [c] inter vitia natura bona». Haec autem imago ratio est vel intellectus. Cum ergo voluntas de naturalibus sit, quare ipsa [d] non semper bonum est, etsi aliquando vitiis [e] subiaceat?

Ad hoc facile respondent qui dicunt, omnia quae sunt, in quantum sunt, bona esse, quia et ipsam voluntatem, in quantum est, vel in quantum voluntas est, ut supra [3] posuimus, bonum esse asserunt, sed in quantum inordinata est, mala est et peccatum.

Ubi potest ab eis rationabiliter quaeri: Si voluntas, in quan- 359
tum inordinata est, peccatum est, quare ergo intellectus, ratio [f], ingenium et huiusmodi, cum inordinata sunt, peccata non sunt? Inordinata vero sunt, sicut voluntas, cum ad rectum finem non tendunt, eorumque actus praevaricationes existunt.

Ad quod illi dicunt, voluntatis nomine aliquando vim, scilicet naturalem potentiam volendi, aliquando actum ipsius vis significari.

---

[a] D om. [b] V om. [c] Z om. *etiam*, quod in U est add. interl. [d] B add. *voluntas*. [e] V *necessariis*. [f] Ita UZ; ed. add. *et*.

---

[1] Dist. XXXVII, c. 1. [2] Cap. 8, n. 14 (PL 42, 1068). [3] Dist. XXXV, c. 3.

Vis autem ipsa, naturaliter animae insita, nunquam peccatum est, sicut nec vis memorandi vel intelligendi; sed actus huius vis, qui et voluntas dicitur, tunc peccatum est, quando inordinatus est.

Cap. II.

Quare actus voluntatis sit peccatum, si actus aliarum potentiarum non sunt peccata.

360 Sed adhuc quaeritur, quare huius naturalis potentiae actus peccatum sit, si aliarum potentiarum actus peccata non sunt, scilicet potentiae memorandi, cuius actus est memorare, et potentiae intelligendi, cuius actus est intelligere.

Ad quod et ipsi dicunt, quia alterius generis est actus ille voluntatis quam actus memoriae vel intellectus. Hic enim actus est ad aliquod adipiscendum, vel non admittendum [a], qui non potest esse de malis, quin sit malus [1]. Velle enim mala malum est, sed intelligere vel memorari [b] mala malum non est; quamvis eorum quidam etiam hos actus malos esse interdum non improbe asserant. Memorat enim [c] interdum quis malum, ut faciat, et quaerit intelligere verum, ut sciat impugnare.

Ecce qualiter solvitur praemissa quaestio ab his, qui tradunt, omnia esse bona, in quantum sunt.

Qui vero dicunt, voluntates malas peccata esse et nullo modo bona, brevius respondent dicentes, actum voluntatis non esse de naturalibus, sed vim ipsam et potentiam volendi, quae semper bonum est, et in omnibus est, etiam in parvulis, in quibus nondum est [d] eius actus.

---

[a] Ita hic et infra omnes codd., quorum auctoritati stare volumus. Editores substituerunt semper *amittendum,* sequenti criterio ducti (tom. II, pag. 896, nota 4): « Cum in ed. Maurina S. Augustinus, *De duabus animabus,* c. 10, n. 14, et l. *Retract.* c. 15, n. 3, constanter utatur voce *amittendum* atque dicat: Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non *amittendum,* vel *adipiscendum;* hic sequimur istam lectionem, quam etiam Nicolai in sua edit. Magistri 1639 rectam esse iudicat ». Etiam ed. Viennensis *Corpus Script. eccl. lat.* vol. 36, pag. 74, ponit *amittendum,* licet lectio *admittendum,* in optimae notae codd. saec. IX et saec. X occurrat. — Iam supra, dist. 26, c. 2, in hac definitione Augustini, ab editoribus nostris positum fuit *admittendum,* absque ulla annotatione. [b] Ita U D; ed. *memorare.* [c] Z om. [d] D *deest,* pro *nondum est.*

---

[1] Quoad rem cfr. dist. XXXV, c. 3, et de eo quod sequitur dist. XXXVII, c. 1.

Cap. III.

Ex quo sensu dicitur naturaliter omnis homo velle bonum.

Praeterea quaeri solet, quomodo intelligendum sit quod aït Ambrosius, exponens illud verbum Apostoli [1]: *Non enim quod volo, illud ago, sed quod nolo, illud facio* [a]. Dicit enim, quod « homo subiectus peccato, facit quod non vult, quia naturaliter vult bonum. Sed haec voluntas semper caret effectu, nisi gratia Dei adiuvet et liberet ». Si homo subiectus peccato est [b], vult quidem malum et operatur, quia servus est peccati, et eius voluntatem, sicut supra [2] dixit Augustinus, libenter facit; quomodo ergo naturaliter vult bonum? An est eadem voluntas, id est idem motus, qua libenter peccato servit, et qua naturaliter vult bonum? Si non est eadem voluntas, quae ergo istarum est, quae, cum homo iustificatur, a servitute peccati liberatur? Ut enim superius [3] diximus, gratia Dei voluntatem hominis liberat et adiuvat, quae voluntatem hominis praeparat adiuvandam, et adiuvat praeparatam. Sed quae est illa voluntas? An illa quae naturaliter vult bonum, an quae libenter servit peccato, si tamen duae sunt voluntates? 361

Proposita est quaestio profunda, quae varia a diversis expopositione determinatur.

Alii enim dicunt, duos esse motus: unum, quo vult bonum naturaliter. Quare naturaliter et quare naturalis dicitur? Quia talis fuit motus naturae humanae in prima conditione, in qua creati sine vitio sumus, quae proprie natura dicitur: fuit enim homo creatus in voluntate rectus. 362

Unde in *Ecclesiasticis dogmatibus* [4] scriptum est: « Firmissime tene, primos homines bonos et rectos esse creatos cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, propria voluntate peccare; eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse ». Recte igitur dicitur homo naturaliter velle bonum, quia in bona et recta voluntate conditus est: superior enim scintilla rationis, quae etiam, ut

[a] D *ago*. [b] V om.

[1] Rom. 7, 19. Verbotenus legitur in Glossa, quae incipit v. 15 et sumta est ex *Comment. in Epistolas S. Pauli*, qui falso tribuitur S. Ambrosio (PL 17, 113). [2] Dist. XXV, c. 7. [3] Dist. XXVI, c. 1. [4] Hic non invenitur, sed in *Libro de fide ad Petrum*, c. 25, n. 68 (PL 40, 774).

ait Hieronymus [1], « in Cain non potuit exstingui », bonum semper vult et malum odit.

Alium autem dicunt motum esse mentis, quo mens, relicta superiorum lege, subiicit se peccatis eisque oblectatur. Iste motus, ut aiunt, antequam alicui adsit gratia, dominatur in homine et regnat, alterumque deprimit motum; uterque tamen ex libero arbitrio est. Veniente autem gratia, ille [a] malus motus eliditur, et alter naturaliter bonus liberatur [b] et adiuvatur, ut efficaciter bonum velit. Ante gratiam vero, licet [c] naturaliter velit homo bonum, non tamen absolute concedi oportet, bonam habere voluntatem, sed potius malam.

363 Alii autem dicunt, unam esse voluntatem, id est [d] unum motum, quo naturaliter vult homo bonum, et ex vitio vult malum, eoque delectatur; et in quantum vult bonum, naturaliter bonus est; in quantum malum vult, malus est.

DISTINCTIO XL.

Cap. unicum.

An ex fine omnes actus pensari debeant, ut ex affectu vel fine omnes sint boni, vel mali.

364 Post haec de actibus adiiciendum videtur, utrum et ipsi ex fine, sicut voluntas, pensari debeant boni, vel mali.

Licet enim, secundum quosdam, omnes boni sint, in quantum sunt, non tamen absolute [e] omnes dicendi sunt boni, nec omnes remunerabiles, sed quidam simpliciter mali dicuntur, sicut et alii boni. Nam simpliciter ac vere boni sunt illi actus, qui bonam habent causam et intentionem, id est, qui bonam voluntatem comitantur et ad bonum finem tendunt. Mali vero simpliciter dici debent qui perversam habent causam et intentionem.

Unde Ambrosius [2] ait: « Affectus tuus nomen operi tuo imponit ».

---

[a] Z add. interl. *scilicet.* [b] V om. *et a. u. b. liberatur.* [c] V *si.* [d] D *et,* pro *id est.* [e] V *abusive.*

---

[1] *Super Ezech.* 1, 7 (PL 25, 22); est etiam in Glossa ordinaria. [2] Libr. I. *De officiis,* c. 30, n. 147 (LP 16, 66).

Et Augustinus *Super Psalmum 31* [1]: « Nemo computet bona opera sua ante fidem. Ita enim mihi videntur esse ut magnae vires et cursus celerrimus praeter viam; quia ubi fides non erat, bonum opus non erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides [a] dirigit. Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, attendat, quo lacertos [b] optimae gubernationis dirigat ».

His testimoniis insinuari videtur, ex affectu et fine opera bona esse, vel mala.

Quibus consonat quod in Evangelio [2] ait Veritas [c]: *Non* [d] *potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere* [e]. Nomine arboris [f] non natura humanae mentis, sed voluntas intelligitur, quae si mala fuerit, non bona, sed mala opera facit; si vero bona fuerit, bona, non mala facit opera.

Sed quaeritur, utrum omnia opera hominis ex affectu et fine 365
sint bona, vel mala.

Quibusdam [3] ita esse videtur, qui dicunt, omnes actus esse [g] indifferentes, ut nec boni nec mali per se sint, sed ex intentione bona bonus, et ex mala malus sit omnis actus. Secundum quos, quilibet actus potest esse bonus, si bona intentione geratur.

Aliis autem videtur, quod quidam actus in se mali sint, ita ut non possint esse nisi peccata, etiam si bonam habeant causam; et quidam in se boni, ita ut, etsi malam habeant causam, non tamen boni esse desinant. Quod testimonio Augustini [4] confirmant, qui dicit, bonum aliquando non bene fieri: « Quod enim quis invitus vel necessitate facit, non bene facit [h] », quia non bona facit intentione, ut ait Augustinus *Super Ioannem* [5]: « Servilis, inquit, timor non est in caritate, in quo quamvis credatur Deo, non tamen in Deum, et si bonum fiat, non tamen bene ». « Nemo enim invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit [6] ».

Ecce habes, quod aliquis non bene facit illud quod bonum est; facit ergo quod bonum est intentione non bona. Ideo asserunt

---

[a] V *finis.* [b] V add. *id est cogitationes.* [c] V *Dominus.* [d] Z add. *enim.* [e] V Z om. [f] Z add. *ibi.* [g] Z om. [h] V om. *non bene facit.*

---

[1] *Enarrat.* 2, serm. ad plebem n. 4 (PL 36, 259). [2] Matth. 7, 18. Cfr. Glossa ibid., et August., *Enchirid.* c. 15 (PL 40, 238). [3] Cfr. Hugo, l. *De Sacram.* p. 6, c. 4 (PL 176, 265). [4] Libr. I. *Confess.* c. 12, n. 19 (PL 32, 669); *De Spiritu et litt.* c. 14, n. 26 (PL 44, 217). [5] Tract. 41. *Super Ioan.* n. 10 (PL 35, 1698)*. [6] I. *Confess.* loc. cit.

illi, quaedam opera esse talia, quae sic bona sunt, quod mala esse non possunt, quocumque modo fiant, sicut e converso quaedam sic sunt mala, ut non possint esse bona, quacumque ex causa fiant [a]; alia autem esse opera, quae ex fine vel ex causa [b] bona sunt, vel mala; et ad illa referunt Sanctorum testimonia, quibus ex [c] affectu, vel intentione iudicium operum pensari dicunt; tripartitam edunt isti differentiam actuum.

366 Sed Augustinus evidentissime docet in libro *Contra mendacium* [1], omnes actus secundum intentionem et causam iudicandos bonos, vel malos, praeter quosdam, qui ita sunt mali, ut nunquam possint esse boni, etiam si bonam videantur habere causam. « Interest, inquit [d], plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quae constat esse peccata, nullo bonae causae obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona [e] intentione facienda sunt. Ea quippe opera hominum, si causas habuerint bonas vel malas, nunc sunt bona, nunc mala, quae non sunt per se ipsa peccata; sicut victum praebere pauperibus bonum est, si fit causa misericordiae cum recta fide; et concubitus coniugalis, quando fit causa generandi, si ea fide fiat, ut gignantur regenerandi. Haec rursus mala sunt, si malas habent causas, velut si iactantiae causa pascitur pauper, aut lasciviae causa cum uxore concumbitur, aut filii generantur, non ut Deo, sed ut diabolo nutriantur. Cum vero opera ipsa [f] peccata sunt, ut furta, stupra, blasphemiae, quis dicat, causis bonis esse facienda, vel peccata non esse, vel, quod est absurdius, iusta peccata esse? Quis dicat: Furemur divitibus, ut habeamus quid demus pauperibus; aut falsa testimonia proferamus, non unde [g] innocentes laedantur, sed potius salventur? Duo enim bona hic [h] sunt: ut inops alatur, et innocens non puniatur. Aut quis dicat adulterium esse faciendum, ut per illam, cum qua fit, homo de morte liberetur? Testamenta etiam vera cur non supprimimus et falsa supponimus, ne haereditates habeant qui nihil boni agunt [i], sed hi potius qui indigentes adiuvant? Cur non fiant illa mala propter haec bona, si propter haec bona nec illa [k] sunt mala? » « Cur non ab immundis meretricibus, quae ditant stupratores, rapiat

[a] V *sint.* [b] V om. *alia autem... causa.* [c] Ed. *vel.* [d] V B *autem.* [e] Z om. [f] Z add. *per se.* [g] Ed. *ut inde.* [h] Z D *haec.* [i] D *faciunt.* [k] B *mala.*

[1] Cap. 7, n. 18 (PL 40, 528).

divitias vir bonus, ut indigentibus eas largiatur, cum nullum malum malum sit, si pro bono fiat [1] »? « Quis hoc dicat, nisi qui res humanas moresque conatur et leges subvertere? Quod enim facinus non dicatur posse recte fieri, nec impune tantum, verum etiam gloriose, ut in eo non timeatur supplicium, sed speretur et praemium, si semel concesserimus in malis actibus non quid fiat, sed quare fiat, esse quaerendum [a], ut quaecumque pro bonis fiunt causis, nec ipsa mala esse iudicentur? At iustitia merito punit eum qui dicit, se subtraxisse superflua diviti, ut praeberet pauperi; et falsarium, qui alienum corrumpit testamentum, ut is esset haeres, qui faceret eleemosynas largas, non ille qui nullas; et eum qui se fecisse adulterium ostendit, ut per illam, cum qua fecit, hominem de morte liberet [2] ».

Sed « dicet aliquis: Ergo aequandus est fur quilibet furi, qui 367
voluntate misericordiae furatur. Quis hoc dixerit? Sed horum duorum non ideo quisquam est bonus, quia peior est unus: peior est enim qui concupiscendo, quam qui miserando [b] furatur. Sed si furtum omne peccatum est, ab omni furto abstinendum est. Quis enim dicat esse peccandum, etiamsi aliud [c] sit gravius, aliud levius [d] peccatum? Nunc autem quaerimus, quis actus peccatum sit, vel non; non, quid gravius sit, vel levius [3] ».

Intende, lector, propositis verbis tota mentis consideratione, quae non inutilem habent exercitationem; et dignosces, quis actus sit peccatum, qui scilicet malam habet causam; nec ille tantum, quia sunt nonnulli actus, qui etsi bonam habeant causam, tamen peccata sunt, ut supra positum est.

Ex quo consequi videtur, quod non semper ex fine iudicatur voluntas sive actio mala, sicut in illis quae per se peccata sunt. Illa enim cum quis gesserit pro aliqua causa bona, bonum videntur [e] habere finem; nec ex fine voluntas est mala, nec ex voluntate actio fit mala, sed ex actione voluntas fit prava. In quibus aliqui ponunt actum Iudaeorum, qui crucifigendo Christum arbitrabantur, *se obsequium praestare Deo* [f] [4]; quia bonum finem di-

---

[a] V *concedendum.* [b] V add. *aliquando.* [c] D *aliquod.* [d] D add. *sit.* [e] Ed. cum D *videtur.* [f] D *se obsequi Deo,* pro *s. o. p. D.*

---

[1] Ibid. paulo inferius. [2] Ibid. [3] Ibid. c. 8, n. 19 (P L 40, 529). [4] Ioan. 16, 2.

cunt eos sibi posuisse, scilicet Dei obsequium [a], et tamen voluntatem eorum et actionem perversam fore asserunt.

De bonis autem nulla fit exceptio in praemissis verbis Augustini, quin omnis voluntas bona ex fine sit bona, et ex fine et [b] voluntate omnis bona [c] actio, bona est. Sed non omnis mala voluntas ex fine mala est, nec omnis mala actio ex fine et voluntate mala est, et omnis [d] quae habet malam causam, mala est, sed non omnis quae bonam habet causam, bona est. Ideoque [e] cum ex [f] affectu dicitur imponi nomen operi, in bonis operibus generaliter vera est haec regula, sed in malis illa excipiuntur [g] quae per se mala sunt.

Omnia igitur opera hominis secundum intentionem et causam iudicantur bona vel mala, exceptis his, quae per se mala sunt, id est, quae sine praevaricatione fieri nequeunt.

368 Quae tamen quidam contendunt nunquam habere bonam causam. Qui enim [h] aliena furatur, ut pauperibus tribuat, non pro bono, ut aiunt, furatur: non enim bonum est aliena pauperibus dare. Qui enim de rapina sacrificium offert Deo, ut ait auctoritas, idem facit, *ac si filium in conspectu patris victimet* [1], vel *sacrificium canis* [i] *Deo offerat* [2]. *Abominabilis nempe Deo est impiorum oblatio* [3]. Ita etiam [k] et hominem per adulterium a morte liberare malum esse dicunt: etsi enim bonum sit hominem [l] a morte liberare, tamen sic liberare malum fore [m] asserunt. Ideoque Augustinum in superioribus dicunt temperasse sermonem, cauteque locutum ubi ait: « Ea quae constat esse peccata, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ». Non enim simpliciter dixit bono [n] fine et bona intentione, sed addidit, quasi et velut; quia talia [o] non fiunt bono fine et bona intentione, sed intentione, quae videtur bona, et fine, qui putatur bonus, sed non est. Nec ideo [p] excepit Augustinus ista, ut aiunt, quin causas habeant malas, sed quia causas habent, quae videntur bonae, sunt tamen malae.

---

[a] V om. *quia bonum... obsequium.* [b] D add. *ex.* [c] Z om. [d] V add. *quidem.* [e] D *itaque.* [f] Z om. [g] Z om. [h] V *autem.* [i] B *carnis.* [k] V om. [l] V om. [m] Ed. et V *esse.* [n] V *homo.* [o] V *et alia.* [p] Z add. *non.*

---

[1] Respic. Eccli. 34, 24. [2] Respic. Isai. 66, 3. [3] Prov. 21, 27.

DISTINCTIO XLI.

Cap. I–II [a].

An omnis intentio et actio infidelium sit mala.

Cumque intentio, ut supra [1] dictum est, bonum opus faciat, et 369
fides intentionem dirigat, non immerito quaeri potest, utrum omnis intentio omneque opus illorum malum sit, qui fidem non habent. Si enim fides intentionem dirigit, et intentio opus bonum facit; ubi non est fides, nec intentio bona nec bonum opus esse videtur.

Quod a quibusdam non irrationabiliter astruitur, qui dicunt, omnes actiones et voluntates hominis sine fide malas esse, quae, fide habita, bonae existunt [b].

Unde Apostolus [2] ait: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quod Augustinus exponens ait: « Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil bonum est sine summo bono; ubi [c] agnitio deest aeternae veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus ».

Et Iacobus in Epistola canonica [3] ait: *Qui offenderit in uno,* scilicet [d] in caritate, *factus est omnium reus.* Qui ergo fidem et caritatem non habet, omnis eius actio peccatum est, quia ad caritatem non refertur. Quod enim ad caritatem non refertur, ut supra [4] meminit Augustinus, non fit quemadmodum fieri oportet, ideoque malum est. Non igitur mandata custodit qui caritate caret, quia sine caritate nullum mandatorum custoditur.

Unde Augustinus *Super Epistolam ad Galatas* ait [5]: « Custoditionem legis dicit Apostolus [e] *non occidere, non moe-*

---

[a] Stando codicibus, cc. 1 et 2 coniungimus. [b] B *assistunt.* [c] U add. *enim.* [d] B *id est;* Z om. *scilicet in caritate.* [e] Ed. add. *non inebriari.*

---

[1] Dist praeced. c. 1. [2] Rom. 14, 23, ubi in Glossa seq. locus Augustini refertur, qui verbotenus legitur apud S. Prosperum, *Libr. Sent.* n. 106 (PL 45, 1868), sed secundum sententiam saepissime invenitur in S. August. v. g. IV. *Contra Iulian.* c. 3, n. 32 (PL 44, 754); *De gestis Pelag.* c. 14, n. 34 (PL 44, 340); XIX. *De civ. Dei,* c. 25 (PL 41, 657); *Enarrat.* 2, in Ps. 31, n. 4; in Ps. 70. *Serm.* 2, n. 3 (PL 36, 259 et 892); in Ps. 118. *Serm.* 7, n. 1 (PL 37, 1517). [3] Cap. 2, 10. Verba addita *in caritate* sunt in Glossa ad hunc locum. [4] Dist. XXXVIII, c. 1. [5] Num. 62, ad 6, 13 (PL 35, 2147).

chari, et alia huiusmodi ad bonos mores pertinentia, quae nisi [a] caritate [b], et spe impleri non possunt ». Nullum ergo implet mandatum, nullum opus bonum facit, qui caritatem et fidem non habet. *Impossibile est* enim, ut ait Apostolus [1], *sine fide* aliquid [c] *placere Deo.* Quae ergo sine fide fiunt, bona non sunt, quia omne bonum placet Deo.

370 His autem obiicitur quod supra [2] dixit Augustinus, scilicet quod in servili timore, etsi bonum fiat, non tamen bene: « Nemo [d] invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit [3] ». Hic enim bonum dicit fieri, sed non bene, ab illo qui caritatem non habet. Qui enim serviliter timet, caritate vacuus est; de quo tamen hic dicit, quia bonum facit, sed non bene. Qui etiam super illum locum Psalmi [4]: *Turtur invenit* [e] *nidum, ubi reponat pullos* [f] *suos,* dicit, quod « Iudaei, et [g] haeretici et pagani opera bona faciunt, quia vestiunt nudos [h], pascunt pauperes, et huiusmodi: sed non in nido Ecclesiae, id est in fide; et ideo conculcantur pulli eorum ».

Quibus illi respondent dicentes opera bona appellari huiusmodi, quae sine caritate fiunt, non quia bona sint, quando sic fiunt, quod supra evidenter docuit Augustinus, sed quia bona essent, si aliter fierent; quae etiam [i] sui genere sunt bona, sed ex affectu fiunt mala.

Alii vero, qui trifariam distinctionem actuum [k] faciunt, opera cuncta, quae ad naturae subsidium fiunt, semper bona esse [l] astruunt. Sed quod Augustinus mala esse dicit, si malas habeant causas, non ita est accipiendum, quasi ipsa mala sint, sed quia peccant et mali sunt qui ea malo fine agunt. Item, et illud aliud, scilicet, « bonum opus intentio facit, et intentionem fides dirigit [5] »; determinant dicentes, ibi bonum vocatum [m] quod remunerabile est ad vitam, non quod illud solum sit bonum opus, immo et alia plura, licet non ea ratione, qua illud [n], sint bona.

---

[a] D *sine.* [b] Ita U B; ed. add. *fide;* D om. *et spe.* [c] D *aliquem.* [d] Ed. add. *enim,* quod in U est add. interlin. [e] Ita U Z; ed. add. *sibi.* [f] V om. [g] Ed. om. [h] Ed. add. *et.* [i] D *in;* ed. *suo,* pro *sui.* [k] Z om. [l] V Z om. [m] V *vocari.* [n] Ed. add. *fit.*

---

[1] Hebr. 11, 6. [2] Dist. praeced. c. 1. [3] August., l. *Confess.* c. 12, n. 19 (P L 32, 669). [4] *Enarrat.* super Ps. 83, 3, n. 7 (P L 37, 1060); ad verbum in Glossa. [5] August., *Enarrat.* 2, in Ps. 31, serm. ad plebem, n. 4 (P L 36, 259); cfr. supra dist. XI, c. 1.

[Cap. II]. Bonum enim multipliciter accipitur, scilicet pro utili, 371
pro remunerabili, pro signo boni, pro specie boni, pro licito, et aliis forte modis; solaque illa intentio remunerabilis est ad vitam, quam fides dirigit; sed non illa sola bona est, ut aiunt. Nam si quis Iudaeus vel malus Christianus necessitatem proximi relevaverit, naturali pietate ductus, bonum fecit, et bona fuit voluntas, qua illud [a] fecit.

Cap. III.

Quomodo intelligendum sit illud: Peccatum adeo est voluntarium; et illud: Nusquam nisi in voluntate peccatum est; et item: Non nisi voluntate peccatur.

Post haec investigari oportet, qualiter intelligendum sit quod 372
ait Augustinus in libro *De vera Religione* [1]: « Usque adeo, inquit, peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium ».

Huius dicti rationem Augustinus aperiens, in libro *Retractationum* [2] dicit: « Potest videri falsa haec definitio; sed si diligenter discutiatur, invenitur esse [b] verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam [c] poena peccati », scilicet peccatum primum [d] hominis, quod fuit peccatum et causa peccati, sed non poena; « quamvis et illa, quae non-voluntaria peccata non immerito dicuntur, quia vel a nescientibus, vel a coactis perpetrantur, non omni modo [e] possunt sine voluntate committi; quoniam et ille qui peccat ignorans, voluntate utique facit quod, cum faciendum non sit, putat esse faciendum; et ille qui concupiscente adversus spiritum carne, non ea quae vult [f] facit, concupiscit quidem [g] nolens, et in eo non facit quod vult; sed si [h] vincitur, concupiscentiae consentit volens [i], et in eo non facit nisi quod vult; et illud quod in parvulis est originale peccatum, ex prima hominis mala voluntate tractum [k] est. Non itaque falsum est quod dixi: Usque adeo peccatum voluntarium est [3] », etc.

---

[a] D *bonum.* [b] B om. [c] V *et non,* pro *e. n. q. e. e.* [d] V D *primi.* [e] V *omnino,* pro *omni modo.* [f] Z add. *spiritus.* [g] V *enim.* [h] V om. [i] V *nolens.* [k] Ed. et B D *contractum.*

---

[1] Cap. 14, n. 27 (PL 34, 133). [2] I. *Retract.*, c. 13, n. 5 (PL 32, 603). [3] Ibid. Aug.

Ecce qualiter accipiendum sit illud, scilicet vel [a] de primo peccato hominis, vel de omnibus generaliter peccatis mortiferis, quorum licet quaedam dicantur non-voluntaria, quae scilicet per ignorantiam, vel per infirmitatem fiunt, eadem tamen ea ratione possunt dici voluntaria, quia sine voluntate non committuntur.

373 Illius etiam intelligentia perquirenda est, quod [b] in libro *De duabus animabus* [1] edidit inquiens: « Nusquam nisi in voluntate peccatum est ». Quod etiam in libro *Retractationum* [2] plane determinat dicens: « Potest putari falsa esse ista sententia, qua diximus, nusquam nisi in voluntate peccatum esse, cum Apostolus [3] dicat: *Quod nolo, hoc facio* », etc. « Sed peccatum, quod nusquam est nisi in voluntate, illud praecipue intelligendum est, quod iusta damnatio consecuta est [4] », id est primum hominis peccatum.

In eodem quoque libro *De duabus animabus* [5] aliud tradit [c] consideratione dignum; ait enim: « Non nisi [d] voluntate peccatur », ipsamque voluntatem definivit [e] dicens: « Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non admittendum [f], vel adipiscendum [6] ».

Huius dicti causam aperiens et intelligentiam pandens, in libro *Retractationum* ait [7]: « Hoc propterea dictum est, ut hac definitione volens a nolente discerneretur, et sic ad illos referretur intentio, qui in paradiso fecerunt originem mali, nullo cogente, peccando, id est libera voluntate, quia et scientes contra praeceptum fecerunt; et ille tentator suasit, ut hoc fieret [g], non coegit. Nam qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest; quamvis et ipse quod [h] nesciens fecit, volens tamen fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntas facti ibi fuit, non voluntas peccati; quod tamen factum fuit peccatum: hoc enim factum est quod fieri non debuit. Quisquis autem sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum sine peccato resistere, nec tamen facit, utique volens peccat; quia qui potest resistere, non cogitur cedere. Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse, verissimum [i] est ».

Ex his liquet, qualiter superiora accipienda sint.

---

[a] Z om. *vel*, quod in U est add. interl. [b] Z add. *Augustinus*. [c] Ed. *tradidit*. [d] U add. *in*. [e] Ed. *definit*. [f] Ed. *amittendum*. [g] D om. *u. h. f.* [h] V D *qui*. [i] V *certissimum*.

---

[1] Cap. 10, n. 12 (PL 42, 103). [2] Aug. l. *Retract.* c. 15, n. 2 (PL 32, 608). [3] Rom. 7, 16. [4] Aug., ibid. [5] Cap. 10, n. 14 (PL 42, 104). [6] Ibid. parum inferius. [7] Libr. I, c. 15, n. 3 (PL 32, 609).

Cap. IV.

Quod mala voluntas est voluntarium peccatum.

Si autem omne peccatum mortale voluntarium est, cum vo- 374
luntas mala peccatum sit mortale, constat, ipsam esse voluntarium peccatum.

« Quid enim, ut ait Augustinus[1], tam in voluntate [a] quam ipsa voluntas sita est » ? Voluntas itaque mala recte voluntarium dicitur peccatum, quod in voluntate consistit. « Voluntas quippe, ut ait Augustinus in eodem [2], est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi, nec est cui recte imputetur peccatum nisi peccanti. Non ergo est cui recte imputetur nisi voluntati ».

Hoc autem de peccato actuali et mortali intelligendum est. Neque his verbis aliud voluit ostendere Augustinus, ut ipse ait in *Retractationibus* [b] [3], nisi quia « voluntas est, qua peccatur et [c] recte vivitur ».

DISTINCTIO XLII.

Cap. I.

An voluntas et actio mala in eodem et circa idem sint unum peccatum, vel plura.

Cum autem voluntas mala et operatio peccatum sint, quaeri 375
solet, utrum in eodem homine et circa eandem rem haec duo unum sint peccatum, vel diversa; ut si quis voluntate furatur, voluntatem habuit malam, quae peccatum est, et actum malum, qui item peccatum est. Haec autem duo diversa sunt, scilicet voluntas et actio; sed nunquid diversa sunt peccata, an unum ?

---

[a] U add. interl. *ipsa*. [b] Z add. *suis*. [c] Ed. add. *qua*.

[1] Libr. I. *De lib. arb.* c. 12, n. 26 (PL 32, 1235); et ibid. III. c. 3, n. 7 (PL 32, 1274). Sed legitur ita: *Nihil* tam in nostra *potestate* quam ipsa voluntas *est*. [2] Ibid. III. c. 17, n. 49 (PL 32, 1295). [3] Libr. I, c. 9, n. 4 (PL 32, 596).

Quidam [1] dicunt, unum esse peccatum; alii vero dicunt [a] diversa esse peccata, quia, cum haec duo esse diversa constet, aut diversa duo peccata dicuntur, aut duo diversa, non peccata.

Quibus alii respondent, haec duo diversa esse, non peccata. Non enim [b] peccata sunt, sed peccatum unum, quia una praevaricatio vel inobedientia in utroque admittitur, sive quando vult, sive quando agit; et unus est [c] ibi contemptus: sed minor, cum in voluntate solum peccatum continetur; maior vero, cum voluntati etiam operatio additur; et ideo maius fit peccatum, sed non plura, cum voluntas operi mancipatur.

376 Sed adhuc eisdem obiicitur: Si unum tantum illa duo peccatum sunt, cum quis, voluntate mali prius concepta, deinde opus patraverit [d], non pro aliquo [e] reus est, nisi pro quo ante opus reus erat, cum adhuc in sola voluntate peccatum consistebat. Nullus enim reus est aeternae mortis, nisi pro peccato; sed peccatum aliud non est admissum actione, quam prius admissum erat voluntate; non igitur pro aliquo alio iste fit damnabilis, actu peccando, quam ante fuerat, cum sola voluntate delinquebat.

Ad hoc etiam et [f] illi respondent dicentes, propter peccatum quidem tantum illum furem reum constitui; et quamvis eius voluntas et actio unum sint peccatum, pro alio tamen reus factus est actu peccando, quam prius erat sola voluntate delinquendo, quia pro actu, qui est aliud quam voluntas, licet non aliud peccatum.

377 Item et adhuc quaestioni instant dicentes, ideo haec duo diversa peccata esse, quia diversorum legis mandatorum praevaricationes sunt. Alio enim mandato legis prohibetur actio furti, scilicet: *Non furaberis* [2]; alio voluntas furandi, scilicet: *Non concupisces rem proximi tui.* Cum autem haec duo diversa mandata sint, quibus illa duo prohibentur, patet, illa duo diversas esse praevaricationes; diversa igitur peccata.

Ad quod etiam [g] illi dicunt, diversa quidem esse mandata, quibus illa duo distinctim prohibentur, ut [h] Augustinus *Super Exodum* [3] docet; verumtamen in illis non observatis una praeva-

---

[a] Z om. [b] Ita omnes codd.; ed. add. *plura.* [c] D om. [d] V *perpetraverit.* [e] D *alio.* [f] Ed. cum V om. [g] D om. [h] D *unde.*

---

[1] Inter quos est Hugo, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 15 (PL 176, 112). [2] Exod. 20, 15, 17 et Deut. 5, 19, 21. [3] Libr. II. *Quaest. in Pentateuch.* q. 71 (PL 34, 620 et sqq.).

ricatio tantum incurritur, unumque peccatum contrahitur, licet duo diversa illis prohibeantur; sicut e converso duo sunt mandata [a] caritatis, quibus duo praecipiuntur diligi, una tamen in eis nobis caritas commendatur.

Cap. II.

Si peccatum ab aliquo commissum in eo sit, usquequo poeniteat.

Praeterea quaeri solet, cum ab aliquo, perpetrato voluntate 378
peccato, voluntas id [b] agendi et actio transierint [c], nondum tamen vera habita poenitentia, utrum illud peccatum, usquequo poeniteat, sit in eo.

Quod non esse videtur, quia voluntas illa, quae prius fuit, non est; neque actio, quia non illud vult vel agit, quod ante voluit et egit.

Sed non est ignorandum, peccatum duobus modis dici esse in aliquo et transire, scilicet actu et reatu [1]. Actu est in aliquo, dum ipsum quod peccatum est, ut actio vel voluntas, in peccante est; reatu vero, cum pro eo, sive transierit sive adsit, mens hominis polluta est et corrupta, totusque homo suppliciis obligatus [d] perpetuis. Nec unquam est in aliquo peccatum actu, praeter originale, quin sit etiam reatu; sed est reatu interdum, postquam transit actu.

Cap. III.

Quibus modis accipitur reatus.

Reatus autem in Scriptura multipliciter accipitur, scilicet pro 379
culpa, pro poena, pro obligatione poenae temporalis, vel aeternae. Si enim mortale est, obligat nos poenae aeternae; si veniale, obligat nos [e] poenae temporali: duo enim sunt peccatorum genera, mortalium scilicet et venialium. Mortale est per quod homo mortem aeternam meretur — « crimen enim, ut ait Augustinus [2],

[a] D *praecepta.* [b] V *illa.* [c] Ed. et B *transierit.* [d] Ed. *obligatur.* [e] Z om.

[1] Ex August., I. *De nupt. et concupisc.* c. 26, n. 29 (PL 44, 430); et VI. *Contra Iulian.* c. 19, n. 60 (PL 44, 858). [2] *In Evang. Ioan.* tract. 41, n. 9 (PL 35, 1697).

est, quod est dignum accusatione et damnatione » — veniale autem, quod hominem usque in reatum perpetuae mortis non gravat, verumtamen poenam meretur, sed facile indulgetur.

Cap. IV.

De modis peccatorum.

380 Modi autem peccatorum varias in Scriptura habent distinctiones, in qua dicitur duobus modis peccatum committi, scilicet « cupiditate et timore », ut Augustinus tradit super illum locum Psalmi [1]: *Incensa igni et suffossa.* His enim duobus modis [a] dicit omnia mortalia peccata includi. Et *incensa* ea dicit, quae ex cupiditate male incendente oriuntur; *suffossa* vero, quae [b] ex timore male humiliante proveniunt; quod est, quando quis cupit non cupienda, vel timet non timenda.

Alibi vero dicitur peccatum fieri tribus modis, scilicet cogitatu, verbo et opere.

Unde Hieronymus *Super Ezechielem* [2]: « Tria generalia [c] delicta sunt, quibus humanum subiacet genus: aut enim cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus ».

His aliquando etiam quartus additur modus [3], scilicet consuetudinis, quod in quatriduano Lazaro significatum est. Dicitur quoque homo [d] peccare in Deum, in se et in proximum. In Deum, cum de Deo male sentit, ut haereticus, vel quae Dei sunt usurpare praesumit, indigne participando Sacramentis, vel quando nomen Dei contemptibile peierando facit; in proximum peccat, cum proximum iniuste laedit; in se vero, cum sibi, non alii, nocet.

Cap. V.

Quo differant delictum et peccatum.

381 Variam quoque appellationem habet: dicitur enim et [e] peccatum et delictum.

---

[a] V A B C om. [b] D om. [c] V *genera haec;* D *delicti,* pro *delicta.* [d] Z om. [e] Ita U Z; ed. om.

---

[1] *Enarrat.* in Ps. 79, 17, n. 13 (P L 36, 1026). [2] Cap. 43, 23 (P L 25, 427). Cfr. August., *Enchirid.* c. 64, n. 17 (P L 40, 262). [3] Cfr. August., *In Evang. Ioan.* tract. 49, n. 3 (P L 35, 1747). Quae sequuntur usque ad c. 8 excerpta sunt ex Hugone, *Sum. Sent.* tr. 3, c. 16 (P L 176, 113).

Et « delictum fortasse est, ut ait Augustinus in *Quaestionibus Levitici* [1], declinare a bono; peccatum est facere malum. Aliud est enim declinare a bono, aliud est [a] facere malum. Peccatum ergo est perpetratio mali; delictum [b] desertio boni, quod et ipsum nomen ostendit. Quid enim aliud sonat delictum, nisi [c] derelictum; et quid derelinquit qui delinquit, nisi bonum [d]? » « Vel delictum est quod ignoranter fit; peccatum quod scienter committitur. Indifferenter tamen et peccatum nomine delicti, et delictum nomine peccati appellatur [2] ».

Cap. VI.

De septem principalibus vitiis.

Praeterea sciendum est, septem esse vitia capitalia vel principa- 382
lia, ut Gregorius *Super Exodum* [3] ait, « scilicet inanem gloriam, iram, invidiam, acidiam vel tristitiam, avaritiam, gastrimargiam, luxuriam »; quae, ut ait Ioannes [e] Chrysostomus [4], significata sunt in septem populis, qui terram promissionis Israeli promissam tenebant. De his quasi septem fontibus cunctae animarum mortiferae corruptelae emanant. Et dicuntur haec capitalia, quia ex eis oriuntur omnia mala: nullum enim [f] est, quod [g] non ab aliquo horum originem trahat.

Cap. VII–VIII [h].

De superbia.

Ex superbia tamen omnia mala oriuntur, et haec et alia; quia, 383
ut ait Gregorius [5]: « radix cuncti mali est superbia »; de qua

---

[a] Z om.; D om. *Aliud e. e. d. a. b. a. e. f. malum.* [b] U add. *vero;* D add. *et.* [c] V *quam.* [d] V om. *qui delinquit;* D *Et quid delinquit nisi qui derelinquit bonum,* pro *e. q. d. q. d. n. b.* [e] V B D om. [f] Edd. add. *malum.* [g] D add. *etiam.* [h] Ob intimam textus connexionem, cc. 7 et 8 unienda sunt.

---

[1] Libr. III. *Quaest. in Pentateuch.* q. 20 (P L 34, 681). [2] Ibid. parum inferius. [3] Libr. XXXI *Moral.* c. 45, n. 87 (P L 76, 621); in Glossa ad Exod. 23, 22. [4] Est in Glossa apud Lyranum, Deut. 23, 23. In libris Chrysostomi locum istum non invenimus, sed in Ioan. Cassiano *Collat.* 5, c. 16 (P L 49, 632); et Isidor. *Quaest. in Deut.* c. 16 (P L 83, 366). [5] Loc. cit.

dicitur [1]: *Initium omnis peccati* [a] *superbia,* quae « est amor propriae excellentiae ».

Cuius quatuor sunt species, ut Gregorius [2] ait: « Prima est, cum bonum, quod habet quis, sibi tribuit [b]. Secunda, cum credit a Deo datum esse, sed tamen pro suis meritis. Tertia, cum se iactat habere quod non habet. Quarta, cum ceteris despectis, singulariter vult [c] videri ». Merito ergo radix omnis mali dicitur superbia.

384 Huic autem videtur obviare quod Apostolus [3] ait: *Radix omnium malorum est cupiditas;* quia, si radix omnium malorum est cupiditas [d], ergo superbiae. Quomodo ergo superbia radix est et initium [e] omnis peccati?

385 [Cap. VIII]. Sed « utrumque recte dictum esse [f] intelligitur, si genera peccatorum [g] singulorum, non generum singula utraque locutione includi intelligantur; nullum quippe genus peccati est, quod interdum ex [h] superbia non proveniat; nullum etiam [i] quod ex cupiditate aliquando [k] non descendat. Sunt enim nonnulli hominum, qui ex cupiditate fiunt superbi; et aliqui [l] ex superbia fiunt [m] cupidi. Est enim, ut ait Augustinus [4], homo, qui non esset amator pecuniae, nisi per hoc putaret, se excellentiorem esse, ideoque, ut excellat, divitias cupit; tali ex superbia oboritur cupiditas. Et est [n] aliquis, qui non amaret excellere [o] nisi putaret [p], per hoc maiores divitias habere ». Ideo ergo [q] excellere laborat, quia divitias habere amat: huic [r] innascitur superbia, id est amor excellentiae, ex cupiditate. Patet ergo, quod ex superbia [s] aliquando cupiditas, et ex cupiditate aliquando superbia oritur; et ideo de utraque recte dicitur, quod sit radix omnis mali.

---

[a] Ed. et B add. *est.* [b] Ita omnes codd.; ed. *attribuit,* quod in U est corr. posterior. [c] Z add. *bonus.* [d] D om. *q. s. r. o. m. e. c.* [e] V om. *et initium.* [f] Z om. [g] U add. *omnia.* [h] V *de.* [i] Ed. add. *est.* [k] Z om. [l] V om. [m] V om. [n] V D add. *etiam.* [o] V om. [p] V om. [q] D *vero.* [r] V *hinc.* [s] B add. *oritur.*

---

[1] Eccli. 10, 15. Definitio superbiae est ex August., XI. *De Gen. ad litt.* c. 14, n. 18 (PL 34, 436). [2] Libr. XXIII *Moral.* c. 6, n. 13 (PL 76, 259). [3] Epist. I. ad Tim. 6, 10. [4] Libr. XI *De Gen. ad litt.* c. 15, n. 19 (PL 34, 437). Sed totus locus a verbis: *utrumque recte* usque *Ideo ergo* occurrit in Glossa ad I. Tim. 6, 10.

DISTINCTIO XLIII.

Cap. unicum.

De peccato in Spiritum sanctum.

Est praeterea quoddam peccati genus ceteris gravius et abo- 386
minabilius, quod dicitur peccatum in Spiritum sanctum, de quo Veritas in Evangelio [1] ait: *Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futuro.* Et Ioannes in Epistola canonica [2]: *Est peccatum ad mortem; non pro eo dico, ut quis oret. Qui enim peccat in Patrem, remittetur ei; et qui peccat in Filium, remittetur ei; qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futuro.*

Sed quaeritur, quid sit illud peccatum in Spiritum sanctum 387
vel ad mortem.

« Quidam dicunt, illud esse peccatum desperationis, vel obstinationis. Obstinatio est induratae [a] in malitia mentis pertinacia, per quam homo fit impoenitens. Desperatio est, qua [b] quis penitus [c] diffidit de Dei bonitate, aestimans suam malitiam bonitatis divinae magnitudinem excedere [3] », sicut Cain, qui dixit [4]: *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Utrumque vero dicitur peccatum in Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus amor est Patris et Filii, et benignitas [d] qua se invicem et nos diligunt, quae tanta est, cuius finis non est. Recte ergo in Spiritum sanctum delinquere dicuntur, qui sua malitia Dei bonitatem superare putant, et ideo poenitentiam non assumunt, et qui iniquitati tam pertinaci mente inhaerent, ut eam nunquam relinquere proponant, et ad bonitatem Spiritus sancti nunquam redire velint [e], patientia Dei abutentes et de misericordia Dei nimis [f] praesumentes; quibus placet malitia propter se, sicut piis bonitas. Isti nimia pertinacia et praesumtione peccant, autumantes, Deum non esse [g] iustum; illi de-

---

[a] D *obduratae.* [b] U *quando.* [c] V *poenitens.* [d] Z *bonitas,* sed. corr. margin. *vel benignitas.* [e] Ed. et B om. [f] D add. *confidenter.* [g] V Z D om.

---

[1] Matth. 12, 32. [2] I. Ioan. 5, 16; Marc. 3, 29, et Luc. 12, 10, sed verba aliquatenus inter se commixta sunt. [3] Glossa in Rom. 2, 5, ex qua etiam multa, quae sequuntur, excerpta sunt, interdum verbotenus. [4] Gen. 4, 13.

speratione Deum non bonum aestimant, tollentes [a] in hoc turbulentissimo iniquitatum mari portum divinae indulgentiae, quo se recipiant fluctuantes. Atque ipsa desperatione addunt peccata peccatis, dicentes: Misericordia nulla est, et super peccatores necessaria damnatio debetur.

388 Sed quaeritur, utrum omnis obstinatio mentis in malitia obduratae, omnisque desperatio sit peccatum in Spiritum sanctum.

Quidam dicunt, omnem obstinationem et [b] desperationem peccatum esse in Spiritum sanctum. Quod si est, aliquando [c] illud peccatum remittitur, quia multi etiam obstinatissimi et desperatissimi convertuntur, ut Augustinus ait super illum locum Psalmi [1]: *Convertam in profundum maris,* id est, eos « qui erant desperatissimi [2] »; et ibi [3]: *Mittit crystallum* [d] *sicut frusta panis* [e], id est, « obstinatos facit aliorum doctores ». Talium conversio ibi etiam [f] evidenter ostenditur, ubi ait: *Qui educit vinctos in fortitudine; similiter eos qui exasperant, qui* [g] *habitant in sepulcris.* Secundum [h] istos peccatum illud dicitur irremissibile, non quin aliquando dimittatur [i], sed quia vix et raro et difficulter dimittitur [k]. Non enim solvitur crystallus, nisi vehementi spiritus impetu.

389 Alii vero tradunt, non quamlibet obstinationem vel desperationem appellari peccatum in Spiritum sanctum, sed illam tantum, quam comitatur impoenitentia; qui etiam impoenitentiam dicunt peccatum in Spiritum sanctum [l], quia Augustinus [4] dicit, impoenitentia est [m] peccatum in Spiritum sanctum. Sed [n] cum sic obstinatus est aliquis, ut non poeniteat, discuti oportet, an aliud obstinatio, aliud impoenitentia sit in eo peccatum, an idem, sed diversis modis commissum. Secundum istos peccatum illud dicitur irremissibile, eo quod nunquam dimittatur. Unde Augustinus [5]

---

[a] D *volentes.* [b] Ed. add. *omnem.* [c] D add. *etiam.* [d] Ed. et D add. *suam.* [e] Ed. *buccellas,* pro *frusta panis.* [f] D om. [g] Z om. *exasperant, qui.* [h] Z *Sed secundum.* [i] Ita U V; ed. *remittatur;* Z om. *quia.* [k] Z *remittitur.* [l] Ed. sic legit: *sanctum. Sed quia;* D add. *scilicet.* [m] Ita U Z D; ed. *impoenitentiam esse.* [n] V om. *quia A. d. i. e. p. i. S. s. sed;* ed. et D om. *sed.*

---

[1] *Enarrat.* in Ps. 67, 23, n 34 (P L 36, 832). [2] Glossa interlinearis in Ps. 147, 17, ex *Enarrat.* in hunc Ps. n. 25. [3] Ps. 67, 7. [4] Serm. 71 (alias *De verbis Dom.* 11) c. 12, n. 20 (P L 38, 455). [5] Loc. cit., sed quod sequitur, dicit Hieronymus secundum sensum in Marc. 3, 29. et Matth. 27, 4, sed verbotenus est in Glossa interlineari.

etiam [a] dicit, quod hoc solum peccatum veniam mereri non potest; et Hieronymus [b] quod taliter peccans digne poenitere non potest. Et ideo recte Ioannes dicit, *ut non pro eo oret quis* [c]; quia qui sic peccat, orationibus Ecclesiae hic, vel in futuro iuvari non potest, habens cor induratum tanquam lapis, sicut de diabolo legitur [1]. Post hanc vitam qui valde mali sunt, meritis Ecclesiae iuvari non possunt.

Est etiam alia [d] huius peccati assignatio. Hoc enim peccatum 390
Augustinus definiens in libro *De sermone Domini in monte* [2] ait: « Peccatum est ad mortem, cum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem, et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitatur »; « quod fortasse est peccare in Spiritum sanctum, quod peccatum dicitur non remitti [3] », « non quia non sit ignoscendum peccanti, si poeniteat, sed quia tanta labes est illius peccati, ut deprecandi [e] humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia agnoscere et enuntiare cogatur; ut Iudas, cum dixit, « peccavi », facilius desperans cucurrit ad laqueum, quam humilitate veniam peteret; quod propter magnitudinem peccati iam ex damnatione peccati tales habere credendum est [4] ».

Ecce, quaedam assignatio peccati in Spiritum sanctum vel ad mortem hic posita est, qua illud peccatum esse traditur oppugnatio fraternitatis post agnitionem, et invidentia gratiae post reconciliationem; quod species quaedam obstinationis intelligi potest.

Illam tamen definitionem Augustinus in libro *Retracta-* 391
tionum [5] rememorans [f], aliquid adiiciendum ibi fore, nec asserendo se dixisse aperit [g], ita dicens: « Quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi. Sed tamen addendum [h] fuit: si in hac scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam; quoniam de quocumque pessimo, in hac vita constituto, non est desperandum; nec pro illo imprudenter [i] oratur, de quo non desperatur ».

His verbis insinuatur, peccatum praemissa definitione descriptum [k] tunc solum debere dici ad mortem, vel in Spiritum sanctum [l]

---

[a] Z om. [b] Ed. add. *super Marcum.* [c] V *quisquam.* [d] Z om. [e] V Z *deprecanti.* [f] Z *memorans.* [g] D *asserit.* [h] D *adiiciendum.* [i] B add. *etiam.* [k] Z *praescriptum,* sed corr. interl. *vel descriptum.* [l] D om.

---

[1] Iob. 41, 15, ubi S. Gregor., XXXIV *Moral.* c. 7, n. 15 ad nomen Leviathan ista dicit (P L 76, 725). [2] Libr. I, c. 22, n. 73 (P L 34, 1266). [3] Ibid. n. 75. [4] Ibid. n. 74. [5] Libr. I, c. 19, n. 7 (P L 32, 616).

cum non habet comitem poenitentiam, nec de aliquo peccatore in hac vita esse desperandum, et ideo pro omni esse orandum. Unde illud Ioannis: *Non pro eo dico, ut quis oret,* sic accipiendum videtur, ut pro aliquo peccante ad mortem vel in Spiritum sanctum, postquam finierit hanc vitam, non oremus. Dum autem in hac vita est, nec peccatum illius iudicare nec de illo desperare, sed pro illo orare debemus.

Unde Augustinus, *De verbis Domini* [1], de impoenitentia, quae est blasphemia in Spiritum sanctum, sic ait: « Ista impoenitentia vel cor impoenitens, quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest iudicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad poenitentiam adducit. Paganus est hodie, Iudaeus [a], infidelis est hodie, haereticus est hodie, schismaticus est hodie, quid si cras amplectatur catholicam pacem et sequatur catholicam veritatem? Quid si isti, quos in quocumque genere erroris notas et tanquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agunt [b] poenitentiam, et inveniunt veram [c] vitam in futuro? *Nolite ergo ante tempus iudicare quidquam* [d] [2].

Ex his ostenditur, pro singulis peccatoribus in hac vita esse orandum, nec de aliquo esse diffidendum, quia converti potest, dum in hac vita est; quia non potest sciri de aliquo, utrum peccaverit ad mortem vel in Spiritum sanctum, nisi cum ab hac vita discesserit, nisi forte alicui per Spiritum sanctum mirabiliter revelatum fuerit.

Ex praedictis aliquatenus capi potest, quomodo accipiatur peccatum in Spiritum sanctum, scilicet invidentia gratiae fraternitatem impoenitenter oppugnans, quae utique obstinatio esse videtur, et omnis impoenitentis obstinatio atque desperatio. Notandum vero est, quod non omnis qui non poenitet, impoenitens dici potest, quia impoenitentia proprie obstinati est, et ut quidam volunt, etiam desperati.

392 De hoc quoque [e] peccato in Spiritum sanctum Ambrosius in libro *De Spiritu sancto* [3] disserens, definitam assignationem tradit dicens: « Cur Dominus dixerit [4]: *Qui blasphemaverit in Filium hominis* [f] *remittetur ei; qui autem blasphemaverit in Spiritum*

---

[a] D add. *est hodie.* [b] Ed. *agant.* [c] Ed. *inveniant veram requiem et,* pro *i. v.* [d] Z *quemquam.* [e] Z om. [f] U om.

---

[1] *Serm.* 71 (ut supra) c. 13, n. 21 (PL 38, 456). [2] Epist. I. Cor. 4, 5 [3] Libr. I, c. 3, n. 54 (PL 16, 717). [4] Matth. 12, 32.

sanctum, neque hic neque in futuro remittetur ei, diligenter adverte. Nunquid alia est offensa [a] Filii, alia Spiritus sancti? Sicut una dignitas, sic una iniuria. Sed si quis, corporis specie deceptus humani, remissius aliquid sentit de [b] Christi carne, quam dignum est, habet culpam, non est tamen exclusus a venia. Si quis vero Spiritus sancti dignitatem, maiestatem et potestatem abneget sempiternam, et putet, *non in spiritu Dei eiici daemonia, sed in* [c] *Beelzebub* [1], non potest ibi exhortatio esse veniae, ubi sacrilegii plenitudo est». Satis aperte hic explicatur, quid sit peccatum in Spiritum sanctum.

Quod illi Augustini descriptioni congruere videtur, qua illud peccatum dicitur esse invidentia gratiae oppugnans fraternitatem. Qui enim post cognitionem veritatis, Spiritus sancti veritatem negat, eiusque opera dicit esse [d] Beelzebub, potestati, bonitati et gratiae Dei invidere non dubitatur.

Non itaque distinctio illa verborum sic accipienda est, quasi trium personarum divisae sint offensae, sed ibi genera peccatorum distincta sunt. Peccatum enim in Patrem id intelligitur, quod fit per infirmitatem, quia Patri Scriptura attribuit frequenter potentiam; peccatum in Filium, quod fit per ignorantiam, quia sapientia Filio attribuitur; tertium expositum est. Qui ergo peccat per infirmitatem vel per ignorantiam, facile veniam adipiscitur, sed non ille qui peccat in Spiritum sanctum [e]. Cum autem una sit potentia, sapientia, bonitas trium, quare Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas saepius assignetur, superius [2] dictum est.

DISTINCTIO XLIV.

Cap. I.

De potentia peccandi, an sit homini vel diabolo a Deo.

Post praedicta, consideratione dignum [f] occurrit, utrum po- 393
tentia peccandi sit nobis a Deo, vel a nobis.

Putant quidam, potentiam recte agendi nobis esse a Deo, potentiam vero [g] peccandi non a Deo, sed a nobis, vel a diabolo esse;

[a] Ed. et B D *offensio.* [b] D *ex.* [c] V om. [d] Z add. *in.* [e] D om. [f] Z *dictum.* [g] Z om.

[1] Matth. 12, 24, 28. [2] Libr. I, dist. XXXIV, c. 4.

sicut mala voluntas non a Deo nobis est, sed a nobis et a diabolo, bona autem a Deo tantum nobis est. « Bonae namque voluntatis et cogitationis [a] initium non homini ex se ipso nasci, sed divinitus parari et tribui, in eo Deus evidenter ostendit, quia nec diabolus nec aliquis Angelorum eius, ex quo in hanc caliginem sunt detrusi, bonam potuit vel poterit resumere voluntatem; quia, si possibile foret, ut humana natura, postquam a Deo aversa, bonitatem perdidit voluntatis, ex se ipsa rursus eam habere potuisset, multo possibilius hoc natura haberet angelica, quae quanto minus gravatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset praedita facultate [1] ». Non igitur homo vel Angelus a se voluntatem bonam habere potest, sed malam. Similiter et de potentia inquiunt, per similitudinem voluntatis de potentia boni et mali disserentes [b], quod illa sit a Deo, non ista.

394 Sed [c] pluribus Sanctorum testimoniis indubitanter monstratur, quod potestas mali a Deo est, a quo est omnis potestas.

Ait enim Apostolus [2]: *Non est potestas nisi a Deo;* quod non de potestate boni tantum, sed et mali intelligi oportet, cum Pilato [d] Veritas dicat [3]: *Non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi* [e] *desuper.*

« Malitia nempe hominum, ut ait Augustinus [4], cupiditatem nocendi per se habet; potestatem autem, si ille non dat, non habet ». Ideoque diabolus, antequam aliquid tolleret Iob, dicebat Domino [5]: *Mitte manum tuam* [f], id est, da potestatem, « quia etiam nocentium potestas non est nisi a Deo, sicut Sapientia ait [6]: *Per me reges regnant, et tyranni per me tenent terram.* Unde et [g] Iob [7] de Domino ait: *Qui facit regnare hypocritam propter perversitatem* [h], *populi.* Et de populo Israel dicit Deus [8]: *Dedi eis regem in ira mea* [9] ». « Nocendi enim voluntas potest esse ab animo hominis, potestas autem non est nisi a Deo, et hoc abdita

---

[a] D *cognitionis.* [b] D om. [c] Z *De.* [d] Ed. add. *etiam.* [e] Z om. [f] Z om. [g] Ed. cum V B om. [h] V *perversionem.*

---

[1] Fulgent., *De fide ad Petrum*, c. 3, n. 34 (PL 40, 764). [2] Rom. 13, 1. [3] Ioan. 19, 11. Quae sequuntur in hoc capitulo sumta sunt ex Glossa ad Rom. loc. cit. * [4] *Enarrat.* in Ps. 32, serm. 2, n. 12 (PL 36, 291). [5] Iob. 1, 11. [6] Prov. 8, 15. [7] Cap. 34, 30. [8] Ose. 13, 11. [9] August., *De natura boni*, c. 32 (PL 42, 561).

aptaque iustitia [1] » ; nam per potestatem diabolo datam, iustos Deus facit suos.

De hoc etiam Gregorius in *Moralibus* [2] ait: « Tumoris [a] elatio, non potestatis ordo, in crimine est. Potentiam Deus tribuit, elationem vero potentiae malitia nostrae mentis invenit. Tollamus ergo quod de nostro est, quia non potentia iusta, sed actio prava damnatur ».

His auctoritatibus aliisque plurimis evidenter ostenditur, quod non est potestas boni vel mali cuicumque nisi a Deo [b] aequo, etsi te lateat aequitas.

Cap. II.

An aliquando resistendum sit potestati.

Hic oritur quaestio non transilienda silentio. Dictum est enim [c] 395
supra, quod potestas peccandi et nocendi non est homini vel diabolo nisi a Deo. Apostolus [3] autem dicit, quod *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Cum ergo diabolo sit potestas mali, Dei ordinatione, potestati eius non esse resistendum videtur.

Sed sciendum est Apostolum ibi loqui de saeculari potestate, scilicet rege et principe et huiusmodi; quibus non est resistendum in his quae iubet Deus ei [d] exhiberi, scilicet in tributis et huiusmodi. Si vero princeps aliquis vel diabolus aliquid [e] iusserit vel suaserit contra Deum, tunc resistendum est.

Unde Augustinus determinans, quando sit resistendum potestati, in libro *De natura boni* [4] ait: « Si illud [f] iubeat potestas, quod non debes [g] facere, hic sane contemne potestatem, timendo maiorem potestatem. Ipsos humanarum [h] rerum gradus adverte. Si quid iusserit curator [i], nunquid faciendum est, si contra proconsulem iubeat? Rursus, si quid ipse proconsul iubeat, et aliud

---

[a] V *timoris.* [b] V add. *sit et,* om. *etsi te.* [c] Ed. et D om. [d] Ita U B; ed. *eis.* [e] V *aliquis.* [f] Ed. *aliquid.* [g] Z *habes.* [h] V om. [i] Z *procurator.*

---

[1] Aug., XI *De Gen. ad litt.* c. 3, n. 5 (P L 34, 431); fere idem dicitur *Enarrat.* in Ps. 29, serm. 2, n. 6 (P L 36, 220). [2] Libr. XXVI, c. 26, n. 48 (P L 76, 373). [3] Rom. 13, 2. [4] Non ibi, sed *Serm.* 62 (alias 6. *De verbis Domini*) c. 8, n. 13 (P L 38, 420).

iubeat imperator, nunquid dubitatur, illo contempto, illi esse serviendum? Ergo si aliud [a] imperator, aliud Deus iubeat, contempto illo, obtemperandum est Deo ».

Potestati ergo diaboli vel hominis tunc resistamus, cum aliquid contra Deum suggesserit; in quo Dei ordinationi non resistimus, sed obtemperamus: sic enim Deus praecepit, ut in malis nulli potestati obediamus [b].

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

---

[a] Z add. *iubeat.* [b] Ed. add. *Iam nunc... valeamus,* quae iterum repetit in initio tertii libri.

DESCLÉE & C.
PIAZZA GRAZIOLI N. 4
ROMA 117

208.29
L 838 LOMBARD, PETER
25981
AUTHOR Libri IV Sententiarum,
Studio et cura Rp. Collegii S
TITLE Bonaventurae in Lucem editi.
Liber I et II, Tome I

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	Roberts OCT 16
	Healy
	Shepherd
	Retzel
FEB 19 71	VOTTUJJ
	STORAGE

25981